

THE LIBRARY OF
BROWN UNIVERSITY



THE CHURCH
COLLECTION

THE BEQUEST OF
COLONEL GEORGE EARL CHURCH
1835 - 1910







NOVAE NOVI ORBIS HISTORIÆ,

¶ D E S T,

Rerum ab Hispanis in India Occidentali ha-
etenus gestarum, & acerbo illorum
in eas gentes dominatu,

LIBRI TRES,

V R B A N I C A L V E T O N I S
opera industriaque ex Italicis Hieronymi
Benzonis Mediolanensis, qui eas terras *XIII.*
annorum peregrinatione obiit, commentariis
descripti, Latini facti, ac perpetuis notis, ar-
gumentis & locupleti memorabilium rerum
accessione illustrati.

His ab eodem adiuncta est,


De Gallorum in Floridam expeditione, & insigni
Hispanorum in eos saevitiae exemplo,
breuis Historia.



Apud Hæredes Eustathij Vignon.

ANNO M.DC.





EXIMIO DEI SER-
VO, D. THEODORO BEZÆ,
PRÆCEPTORI ET PAREN-
TI plurimùm semper obseruando, VR-
BANVS CALVETO, Gratiam &
pacem à Domino.

NIHL mihi minus h̄c pro-
positum fuit (præstantissi-
me Doctor) quàm vel sub
clarissimi tui nominis um-
bra me inserere famæ: vel
te, quem minimè omnium vellem ine-
ptiarum mearum testem aut patronum
facere. Quum enim nihil esse in me
haud inuitus agnoscam, quod conspi-
cum esse debeat: tum verò etiam tac-
tum tuum vnius iudicium equidē ve-
hementius, quàm apertas multorum de
me opiniones reformido. Sed nimitum
exstare aliquando oportebat aliquod
obseruantiaz in te meæ testimonium:

EPISTOLA.

quando ad pedes tuos eruditus, nō cetera tantum, siquæ pauca fortè habeo, sed & hoc ipsum gratitudinis officium in præceptores, illustri exemplo ex te didici. Atque id quidem cò libētiùs facio, quòd beneficia erga me tua agnoscere non possum, quin multiplices simul Deo gratias agam. Cùm enim, per singularem Dei gratiam, vterque mihi parentis, vera eius cognitione imbutus, obtigisset, præsertim pater, qui vergenti iam ætate Euangeli gustum flagrantizelo imbiberat: isque haberet in votis ut per omnem honestarum artium cultum, sicut pueritiam, sic adolescentiam transigerem, quum Medicinę me destinasset: Pietati nihil præuertendum ratus, detractum me Lutetia præmaturis adhuc liberalium artium studiis meis, rectà huc misit.

Hic in D. GERMANI COLLATIONI (quem parentis verius loco quam auunculi semper venerari ac colere debeo) manibus educatus, te sacræ Theologiæ, IOANNEM TAGAVIUM Philosophiæ præceptores, id est alteros parentes, nactus sum. Neque hic temolestè laturum certum habeo, quòd

E P I S T O L A.

quòd præclari viri memoriam cum tua laude cōiunxi: quem tu vsque adeo viuentem dilexisti, vt ne mortui quidem nomen nisi cum honore usurpes. Sed ille quidem , vixdum medio ætatis spatio mihi aliisque subitò ereptus , studia nostra destituit. Ex eo nos totos, quamquam grauiorib. curis adhuc impares, possidere cœpisti : per te sacris iniciati Theologicis , sub disciplina tua rudimenta adolescētię posuimus: tu mysteria per se augusta & nondum sat firmatis ingenii ardua, ita peruia & plana fecisti, cùm minima quæque veluti manfa in os ingereres, quum nos disputationibus , nos præceptis fingeres : vt non modò quę ex te propriè didici, sed si qua postea hausi ex aliis , ea iure tibi omnia accepta hodie referam. Ac me hīc quidem præteritę vitę spatia relegentem animo , recordari etiam nunc iuuat, quanta olim admiratione , quāta volupitate, te, præter raram quandam d'evōttę, quę peculiaris in te est , candidam perspicuitatem Philippi, sincerā ac solidam sanitatem Caluini, doctam vberatatem methodūmque Martyris, celebri auditorio , regenerantem audiuimus.

EPISTOLA.

Quid aliis vsuuenerit, nescio : me quidem scio nihil iucundius simul & utilius audiuisse aut vidisse in vita: quū tu perplexa distincte, obscura nitide, difficilima enucleatē & familiariter nobis expones: id vnum prorsus agens, ut non tantum pij doctique, sed etiam aliis docendis quam aptissimi, discipuli tui euaderet. Ergo, beneficio tuo, insignes viri, decoza ingenia, ex hac schola, tanquam vberimo fonte, emersere, & doctrinæ tuæ fructus latè sparsi sunt. De me nihil ambitiosè referam. Etsi in præstantissima omnium scientia præstantissimum Doctorem fortitus, lētos admodum ac tenues progressus ingenij vitio fecerim: si tamē (quod ille de M. Tullio scripsit) is cui tu valde placuisti, plurimum promouerit: nō parum profecisse me iudico. Me quidem, vix Theologicis operatum studiis, tua cùm doctrina, tum docendi ratio, adeo vehementi amore raptum deuinxerat, ut patris voce in patriā reuocatus, cùm is me aliò mittere, propinquai verò etiam retinere cuperent: huc tamen potius, bona quidem cum parentis venia, reuerterer. Neque me adhuc facti pœnitet. Quum enim,

Chri-

EPISTOLA.

Christum sequens , huc Deo propitio
primùm venissim , neque vlla sedes ma-
gistráque studiorum incorruptior hac
vrbe , neque te Doctor alias absolutior
videretur , nihil mihi de pristino institu-
to mutādum censui . Et quæ h̄ic postea
expertus sum , non iudicium tātūm cō-
firmatunt meum , sed spem etiam vice-
re . Prosper per ea tempora ciuitatis sta-
tus , nisi quòd incōparabilis viri morte
graue vulnus receperat : eò vndique af-
fluens studiosorum multitudo , docti &
suaues condiscipuli : florens academia:
vrbs ipsa prēclaris legibus cōdita & mo-
ribus : & tu grāde academiæ simul & vr-
bis specimē , ea diligentia Ecclesiā con-
cionibus , nos verò etiā prælectionibus
erudiebas , vt quum multos lōgo inter-
uallo anteisses , temet quotidie ipse vin-
ceres . Itaque tum nō Catechismus tan-
tūm Christianæ doctrinæ , Epistolæ ad
Hebræos , ad Romanos , & ceterę Pauli ,
multorum quidem antea peragratę ve-
stigiis , sed ab te singulari quadam me-
thodo , nec trita aliis via , aperię : verūm
etiam abdita Prophetarū oracula (quo-
rum vel sermonē vt nimis priscum &
obsoleta vetustate informem plerique

EPISTOLA.

antè horrebant) explicata & euoluta
tuis laboribus, vel tyrūculis ipsis patuerunt: ac quemadmodum felici Caluini
cura antè educata, sic in hac mœstitia
temporum salubri tua suavitate hilara-
ta Ecclesia est. Inter hæc ne domesticæ
quidem tibi horæ vacuae, illustria hæc
scripta pepeterunt, quibus insaniam ob-
trecentorum maledicentiam, Caluini
magnitudinem tuāmque allatrantium,
faciliimè compescuisti. Nec crebriores
ullo tempore Ecclesiarum in varia loca
dispersę colonię, te cum cetero presby-
terio, mittendis pastoribus, scribendis
literis, sententiis dicendis, ita destine-
bant, ut non magis miraremur te tanta
negotiorum mole nō obrui, quam semi-
per alacriorem, ac veluti nouum, ad do-
cendum accedere. Enim uero mira in-
tereā, ut felicitas ingenij, ita morū co-
mitas: vbi res & negotia poscerēt, intē-
tus & grauis: vbi quies laborum data e-
rat, commodus & seriis læta miscere fa-
cilis: ita temperatis curarū ac remissio-
num vicibus, ut (quod difficillimum)
nec facilitas autoritatē, neque grauitas
comitatem corrumperet. Sed ne singu-
lare quidem illud in paucis Dei donum
omiserō

E P I S T O L A.

omisero, quòd ne senectus quidem, quæ plerosque in otium & segnitiem resolut, quiddam de pristino studio tuo & labore detraxit. Eadem planè facis quæ iunior solebas: scribis, legis, cōcionaris, idque assidue, insigne adolescentibus ipsis documentum: nec quum in plerisque cum corporibus vigere ac deflorescere animos videamus, viuidus ille ingenij tui vigor cum ætate consenuit. Quis sanus non patriam, non auocatæ omnia, ut hęc videret, contemneret? Atque id ego, quamquam non sum assecuratus, voluisse tamen, huc veniēs præmetuli. Sed ecce, quum acriore quam antè incensus studio prælectionibus & cōcionibus illis tuis potissimum audiēdis meditandisque progrederer, vnum hoc, pœnitendum mihi semper, accidit, quòd præcoci (ut ego iudico) tua & amicorum de me cura, nimium intēpestiū ab ore tuo & latere auulsus sum.

Q V A M O B R E M ceteris quibus eo bono frui diutiùs ac feliciùs licuit, eruditioñis palmā, famam, primum locum, secundum, tertium, denique omnem præter ultimum, facile concessero: dum mihi grati discipuli nemo nomine eripiat. Quod partim ut testatum aliquādō fa-

EPISTOLA.

cerem, partim ut quas seuisti fruges, ea-
rum non nihil pro tuo iure mcteres: huc
libellum inscribere nomini tuo volui:
quamquam vel amplitudini tuę haud
satis parem, vel personę quam geris, pa-
rum conuenientem, plerisque visum iri
no dubito: ac ne meum quidē iudicium
ab eorum opinionediscrepat. Neque e-
nīm hīc augusta illa & diuina reperties,
que nos non tantū ex te audire, sed e-
tiā mirari consueuimus: non proxima
ab illis Philosophica: ac ne Historias qui-
dem vel nouitate rerum, vel splendorē
gentium commendabiles: quales hodie
multas scriptoribus, si quos cædes &
insaniam hominū condere Annalibus
iuuat, Europa nostra suppeditat. Sed
expeditiones, iam septuagesimum ante
annum usque ad nostra hęc tempora in
vltimum Occidentem ab Hispanis su-
fceptas, & ad Indos ab illis importata
vitia & bella: mox durissima in seruien-
tes imperia, fœdas repugnantium stra-
ges, & exhaustas cedibus & rapinis pro-
uincias. Postremò direptores ipsos in
mutuam perniciem actos, ut ciuilium
etiam bellorum in altero Orbe exem-
pla existerent: ingens Christianæ fidei
inter

EPISTOLA.

inter Barbaras gentes dedecus. Parum
læta omnia, & iam antè magna ex parte
dicta aliis. Neque ego attigissem, ni in-
corruptam fidem professus hic autor,
non parua in maius augens, ut Hispani:
non audita ex aliis interpolans, ut cete-
ri: sed quæ ipse præsens audiuimus & vidi,
sincerè referret. Vnum in primis pla-
cuit, quod nostrorum hominum in illis
terris vitia & scelera non reticens (quod
plerique scriptores fecerunt) interposito
nonnunquam suo iudicio, Barbarorum
etiam vel Christianis dignas de iis sen-
tentias accurate exsequitur: adeo ut in
tam exiguo scripto nullam propè iustæ
Historiæ laudem desideres. Quod de-
esse videbatur, Latinę orationis lucem
intuli: tum breues addidi notas, & si qua
præterea scitu digna visa sunt. Magnū
intenui re laborem. fateor. Nec tanti
dignum patrocinio viri libellum: Ne
istud quidem nego: sed quem tamen, ni
te prorsus ignoro, verecundè fese tibi
offerentem adrogari inter cliētes tuos
& maximā dignitatis suę partem mu-
tuari ex tuo nomine patieris. Quam-
quam (ut vnde cœpi eò desinam) hac
muncupatione mihi nihil verè destina-

E P I S T O L A.

tum propositumque fuerit , quām ut
vel ignobili hoc monumento testatus,
me Deo cūm multis de rebus , tum de
hac potissimum gratias agere, quōd te,
corruptissimis his temporibus, optimam
artium & veræ Religionis præcep-
tore, singulari meo fato , usus sum : si-
mul etiam nonnullo gratæ Pietatis in
te officio fungerer. Quod quidem ita
tibi acceptum esse & probari cupio, ut
nihil pro eo maioris gratiæ abs te pe-
tam quām ut inter prospera venerande
tuæ senectutis solatia istud etiam repu-
tes, tibi, quanquam non satis doctos, at-
tamen non ingratos discipulos obtigis-
se; & me, sicuti facis, semper ut $\gamma \nu \pi \sigma \tau \nu$ a-
gnoscas.

Hoc verò & nunc & assiduis preci-
bus meis à Deo Opt. Max. peto quæsó-
que ut solandis piorum miseriis , & il-
lustrandis horum temporum tenebris,
inter tot Ecclesiarum lumina , quam-
longeūus floreat ac splendeat in do-
mo Dei, stetque prælucens dominus
meus coram Domina & Christo eius.
S A L O C E R T Æ. Anno temporis
nouissimi cīcō lxxviii. KAL. SEPT.

C H R I S T.



CHRISTIANIS ET PIIS LECTO- RIBVS S.

*V*OD magni initio operis flor-
rentissimus rerum Romana-
rum scriptor Liuius præfatux,
Se nimirum, dum prisca popu-
li Romani facta & primas o-
rigines tota mente repetit, tanti per à con-
spectu, malorum, quæ sua multos per annos
vidit etas, animū auertere: id in tenui hoc
scripto propemodum cōtigisse profiteri mihi
licet. Me videlicet, quum ardente iamdiu
bellis Europa, solatium malis & animo meo
requiem quærerem, lōginquæ alicuius pro-
vinciae secessum & secretum sepe optasse, ubi
liceret non modo à tot scelerum conspectu,
sed etiam auditu & fama, procul agere. Er-
go nibil hic usquam quietū circumspicētans,
tandem aliquando in nouam illam Indianam
(quam vocant) ut vacuum bellis orbem, to-
to animo transuolo. Et eò potissimum multa
inuitabant: Auriferi amnes, montes aurei:
mira celi temperies, noua fructuum auium:

P R A E F A T I O.

que species , rūdis & antiqua hominum
simplicitas : mare vniōnum ferax , gemmis
grauida tellus : denique obuiæ opes fama
magis quām rerum fide traditæ : quæ omnia
perlustrare vel animo iuuaret : sed ante o-
mnia inerme otium & quies , & morum no-
strorum tedium.

Ac mox quidem transgresso , uti dixi,
ea primò omnia non planè vana arridebāt.
Indiae Oc-
cid. facies Sed cùm ijs miraculis animum attenderem,
ecce è diuerso longè alia rerum facies . Extor-
res indigenæ , & Christianis infensi : subuer-
si iam montes & auro penè vacui : exhausta
mapalia , tristis ubique & horrida solitudo :
hodie mi-
sera. serui , aut seruitutem horrentes Barbari , cu-
ius ne nomen quidem antè nouerant : & a-
trocia eorum cum nostris bella , & quæ bella
sequuntur calamitates . Denique nostra illic
omnia vitia , sæuitiam , libidinem & auari-
tiam reperi . Hic continuò mecum : Earum
rerum causas numquid sciscitari & exse-
qui libet ? Itaque cognoscendi audius , Hispa-
nos scriptores adeo , eorum libros euoluo .
Mira illic : Vno aut altero prelio perdomi-
te prouinciae : priùs penè rapta quām inita
Regna : insignes Hispanorum de Barbaris
victoriae , nisi equis deberentur . Denique
tot Scipiones aut Alexandros magnos dice-
res ,

P R A E F A T I O.

res, quot Hispani duces in illis terris bella gessere. Neque profectò gloriā meritos abnuerim, si vel ipsi sauitiæ, vel scriptores laudibus modum statuissent. De sceleribus interim eorum & flagitiis non nihil, sed parcè. De Barbaris fere omnia in peius, ut fermè victos, sicut ceteræ calamitates, ita ignomonia sequitur.

Sed mirabar in primis, cur non potius intermi quæsitu sine bellis peragratae cæteræ essent: unde aut quo initio Indi cum Hispanis contracta bella: imò quas bellorum pud eos posse esse causas, ubi nulla esset dui-
tiarum admiratio, nulla honorum emulatio
aut cupiditas, creberrimæ inter homines certaminum cause. Postremò cur Hispanos iniuria potius quam beneficio experiri maluis-
sent: à quibus præsertim non multa tantum instrumenta vita & honesti cultus morem,
sed literas etiam, raro inter Barbaros,
cum Religione acciperent. Quare primò hæc
ferè importuna cuidam agrestique immunitati,
& ab omni societate abhorrenti naturæ
tribuebam, quæ, ut nonnulla animalium,
nullis beneficiis mansueret.

Quæ Indi
aduersus
Hispanos
bellorum
causa.

Sed hæc fortè rimanti, commodū Ben-
zoin manus incidit: qui ut superiorum op-
inionum errore dento, nodos soluit quibus

PRÆFATIO.

impeditus hærebam: ita veros eorum malorum fontes aperuit. Is quædecem & quatuor annorum spatio magna ex parte in Occid. India vidit, Italico sermone conscripsit, mira quidem breuitate, sed ea tamen quæ nihil propè scitu dignum prætermittat: aut si qua sunt, nos ea vt cumque explicuimus. Ac ne collatum quidem cum aliis, multum ab iis discrepare comperi, nisi quod illi ferent tantum euentus rerum: hic quas illi cùl lidè sàpe reticent, causas etiam exsequitur: nec, ut plerique audita ex aliis, sed ab se visa & explorata referens: unde maior testimonio autoritas & scribenti fides.

Hunc ego accuratè quum perlegisse, suspectos habere priores illos scriptores, ut gratiæ plurimùm dantes & suorum gloriæ nimium lenocinantes, cœpi: ac facile intelligere (quod res ipsa loquitur, & Barbari ipsi non minus naturalis iudicij luce quam experientia deprehenderunt) Hispanos verbo ad propagandos Christianæ religionis fineis in eas oras nauigasse: re ipsa, ut ditissimis iis subactis prouinciis aeternæ dominationis sedes ibi figerent: id est, speciosum titulum, auaritiae & prauis aliis cupidinibus prætexuisse.

Sed operæ pretium est, id non tam ex meis verbis

BENZO
Hispanis
scriptori-
bus cur
præferen-
tibus.

Hispani
scriptores
suorum
gloriæ le-
nocinan-
tur.

P R Æ F A T I O.

verbis quam ex ipsorum factis cognoscere.
Ita enim & subigendis illis populis, & post
quam subegerant regendis, hactenus maxi-
ma ex parte sese agitauere, ut quum quid-
uis alius reipsa praestarent quam quod pra-
se tulerant, Dionysy alicuius aut Machia-
uelli discipulos verius quam Christi se esse
proderent.

Age igitur, aliquot istius, si libet, placita
cum horum gestis cōponamus: quando hæc
tantam inter se similitudinē habent, ut fa-
cile vel istos ex Machiauelli ludo profectos,
vel istum ex horum præclaris in Italia faci-
norib. Theorematasua haūsse credideris.

Quum enim in commentariis illis quibus
Tyrānum verius quam Principem instituit
Machiauillus, suadeat inter alia, ut quum
ex animo Deum non colat: Pietatis tamen
externam speciem præ se ferens, eam de se
opinionem ac famam apud omnes, quo ad e-
ius fieri possit, conciliet: Id non perniciosius
docuisse videtur iste, quā Hispani apud In-
dos præstitisse. Ac nihil primò facilius, quā
crassis Barbarorum ingeniiis hoc persuade-
re, qui nouæ & peregrinæ gentis miraculo
capti, de ea præclara omnia & quamuis ab-
surdacrederent. Ergo Hispanis, quum splen-

Machia-
uelli dog-
matum, &
rerum ab
Hispanis
in India.
gestarum,
collatio:

P R A E F A T I O.

didū Dei & Christiani nominis gloriae promouendæ titulum suis expeditionibus impunerent & se Christianos, ac filios Dei altissimi, alternis propè verbis iarent, usque adeo habita fides, ut etiam descendisse istos è cælis (nā & hoc eamentiri non pudebat) vulgo illis gentibus persuasum esset: donec res ipsæ & facinora hæc vanitatē coarguerent.

Hispani vero prona interim Barbarorum crudelitate adeo abuti, ut etiam opinionem & spem quandam salutis illis insitam (cæcam quidem illam & inanem, sed tamen spem) ad exitium miserorum & suum quæstum verterent. Exemplum unum referam.

Hispani
specie pie
tatis Indos
in seruitu-
tem pelli-
crunt.

Ex quo in Hispaniola vicinisque insulis indigenæ operarij Hispanis ad exercēda metalla defuerunt: prouidere sibi ex Lucajs insulis, quæ infrà Cubam ad Septentrionem versæ sunt, mancipia instituere. Qua in remira arte & consueta illa sua Pietatis larua vtebantur. Quum enim illi simplices & minimè mali homines, rigore Septentrionalis plague expiatis suis peccatis, in Elysios quosdam campos migraturos se aliquando considerent, quos ad Meridiem sitos esse somniarent. Hispani illuc nauibus appellen-tes, persuadebant se èò venisse ut eos in beatas illas sedes traducerent. Ita miseros

VANA

PRÆFATIō.

vana spe illectos, & pro certo habentes se in
Paradisum aliquem amœnum abduci, ple-
nis nauigii in aurifodinas asportabant. Et <sup>Hispani-
Lucaien-
sium cre-
dulitate
abutūtur.</sup>
Eiuscmodi quidem capturis quinquaginta
hominum millia absunta, & vniuersa pro-
pè Luaiensium gens deleta est. Tantum vi-
delicet in Hispanis illis Religionis erat, ut
istos in Paradiſo illo suo collocare nollent,
nisi prius in Purgatorium demersos. Sed
spectemus cetera.

Monet Machiauellus, non posse melius
prouinciam aut agrum recens captura sub
imperio teneri, quam si deductis in eum co-
loniis veteres incolæ pellantur, aut ita at-
tritis premantur opibus, ut nullavis acre-
bellio ab iis metui posſit. Id quoque strenue
ab Hispanis praſtitum. Ita enim eas terras
occuparunt (quo iure ac titulo ipſi viderint)
ut non tantum Colonias arcēſque impo-
nerent domitarum gentium ceruicibus, sed
eas quoque ſibi compedes ſuis manibus fa-
bricari cogerent. Neque id ſatis: ſed quum
indigenas intolerabili ſæuitia pepulerint
domibus, exturbarint agris, aut inter man-
cipia habentes laboribus attrinerint, pleris-
que locis ex veteribus incolis nullos: multis
quam pauci ſimos omnibus quidem ita ino-
pes humilēſque Indos reliquerunt, ut ab

PRÆFATIO.

iis rebellionem non pertimescant. Eius ty-
rānidis testes sunt Hispaniola, Cuba, Iama-
ica, San-joannis de Portu diuite, & Guan-
naxie insulæ, in quibus (vel ipsis Hispanis
historicis testibus) quadragies centies ca-
pitum millibus, quibus olim habitabantur,
vix hodie quingenti aut sexcenti Indi su-
persint. Adeo iagentium etiam bellorum
clades Avaritia superat.

Neque ullam ferè gentium hodie vi-
deb', cui iustius quadret quod Romanis
quondam exprobratum à Britannis scribit

In vita A-
gricola.

Tacitus: Raptore orbis, postquam cuncta
vastantibus defuere terre, & mare scru-
tatur: si locuples hostis est, auari: si pau-
per, ambitiosi: quos non Oriens, non
Occidēs satiauerit: soli omnium opes
atque inopiā pari affectu concupiscunt:
auferre, trucidare, rapere, falsis nomini-
bus imperium, atque ubi solitudinem
faciunt, Pacem appellant.

Idem Tyrannicus doct̄or præcipit, Nulla
ratione melius ciuitatem aut prouinciam
posse subigi quam si malis moribus im-
pleatur: qua arte Cyrus, suadente Cræso,
Lydos magis quam ullis armis fregit. At
ne istud quidem Machiauellus melius scri-
ptis, quam Hispani factis expressere. Vul-
garis

PRÆFATIO.

garia hæc, Insuetos vino Barbaros ebrietate
mollire & vincere, quod sepe illis loco vir-
tutis fuit: mulierum virginumque pudici-
tiam attractare, unde mox in Europam at-
que in totum orbem Indica lues sparsa est:
quum liberos etiam eorum, in disciplinam
acceptos iurare sacrum Dei nomen blasphe-
mias proscindere, aleari, furari, mentiri, scor-
tari & sicas vibrare docuerint. Ac ne ea
quidem etiam gratuitò: quando & auram,
& uniones, & libertatem, & cetera bono-
rum, ab illis gentibus accepere, quum sua illis
vitia traderent. Qua in re tamen illud per-
commode accidit, quod, præter naturalem
lucem, Præcepta Dei, quæ utcumque ab Hi-
spanis didicere, cum eorum exemplis & fa-
ctis componentes, horrenda ipsorum scelera
& flagitia graui præiudicio damnent, do-
nec in iudicio aduersus eos consurgant Bar-
bari.

Præter hæc Machiauellus docet, Nulla
ratione facilius in pace ac fide contineri, &
prohiberi à rebellione subditos, quam si ino-
pia & labore cohibeantur. Mirum quam aui-
de arreptum hoc dociles isti ad viua discipu-
li, in rem atque usum verterint. Neque e-
nim tantum quidquid circum brachia, col-
la, aures, braculas, auri habuere Barbari,

Hispano-
rum con-
fuetudine
Indorum
liberi cor-
rumpun-
tur.

Hispani
Barbaris
quæ habet
& quæ nō
habent ex
torqueat.

P R A E F A T I O.

cum ceteris deliciis excussere: sed penitus
ire in viscera terræ, & paruo aliqui conten-
tos, versis montibus, scrutari abdutas opes
coegerant. Hinc tributa, onera, metalla, ser-
uientium pœnae. Indis imposita, & cetera,
in quibus ex cogitandis nimio plus quam
velimus ingeniosa Avaritia est.

Nec contenti eripere quæcumque habe-
bant, etiam quæ non habebant, miseros ho-
mines vi, malo, tormentis inuenire subege-
runt, & iis locis ubi nemica quidem auri
esset, aurum superbis dominis pendere: do-
nec miseri illi homines tot malorum exitum
desperatione & deformi exitu quererent.
Atque hic quidem (nisi uniuerso Christia-
no nomini grauius inustum esset dedecus,
quam utrum mereri posset) operæ pretium
sit cognoscere, quam lepidè Barbarorum
nonnulli furiosam illam auri famem expla-
uerint: quum ut rex Mithridates Aquilio
Romano duci capto, ita Hispanis isti aurum
in os infunderent. Imo quum Barbaros coe-
gerunt, cum diris exsecrationibus, Aurum,
Christianorum Deum palam vocare: quibus
piaculis se ab tam graui noxa unquam ex-
soluent?

Longum esset, omnia ad hunc modum
persequi, quibus impotente illum & tyran-
nicum

Barbari a-
uatiām
Hispano-
rum miti-
fice ex-
plent.

PRÆFATIO.

sicum suum dominatum in India istifun-
 darunt exercueruntque, quum Christi im-
 perium propagare velle prætexerent. Illud
 quidem præfracte & insanabilis auaritia
 saevitiae, insigne documentū est, quod absum-
 tis montium, amnium, terrarū & maris ope-
 bus, aut in Hispaniam transvectis, quum nil
 iam Indis preter nuda corpora superesset,
 corpora ipsa habere questui cœperunt, nec
 tantum illis pro asinis & mulis abuti, sed li-
 beros quoque homines undecumque in ser-
 uitutem rapere, vendere, occidere: scilicet
 quia Christiani fieri nollent. Ac, credo, In-
 diam & Hispaniam mancipiis replessent, ni
 vaganti auaritiae frenos iniecisset Carolus
 Quintus: cui tamen usque adeo obeditum
 non est, ut rebellare Colonie & armasume-
 re in principem cum periculo, quam parere
 cum detimento mallent.

Miremur iam Indos Christianam fidem
 respuere hactenus? Quo fructu prædicari
 Euangelium apud Barbaros ab iis spores,
 quibus miseros homines in India affigere
 saxis, lacerare tormentis, obiicere canibus,
 proterere equis, vrere flammis, iocus &
 ludus fuit? Itaque his & talibus factis tam
 implacabile odium omnium Barbarorum
 non in se tantum, sed in omne quoque Chri-

Hispani
 Indorum
 fortunis
 cœsumis,
 corpora
 seruituti
 mācipant.

Carolus v.
 Indos li-
 berari iu-
 bet.

P R A E F A T I O.

stianum nomen, cōciuerunt: ut vulgò Chri-
stianos, nō homines ex hominibus ortos, sed
purgamenta quēdam maris & monstra ex
barbari elementi spumis concreta eiectāque
esse procero habeant: malintque liberos ex
se ortos trucidare sua manu, quām manci-
pia tyrannis alere.

Hispano-
rum excu-
satio.

Hic nonnulli, et si Hispanos in totum non
excusant, subleuant tamen, & maximam
partem horum malorum in earum gētium
vitia exonerāt, quae Deus scilicet ita vlcisci
voluit. Nec ipse quidem meritos abnuerim,
nisi peiores ī fuissent à quibus oppressi sunt.
Et si enim isti suis quoque vitijs, & quidem
magnis, laborant, sunt tamen in īs nonnul-
la quae non erubescamus imitari: & utinam
ex hac indole aliquid Hispani hausissent,
nec audiūs aut gloriam aut caducas opes
quām isti concupiscerent. Certè, ut deessent
illis alia, vel insigni quiete vita, vel inno-
centiae umbra, vel hospitali benignitate in-
aduenas, non planè indignos iudico qui-
buscum mitius ageretur. Quum verò etiam
à literis & Religione non abhorrerent, al-
li ciendi potius beneficijs quām vitijs ab-
sterrendi erant.

C E T E R V M ne ipse quidem tamen
has

P R Æ F A T I O.

has diuinitus illis clades obtigisse dubito:
immò Deū (cuius profunda sunt iudicia &
imperscrutabiles viæ) ut quondam Gottho-
rum & Hunnorū opera Italiam, Saraceno-
rum Gallias & Hispanias, Patrum nostro-
rū etate Gallicis armis Neapolitanos prin-
cipes attriuerit: ita nostris temporibus non
tantum ad beluinas Indiae gentes doman-
das, sed Europæ quoque lasciviam castigan-
dam Hispanis ministris & ti. Sed an propter-
ea (ô Gotthorum & Vandalorum sanguis)
quod patrum vestrorū vestigia sequentes,
ventis hodie admodum secundis utimini:
quod nauibus, armis, viris, equis, terras &
maria consternitis, Dei manum effugere
vos posse existimatis? Venient haud dubie,
venient tempora, quibus stata vice uretur
Hispania bellis, & vos qui alienis spoliis
diuites estis, vicissim spoliabimini: Vos, qui
non tantum quietas solicitastis gentes, sed
etiam afflictas premitis, & iamdiu nostrum
quatitatis orbem: aliquando & ipsi quoque è
calice irarū Domini, quem aliis hodie por-
rigitis, bibetis. Nondum stirps Maurorum
plane extincta est, qui Hispaniā armis oc-
cupatā aliquot secula tenuerunt. Nondum
omne Indorum genus funditus sustulisti,

PRÆFATIO.

qui omnes rebellandi occasiones speculan-
tur. Viuit adhuc in Sicilia eorum soboles,
qui quondam licentius alieno utentes Gal-
los, una literarum significatione, uno die,
omnes obtruncarunt. Atque ut, fatali
omnium ignauia, nulli aduersum vos se se-
arment populi, viuit tamen in cælis Domi-
nus, qui publicam Gentium insaniam & in-
insolentiores triumphos suo tempore com-
pescere consueuit.

V E R V M , ut ipse quoque, & quidem
æquius quam Hispani, Hispanos subleuem,
primum me nullo Hispanorum odio, Indo-
rum patrocinium suscepisse profiteor: ac si
quid forte hic asperius in eos dictum ex-
ciderit, in bonos & honestos eius gentis
viros dictum id me nolle significo: quos
singulari benevolentia complector: In pri-
mis fratres meos, pro Christo indigna mul-
ta atque aspera in Hispania perpetientes:
pro quibus & nunc & quotidie Dominum
oro, ut eos è fornace illa Babylonica mira-
bili potentia sua liberet. Deinde quum
multa præclara Hispanos in India gesisse
facile agnoscam: ita, siue diuturna ea: um
gentium consuetudine, siue angustiis rerum,
effe-

P R A E F A T I O.

efferatos, multa sanè perperam, quorum
pudeat, egisse non dubito: nec ipsos qui-
dem, siquid vera indolis inest, recusatu-
ros censem, quominus in Historiis, quibus
res eorum gestæ narrantur, ut egregiè
facta, ita de suis vitiis nonnihil audiant:
quando neuos & maculas si nudaueris, e-
luuntur: laudibus corrumpimur.

P O S T R E M O, ut in singulis sape
personis, ita in Gentibus naturalis quæ-
dam & propria ad peculiare aliquod stu-
dium animi propensio est. Hanc nosse &
dextrè regere homines debent: siquidem
specie virtutis sape in vitium degenerat.
Hispani, bellis nata gens, & magnos ferè
magis quam quietos gerens spiritus, otij
impatientes sunt, pigritiam odere. Lau-
dabile id: sed ex eo, dum non cauent, &
currere ad Indos, & laceſſere quietos, nunc
verò etiam ab Indis & Turcis in Christia-
nos arma vertere, affueuerunt. Itaque
quando ad contractas, necdum expiatas,
in India culpas hoc quoque nefas addunt:
patiantur ſe moneri, ut matura pœnitentia
imminentem suis capitibus iram Dei ante-
uertant: dicant operari manibus & terram
colere, & ſuis cōtentio opibus intra Hispaniae

P R A E F A T I O.

terminos, per laborem corporis & quietem
animi securam potius & tranquillam quam
cruentam senectutem expectent. Me qui-
dem hoc libello non minus eorum
saluti quam memoriae consuluisse
nunquam pigebit, si liben-
ter hæc legant &
resipiscant.
* * *

D E A M B I G V O I N D I A E nomine.

I N D I A, propriè ingens illa Asiae ad Ortum
regio vocatur, quæ Alexadri & Macedonum
armis perlustrata est. Hoc autem Orientalis
Indiæ nomen Nouo huic orbi à Columbo
primo eius inuentore impositum putamus,
quum Nouas illas insulas primùm repertas,
Cipangon esse existimaret, quæ ex aduerso
Sinæ & Cataij sita, Orientali potius quam
Occidentali limiti attribuitur: idque iuxta A-
ristotelis & Senecæ sententiam, qui non pro-
cul abesse Indiam ab Hispania scripserunt.
Porrò ut veterem illam Indiam ab hac noua
nota aliqua distinguamus: illam Orientalem,
hanc Occidentalem ferè nuncupabimus.

E P I-



EPIGRAMMATA ALIQUOT.

¶ De Aurea ætate apud Indos Occid.in
Ferream mutata.

Q V A E R I T I S unde N e u u m tot ferrea
bella per orbem:
Curve quies illis non sit ut antè locis?
Auro fœta Ceres, & saui nescia Ferri,
Illic innocuas sponte ferebat opes.
At simul Occiduos, quos nondum norat, ad Indos
T husca per incertas Carbasus iuit aquas:
Inde Auro rediere graues, Ferrumque tulere,
Hispani, & populis imposuere iugum.
Hinc quondam atq; diu, miseriis nunc gemitibus, et as
Aurea quæ fuerat, Ferrea facta fuit.

V R B. C A L V E T O N I S.

E I V S D E M.

De Indorum conuersione.

Hispanus, cæcis ut lumen redderet Indis,
Sciderat ignotas per freta longa vias.
Nec tamen vlla fides nec lux promissa refusit,
Nec cœpit miseriis clarior ire dies.
Quin sibi Barbarus hinc, & clare & multa videti,
Ereptos visus iam propè conqueritur.
Quid mirum, exhaustis opibus terraque marique
Si minus, aut potius, si nihil Inde vides?

E I V S D E M.

Celtiber Indorum si tiens (ut fama) salutem;
Et Christo multas querere certus ones:

*It, reddit, adificat, templis imponit honorem,
Corporaque infusis Barbara lustrat aquis.
Nec labor incassum: & quidni conuerteret Indos
Voce, manu montes vertere qui potuit?*

¶ De Hispanorum in Indiam Occidentem nauigantium consilio.

*Captus opum studio rabiéque insanus habendi,
Tentauit longas impiger Astur aquas,
Ut quondam iuuenes, Argia et robora pubis,
Sunt vetitas ausi per maris ire vias,
Ad saeum Aeterni, rigidas & Phasidis oras,
Auratum Colchis vellus ut erisperent:
Oceanum haud aliter penetravit classis Ibera,
Ut raperet quas fert India diues opes,
India, quam memorant baccis aurisque beatam:
Auro multa illic splendet arena micans,
Indica gemmiferis sparguntur littora conchis,
Et carae è terris effodiuntur opes.
Ergo, Hispane audax, lucrum fuit unica causa:
Tantæ Religio non tibi causa via.*

S T. T R.

E I V S D E M.

*V R B A N V S Latia perstrinxit arundine classis
Hispanæ in miseros effera facta viros.
Et meritò, miti quia nomen dicit ab urbe,
Immites odit, nec fera facta probat.*

PRIMI



PRIMI LIBRI SVMMA ET ARGVMENTVM.

NT ER singularia huic seculo à Deo concessa beneficia & décora, Noui Orbis patefactionem merito numerare possumus. Ac primi quidem eius Inventoris nomē pia memoria prosequi, gratitudinis pars est. Itaque Benzo, postquam suscepit & à se illuc navigationis causas, cursū & appulsum breuiter exposuit: quis primus in eas terras nauigare ausus sit, discussis ea de re Hispanorum fabulis, aperit. Mox ut Hispani tātum Dei munus sauitia, auaritia, libidine & seditionibus corruperint: unde inusitati in Hispaniola insula, quae prima reperta est, turbines, indigenarum motus, & predonū naufragia consequita sunt. Inde varias Indorum de noua gente opiniones, cū Hispani se filios Dei esse passim iactare: Barbarirem ex fatis estimantes, adduci ut crederent non possent. Inter hæc transgressi in Indicam cōtinentem Hispani, quum infensos inquiete ipsorum auaritiae Barbaros in amicitiam pellitcere nō possent: eos ut insociabiles apud Regem Hispanie criminantur. Itaque ob id imponitur regio Edicto Indis servitus, & mox abrogatur. Interea nihil secundus cresceret sauitia Hispanorū in eos, & eorum implacabile in Hispanos odium, quorum etiā tyrannidem vulgo quaesita morte fugerent. Ac ne ipsi quidem Praefecti Hispani satis inter se concordes, iam tum odijs, ambitione, & inuidia, omnia miscebant,

*donec, tragicæ sauitie exemplo, generum sacer se-
curi percuteret.*

*In hac egressus Benzo, ad Hispaniolam re-
uertitur (de qua propriè hoc libro: ut Secundo de
rebus ab Hispanis in Castella aurea, Nicaragua,
Guattimala, Indicæ continentis prouincias, gestis:
Terris, de us que in Peruano regno acciderunt,
peculiariter agit) & eius indigenarum per-
uicacem superstitionem, ritus, mores,
fruges: Pestremò Insulae ipsius
situm, solique naturam
& coinnoda de-
scribit.*

NOVÆ



NOVÆ NOVI ORBIS
HISTORIÆ, PRIMVM AB
Hieronymo Benzone Mediolanen-
si Italico sermone conscriptæ, nunc
verò in Latinum translatæ,

L I B E R P R I M V S.

*¶ Quæ cause Benzonem ad navigationem in Indiam
Occid. suscipiendam impulerint.*

C A P V T I.

V V M esse⁹ adolescens, annos
viginti duos natus, &, multo-
rum exemplo, peragrandi or-
bis cupidus: præsertim visendæ
eius mundi partis nuper reper-
tæ, cui Indiæ Occidentalis, & Noui orbis no-
men factum est, explere animum ipse tan-
dem mecum constitui. Postquam igitur eò ^{Benzonis} in Indiam
ire mihi sententia stetit, Mediolano profe- ^{nauigatio,}
ctus, anno M. D. X L I. Dei summi gu- ^{anno} M. D. X L I.
bernatoris ope fretus, terrestri itinere Me-
dinam-campi, celeberrimum totius Hispaniæ
emporium, perueni. Inde Hispalim
progressus, secundo Bæti flumine ad oppi-
dum S. Lucari de Barrameda, leimbo perue-

ctus sum: vbi omnium nauium ex Hispania in Indiam commicatum atque inde redeuntium appulsus & portus est. Ibi forte nauim mercibus onustam noctus, soluere & in Magnam-Canariam vela facere paratem: quum breuior atque expeditior traiciendi ratio mihi non occurreret: præterea accepisse naues vino, farina, melle, caseo, ceterisque eiusmodi rebus instructas. quæ ad eas regiones necessariae importantur, è Canariis insulis in Indiam omni tempore decurrere: desiderij mei velociter exempli audiens, eam nauim concendi. Bimestri spatio expleto, in Magnam-Canariam peruenimus: vbi quuin audiuisssem eclocem vnam in insula Palma (ea vna è Canariis est) vino onerari ut mox in Indiâ traiceret protinus cōscenso nauigio in eam insulam biduo travectus sum. Inde, posteaquam paucis diebus ea nauis omnibus rebus instructa est, soluimus.

Pisces vo-
lucres. Porrō quum quatuordecim dies prospero vento nauigasssemus, ingentem vim marinorum avium repente conspeximus: unde non sine incredibili animi voluptate nos haud procul abesse terra, iudicium faciebamus. Nocte quoque saepius volucres quidam pisces, longitudine palmi, in nauem nostram volitantes cadebant, quibus haud multo secus atque ipsis auibus species quædam alarum interat. Iam Nauclerus nauigatoriæ artis peritus Solis altitudinem & declinationem explorare cœperat, quæ ex linea Meridiana deprehenditur: noctu polum Arcticum seruans, aut vicinam illi stellam (Tramontanam illi vocant)

quæ

quæ iam multum nobis depresso erat. Ad eum modum nauigantes, post duos dies, Dominica quadam die manè sub ortum Solis terræ conspectum habuimus. Ibi magister-nauis mihi affirmat insulam eam ipsam esse, quam primam inuitus Christophorus Columbus secunda sua ex Hispania in Hispaniolam nauigatione vidisset. Eum enim, quum è Canariis soluens vigintiquatuor aut viginti-quinque totos dies nauigasset, absque ullius occursum terræ, quum aliquam conspicere incredibiliter arderet, protinus oculo eam, in-
Desiderata insula.
sulam notasse, ac propterea Desideratam vo-
casse.

In eo tractu multæ sparsæ insulæ, quorum maximam Hispani Guadalupeam appellant, incolis Caribibus ferè habitantur, qui humanis carnibus, id est hostium suorum, vesci consueuerunt. Dum eas præteruehimur, lintrem quem Indi pescatores agebant, obuium habuimus: sed illi nobis conspectis aufugere: nos institutum cursum sequuti, flexa in laevam prora, versus Æquinoctialem lineam, alias quasdam insulas continent obiectas, post octauum diem conspeximus.

A d earum vnam, Cubaguam nomine, appellimus, qua in insula tum forte erat Hieronymus Ortalus Cumanæ Præfectus. Is tantos animo meo stimulos admouit, splendidis me verbis & pollicitis onerans (sicuti earum regionum Gubernatoribus facere solenne est (vt me secum manere subigeret,

Quippe quum is propediem cum non spernenda Hispanorū manu in suam Prouinciam iturum præ se ferret, (quam indigenę Nautal, Hispani hodie Dorado, id est auram, nuncupant, vel eo vno vocabulo spem diuitiarum faciente) & nos breui ditissimos euasuros alternis propè verbis sponderet: vanis istis eius promissis, & multis aliis maioribus effectum est ut cum eo manerem, non minus vide-licet rei faciundæ quam visendi Noui orbis cupidus.



*¶Quomodo Hispani in India Occid. Barbaris, tum
amicis tum inimicis, vtantur.*

C A P. I I.

AV C I S pòst diebus quam in Cubaguam appuleramus, eodem Petrus Errera insulæ Margaritæ præfectus duobus phaselis triginta cum Hispanis applicuit, ut inde in aduersum traiiciens mancipia aliquot è continentí raperet. Itaque eo consilio paucis quam eò venerat diebus manè duabus post lucem horis inde soluens Hieronymum Ortalum & nos secum abduxit: & sub eius diei vesperam Cumanæ fluuij ostium inuecti sumus. Eo loco ædificatum erat ab Hispanis propugnaculum è materia, ad tutanda nauigia, è Cubagua ad flumen illud aquatum commeantia. Extruxerat quidem antè aliud munimentum è cespite in eo littore

littore Iacobus Castellio , quo tempore vnionum piscatus vigebat : sed paulo pōst auctum continuis imbribus flumen plana camporum ad duo fermē passuum millia ita inundauit , vt eam arcem quoque euerteret. Ibidem erant quatuor fermē aut quinque tuguria fluuialibus cannis & arūdinibus cōtexta , vnde(sicuti pōst dicemus) Didacus Ocampus trib. mil. Toletuna noua colo nia 4. aut tanta Indorum multitudine quanta olim erat, nulli fermē tum reperiebantur præter paucos aliquot & pauperes regulos , quibus Hispani pepercérant , vt iis ad operas suas pro mancipiis vterentur. Ceteri in solitudines & deserta loca concesserant , tantum ut Christianorum imperium fugerent.

SED dum nos aliquot in Cumana moramur Indicē mu dies,eō venit Indica mulier præcipui eius prouinciae reguli vxor, quas illum patriis fructibus plenum ferens : ceterum eo oris corporisque habitu vt tam deformem ac prodigiosam speciem neque ante neque post eam diem vidisse me vñquam meminerim: neque tum rei nouæ miraculo stupefactus eam intuendo explere oculos possem. Illa vt venit , ad Erreram præfectum ingressa, posito ei ante pedes quod attulerat munere , tacita in scamno assedit,tali habitu ac specie : priuūm prorsus nuda exceptis pudendis,quæ velare eius prouinciae consuetudo fert : vetula , virgata toto corpore ac depicta nigro , promissis ad pubem capillis: præterea auriculis infimis adeo productis

demissisque ut in humeros usque penderent, (fœdum visu spectaculum) deinde per medium fissis, ac foraminibus insertos anellos gerens, leuissimos, è ligno quodam elaborato, quod eorum lingua Cacoma dicitur. Vngues ei præter modum longi, atri dentes, os patulum, nares perforatæ inserto annulo quem ipsi Caricori appellant: ita ut monstri cuiusdam potius quam humanam speciem haberet.

BIDVO expleto, è Cumana soluimus & usque oram legentes in Ortum per sinum Pariae, ad ea litora appellebamus, in quibus Reguli fœdere & amicitia cū Hispanis iuncti erāt: quumque iis ferè locis egredieremur in terram, pro paululo vino Hispaniensi, pro inducio, pro cultello & aliis eiuscmodi minimi precij rebus, quibus Præfectus illos munebatur, ipsi nobiscum aliquot è suis clientibus & subditis mittebant, duces itinerum, qui loca & tractus indicarent, vnde capitales ipsorum hostes Indos captiuos abduceremus, quū ipsi Christianorū se amicos & socios ferrent. Itaque manente Præfecto cuin octo Hispanis in Cariaco eius oræ litore, ceteri omnes iter ingressi, præeuntibus ducibus de gente amica datis, & commeatus ferentibus, prædabundo agmine, cētum fermè passuum millia terrestri itinere introrsus emensi sumus: mōtes, valles, flumina, saltus & cetera locorum aspera multa cum vexatione transgressi, quā iter duces monstrauerant. Tandem per inuias rupes & prærupta saxa, & foramina, quā vulpes quoque ipsas

ipsas transire dubituras existimem, s̄epius noctu quām interdiu procedentes: ducentos & quadraginta Indos mares ac fœminas, puberes atq; impuberis, manu captos abduximus. Agminis nostri ductor metueñs ne alimenta deficerent (tametsi ex Indorum mapalibus aliqua cibaria contraherentur) signum receptui dedit. Quum retro vnde veneramus regredremur, manè quodam ad primam fermè Auroram fortè duos ignes eminus repente conspicimus, vnum in monte, alterum in planicie: quum vtrōque ire liberet, agmine in duas partes diuiso, alij in planiciem, alij ad montem contendunt. Qui in plana sese demiserant, velocius quò destinabant perueniunt: ibique reperta tantum anu quadam cum filia, quæ infantem aleret, manus vtrique iniiciunt. Illæ somno correptæ facillimè oppressæ sunt, sed improviso irruentium impetu excitæ, tantum clamorem ediderunt, vt qui in monte erant procul eam vocem exaudirent. Itaque priusquam nostri ad eos peruenissent, clamorem & ipsi altè tollunt: vnde nostri pauci Indorum multitudine territi, retro sese ad suos recipiūt ut iunctis cum reliquo agmine viribus, vbi nos eramus, hostem propulsarent. Interea hostes iuga & aditus quā subire nos oportebat, occupare festinant: sed quum orta lux maiorem armatorum multitudinem quām quantum rati erant aperuisset, præsidio excesserunt. Nihilo secius interea abeuntes sagittis venenatis configere nostros, & conuiciis incessere, latrones, canes, proditores, præ-

Hispani in
India pre-
das homi-
num agūt;

dones vocando & probra alia obiectando: neque dubito quin, nisi ab amicis nostris prohibiti & fugati essent, ingens clades accipienda nobis fuerit. Ita absque ullo detimento saltum illum superauimus, relicta anu illa quam ceperamus, quum ambulare non posset: ac bideruo post ad eum locum ubi praefectus erat, peruenimus: mox inde, refectis aliquot dierum quiete corporibus, & correptis aliquot lintribus quis indigenæ vulgo uti soleret, octoginta fermè millia passuum eius oræ percurrimus. Indi alueis ex singulis arboribus cauatis uigia mo- nauigant, quas cymbas illi Piraguas vocant, & earum maximæ quinquaginta circiter homines ferunt.

PO R R O quum per omnem eius oræ longitudinem Indorum aliqui è montibus ad dorū mā- marē piscandi caussa descendere consueissent, cipiorum ratiō nos eius moris minimè ignari, aptis ad insidias locis abditi, vnde minimè conspici possemus, totum saepe diem opperiebamur, si quos fortè in æquum degressos excipere possemus. Mox ut Indi apparuerant, tum nos subito omnes ex suis quisque latebris exorti, in eos, ceu lupi in agnos, vndique impetum faciebamus. Hac arte amplius quinquaginta mancipia, omnes fermè fœminas, cum liberis paruulis, cepimus: tandem tamen, quum ea omnia littora crebris exscensionibus infesta fecissemus, à quibusdam inimicis Indis conspecti sumus. Illi verò pescantes simulac nos viderunt, ingenti clamore sublato aliis signum nostri aduentus deder. Itaque quotquot circum ea littora erant,

diffu-

diffugiunt: nos verò in terram egressi nihil prædæ inuenimus, præter siccōs pisces qui craticulis ex arundinibus compactis impositi lēto igne torrebantur, & locustas ad solem exsiccatas, quas indigenæ vt domi recōderent, linea-
tim filo traiecerant.

Dux noster postquam detecta fraude præ-
dam hominum se facere vltra non posse intel-
lexit, retro iter flexit & ad domum pauperis
cuiusdam reguli Hispanis amicitia iuncti, ap-
plicans: postquam eum muneribus, phiala vi-
ni, induſio vno, & cultellis aliquot conciliaſ-
ſet, blādis verbis rogat velit se deducere in lo-
cum vnde prædari mancipia possit. Regulo
Christianos secum ducere in expeditionem
non placuit, sed sumptis aliquot è suis abiit, &
postridie eius diei reuersus deceim & sex Indos
adduxit manibus post tergum reuinctis, eōſ-
que ductori nostro dono dedit. Is ei multas
gratias agens promissis hominem implet, spō-
dētque se aliâs ei maioris pretij res & elegan-
tiores allaturum. His gestis, Cariacum reuer-
timur: die sequenti in Cumanam peruenimus:
Præfectus captiuos in Cubaguam mittit, &
Indis sociis, qui cum prosequuti fuerant, do-
mos suas redeundi potestatem facit. Illos ab-
euntes in itinere inimici adoriuntur & qua-
tuor interficiunt: reliqui in Cumanam regres-
si præfectum adeunt, & calamitatem suā que-
rentes rogant vt secum Christianos aliquot
armatos mittat, qui coimunes inimicos vici-
ſcantur. Præfectus, quanquam vicem eorum
vehementer dolere vultu & verbis præ se fer-

Hispaniam
capiendos
Indos In-
dorū ope-
ra abutum
tur.

ret, tamen quando praeuertendum ei aliud maioris momenti incepturn esset, in praesentia ipsis consulere se non posse respondit: verum fidem interea dare, hostes no impunè eam iniuriam laturos, sed simulac facultas adfuisset, se meritas de illis poenas sumturum. Illi male admodum contenti & offensi abeunt, diras in Christianos & eorum rapinas iacentes, qui tot ipsis malorum auctores & causæ essent.



Indi captiui quomodo ab Hispanis tractentur.

Pariensium mores, & arma.

C A P . I I I .

PRAEFECTVS paucos post dies cum vniuerso agmine è Cumana soluens & oram occasum versus legens ad Amaracapanam appellit. Oppidum est quadraginta fermè domuum, quod quadringenti Hispani assidue incolebant. Ii quotannis è suo corpore legebant ducem, qui dimidia militum parte attributa & multis eius sinus accolis Indis quibuscum societas erat, assumitis, per multas eius oræ prouincias predatum discurrebat Ibi dum moramur, Petrus de Calice trib. mil. quatuor millia mancipiorum & amplius trahens, venit: multo etiam plures captos adducturus, ni partim labore, lassitudine & alimentorum penuria, partim ægritudine animi & desiderio patriæ, parentum ac liberorum, quos inuiti relique-

liquerant, permulti in via defecissent. Non nullis etiam, quum agmen raptim ductum facile sequi non possent, ne ad bellum instaurandum supercessent, Hispani latera & pectora ferro traiecerant. Spectaculum profecto fœdum ac miserabile intuentibus calamitosum agmen illud seruorum: nuda, lacera, mutilata corpora, fame & miseria debilitatos viros fœminasque. Infelices matres cerneret duos trésve filios trahentes, aut collo atque humeris gestantes, mœrore & lacrymis perditas: omnium ceruices, brachia, manus, funibus & catenis ferreis innexa erant: neque ullā inter eos adulta virgo, quam prædatores non stuprascent: tam profusa libidine, ut ea mox Hispanis in contagionem atque inde in perniciiales morbos euaderet. Iste tribunus mil. amplius septinginta millia pass. à mari in mediterranea earum regionū penetrauerat, quæ sub primum Hispanorū aduentum frequenter & incolis refertæ: quum ego eò veni,
Hispani solitudinē in India fecerunt. propemodum in vastitatem & solitudinem redactæ erant. Hispani equites qui aduersus eos populos bellum gerunt, thoracibus gossipio bene suffultis muniti corpora, lanceisque & gladiis armati, prælia ineunt: peditū arma scutū, ensis, ballista: tegmē quoq; corporis equestri simile, sed leuius. Tormentulis verò loricis, aut thoracibus ferreis non vntur, non tantū propter humidos vapores, qui è palustri & viginoso solo dignuntur, sed quia quum saepius in campis milites cubare necesse sit, partim sua sponte abundantius hu-

mescente terra, partim roscidis admodum noctibus, id genus armorum breui corrumperetur.

C E T E R V M , meo iudicio, totus ille tractus & ingenti illi sinui Pariensi adiacens regio quâ meridiem spectat, omnium quotquot adij Indiæ terrarum amœnissima est & fera-cissima. Siquidem ibi spacioſa planicies est, fertiliſ terra & aliſidue flores fundens tum suauis tum terti odoris : arboribus, velut vere perpetuo, toto anno folia durant, etſi paucæ ſunt ſalubres & frugiferæ: plerisq. etiam locis magna viſ caſiæ reperitur. Prouincia hæc in vniuerſum calida eſt & humida. itaque multa ex eo inſecta generantur: in iis culices, incolas noctu plurimum infestantes, & magna viſ locuſtarum, quæ ſatis perniſiem inferunt. Incolæ earum regionum penem tubo è cucurbitula, ceu theca aut vagina, includunt, cetera pendere extra ſinentes: quondam eiuscemiſi bracculas aureas & vniōnibus decoras gera-re conſueuerant, ſed Hispani hunc illis morem finierunt. Fœminæ viris iunctæ peplo aut caſtula (quam Pampanillam vocant) muliebria velant: virgines faſcia tantūm aut vitta. Regulis quām multas libet vxores ducere licet: vna tamen tantūm legitima habetur, eiique in ceteras imperium eſt. Plebeij tres quatuorve ſibi pro arbitrio iungunt: mox vbi conſenue-re, eas ablegant & iuniores aſciscunt: & coniugum ſuarum virginitatem delibandam tradūt facerdotibus quos Piacchos appellant.

C E T E R V M Indos non in Pariensi tan-tūm

Pariensis
regio In-
diae ferè a
mœnissi-
ma.

Pariensib.
que lex
matrimo-
niij ſit.

tum sinu, sed in aliis quoque Indiæ tractibus, piscatus fermè alit: vinum è Maizio, quod pro frumento illis est, & aliis fructibus radicibusque, moliuntur. Humana quoque interdum carne, pediculis simiarum ritu, ranis, vermibus & aliis eiusmodi spurcis alimentis vescuntur. Vnguentum quoddam ad confirmandos dentes conficiunt hoc modo. Vnionum ferales conchas cum foliis Axi cremant: mox cinefactas modica macerant aqua, donec calcis candorem referant. Eo vnguento illitos dentes tam atros reddunt quam carbo est, & tali remedio eos semper absque dolore conseruant. Nares quoque, labra, aures, perforare possimus illis: & corpus variis herbarum succis aliisque rubris & nigris fucis distinguere: denique quò absurdiore cultu sunt, eò sibi pulchriores videntur. Reguli lectis, straguli aut to ralis longioris quam latioris instar factis, vttuntur: plebeij verò ferimè omnes retis ad formam suos contexunt, omnes quidem pariter è gossipio, & in iis ad duo tigilla alligatis atq; in aëre suspensis dormiunt. Qui in campis cubant, aduersus nocturnum frigus, perpetuum ignem vna ex parte, altera lectum, habent. Atque hunc in vniuersum cubandi usum morisque seruant earum rerum regionum in colæ usque ad fines Nominis Dei (id oppidum Cubaadi Panamensis isthmi est) neque alia dormiendi consuetudo est in multis Septentrionalis Oceani insulis.

Medicamen dentibus confirmandis, Patientibus usurpatum.

A R M A illis præcipua arcus & sagittæ venenatæ. eas dupliciter fingunt, prium è pal-

ma, deinde arundinibus quibusdam concin-
nis, quas in ripis fluuium enatas, in opia
ferri duris piscium squamis aut silicibus acu-
tis asperant, mox bitumine nigro vngunt:
pestiferum id virus est è radicibus, herbis, for-
micis, pomis, aliisque foedis succis, permixtum,
quod vetule cum serpentum sanie multo labo-
re & diligentia decoquunt, donec ad exactum
modum adduxerint: nec pauci interca tetro
vapore, qui ex dira illa colluic exhalat, exan-
imantur. Si quis sagitta eo liquore adhuc re-
centi peruncta saucietur, ei corpus intume-
scit, vi veneni adeò rapida vt breue intra spa-
tium rabie correptus intereat: si verò vene-
num aliquanto antè aut dudum factum sit,
maximam partem lethalis efficaciæ deperdit.
Venenii huius remedium præsentaneum est
ferrum candens, inustum vulneri: & multos
egò noui Hispanos, qui ea ope sanati sunt.

PORRO omnes serui qui ab Hispanis in iis
Indicis mā prouinciis capiuntur, abducuntur in Cubacuā:
^{cipiis quo-}
^{modo abu} siquidem in ea insula Regis procuratores re-
tantur Hi- sident, qui regia vectigalia colligunt, nem-
pani. pe vniones, aurum, mancipia, & cetera id ge-
nus, ex quibus omnibus quinta Regi penditur,
id est, viginti è centum. Seruorum omnium
faciei & brachiis ferro ignito, C. litera in-
sculpto, nota inuritur: mox præfecti & duces
de illis pro arbitrio statuunt: pars quoque mi-
litibus in predam cedit, qui eos postea aut Hi-
spanis aliis venumdant, aut de illorum capití-
bus inter se colludunt. Apellentibus quoque
eò ex Hispania nauibus, mancipia ista vino,
farina,

farina, nautico pane & aliis rebus necessariis, perfmutant: & quamuis Indicæ mulieres aliquæ ex Hispanis prægnantes sint, eas tamen quoque vendere nulla ipsis religio est. Mercatores eos seruos inde auctos alio, reuendunt. Alij mancipiis magnos quosdam phaselos ad formam celocium (quas Carauellas vocant) factos complent, & in Hispaniolam insulam transmittunt. Sed præterquam quod mediterranei homines (quippe qui remotis ab Oceano terris ferè capiantur) nauigandi tedium ægrè tolerantes: ad hęc conferti stipatique in carinis sub tabulatis nauium, inter putidas sentinæ sordeis, nauseasque & reliqua excrementa corporum, ceu pecora, in fæce ac stercore conputrescunt: etiam non rarò, in summa maris malacia, tanta aquæ & ceteri victus penuria laborant, vt fermè omnes siti, fœtore atque æstu anima interclusa fœdum in modum exspirent. Quibus ex rebus hodie totus ille tractus & ora Pariensi sinui circuiecta ab Hispanis desolata est. Quum enim iam neque vniones, neque aurum ibi reperiatur, & piscatio margaritarum finem ceperit, nulla Hispanis spes quæstus, nisi ex mancipiis, supereft, quæ & ipsa hodie pauca sunt. Earum enim regionum incolæ pristinæ libertati Cæsaris beneficio restituti, alio demigrarunt.

1 A xi, planta vulgo nota in insulis & continentia Indiae Occid. cuius fructu Indi per totum annum pro condimento & pipere utuntur.

2 DE primo huīus coloniæ conditore, & cur ita dicta sit, infra huīus lib. c. 22. De eius situ lib. 2. c. 9.



Indi Hispanos mortales esse, quomodo deprehenderint, quum immortales esse crederent.

C A P. IIII.

NVNC ad Amaracapanam reuertor, quò, paucis postquam eò veneramus diebus, Regiæ San-Domini-ci curiæ mandatum allatum est. Ea iubebat Hieronymum Ortalum præfectum propter delictum ab ipso commissum, corripi, & firmo cum præsidio tutò in Hispaniolam perduci. Quare expeditionem illam promissam effluere sinens, spem quoque diuitiarum quam mihi sèpe fecerat, secum abstulit. Sed me præterea ex cæli mutatione, insolentia ciborum & vehementiore ęstu affectum, quum ad hæc malè cubando multum humili terreni traxisset, morbus corripuit: ac nisi virus extitisset, qui meas miserias respiceret, res meæ in perditissimo statu haud dubiè erant. Is Antonius Castellanus fuit, sacerdos Gallus, nobilis, summa vir comitate ac liberalitate, quam decora & plena dignitatis corporis species honestabat, que res ei omnium benevolentiam ac reuerentiam conciliauerant. Is me in Amaracapanæ portu naui impositum in insulam Margaritam misit, iussitque ibi aduentum suum opperiri, vbi maximam partem seruitiorum suorum & facultatum habebat: móxque vt eò venit, tanta in me charitate ac beneficentia vsus est vt si ex eo natus essem.

Neque

Calli er-
ga Italum
in India
benigni-
tas.

Neque enim tantum sex menses domi sue me dilecti filij loco habuit & curauit, sed recepta quoque valetudine inde abire volentem commiter dimisit, rebusque omnibus ad nauigandum necessariis copiosissime instruxit.

INDE quum carauella vna mancipiis onusta soluissemus, & oram legendo promontorium seu Caput-Veli circumuecti, altum non sine magnis laboribus propter summam maris tranquillitatem traiecssenius, tandem Boriquenam insulam tenuimus: quæ ab Hispanis vulgo S. Ioannis dicta, etiam propter ingentem auri & argenti vim in ea repertam, S. Ioannis de Portu-ricco, id est diuite, nuncupata est. Quum primò Hispani eam insulam subigere aggressi essent, insulares eos immortales esse pro certo habebant: eius rei periculum facere vnum è primoribus insulæ regulis aliquando constituit: dat negotium famulis ut Hispanum quendam, hospitem suum, perlatum ad flumen, tandiu pede uno retentum sub aqua mergi sinerent, donec extingui posset si mortalis esset. Illi sic demersum & suffocatum Hispanum humeris ad herum deferunt: is quum haud dubie mortuum esse videret, & tali experimento iudicaret ceteros quoque mortales fore, iniuriis Hispanorum accensus, à quibus auarè ac crudeliter habiti erant, in eos cum ceteris regulis coniurat. Illi in Hispanos nec opinantes vna impetum faciunt, & centum quinquaginta trucidant, qui per insulam palati & auro legendo intenti erant: ac ne vnuus quidem cladi superfluisse, nisi Di-

Indi Hispanos mortales esse quomodo prehenderint.

dacus Salazar cū noua manu laboratibus sub-sidio venislet. Ex ea insula, vbi dierum aliquot quiete recreati essemus, soluentes, breui in Hispaniolam appulimus, atque in ciuitatem San-Dominici venimus. Ea prima terra ab Hispanis in illis regionibus frequentata, & colonia condita est.



*¶ Christophorus Columbus Genuensis primus Indiæ Occid.
repertor, vt cunque Hispani eam laudem
alteri transcribant.*

C A P V T V.

Splendida fabula de primo Indiæ occid. A M verò quis incognitas quondam eas terras primus aperuerit, inter scriptores non satis conuenit. Primum Franciscus Lopez de Gomara in secunda parte Historiæ generalis Indicæ in hanc sententiam scribit: Nauclerus quidam inuictore, in Oceano nostro celoce nauigans, flante diu " & vehementer Apeliote raptus, quum vento " obsequi ei necesse esset, in regiones incogni- " tas delatus est, quæ neque in Cosmographi- " cis vllis tabulis notatae, neque in indicibus na- " uigatoriis extarent. Inde ægrè in Hispaniam " reuersus, tribus tantùm aut quatuor nautis " superstribus, in ipso portu morbo extinctus " est, quem ex miseria, fame, siti, ceterisque in " tam longa nauigatione perpeccis malis, con- " traxerat: neque ullam aut nominis aut patriæ " suæ memoriam reliquit. Quanquam ne id quidem

quidem ipsius culpa accidisse putandum est, " sed aut quoruindam malitia, aut eius inuidia " quam Fortunam vocant. Eum nonnulli Tur- " detanum seu Vandalum fuisse tradunt, ac tum " mercaturas factitare solitum in Canariis in- " fulis & Madera, quum ei longus ille & exitia- " lis error obtigit. Alij Cantabrum ferunt, in " Anglia & Gallia negotiantem. Sunt etiam " qui Lusitanum fuisse contendant, qui tum ad " Minam (vt vocant) vel in Indiam nauigaret, " aut inde rediret. quod quidem commode qua- " drat nomini nouis hisce terris imposito. Præ- " terea dicunt nonnulli Nauclerum istum cara- " uella vna appulisse in Portugalliam : alij in " Maderam , aut aliquam Hesperidum : nemo " tamen ea de re certi & explorati quidquam af- " firmat. Omnes tantum in eo uno consentiunt, " quod videlicet Nauclero illo apud Christum " Columbum extincto , penes eum defuncti " hospitis aduersaria , chartæ , & indices omnes " remanserint , atque in iis relatio tam longin- " quæ nauigationis cum designatione Paralleli " & Climatis eius oræ tum primum repertæ. "

E t paulò pōst : Principiò Columbus nau- " culariam exercuit , & multis annis Syriam a- " liásque Orientis oras obiit. Inde indices ma- " rinos seu chartas navigatorias confiscere ag- " gressus , atque eius artis peritiam consequi- " tus , vnde fortunam & opes postea nactus est, " Portugalliam adiit. vt Australia Africæ litora " & quæcunque tum Lusitani nauibus perlu- " strabat, cognosceret, atq; ita nō parua accessio- " ne auctis & illustratis Indicibus suis maiorem "

» autoritatem preciūmque conciliaret. Postre-
 » mó in eo regno vxorem ducit, vel(ut nonnul-
 » li tradunt) in Madera insula, vbi tum, opinor,
 » commorabatur quum dicta antè carauella ap-
 » plicuit. Ibi ergo quum esset, nauis eius for-
 » tè magistrum eò ex diurno errore appellé-
 » tem domi suæ excipit: is Columbo omnem
 » nauigationis suæ historiam exponens, quid-
 » quid de oræ à se repartæ situ & parallelo comi-
 » pérerat, aperit, contendítque ut nauigatoriæ
 » paginæ quam ab eo emebat, nouæ illius terræ
 » sp̄cimen simûlque eius nomen à quo inuen-
 » ta esset, adscriberet. Interea Nauclerus ille
 » moritur: indicium & relationem cius terræ
 » Columbo relinquit. inde Columbus primùm
 » nouæ illius Indiæ notitiam habuit. *Idem scri-*
 » *ptor postea subiungit:* Ne quid intactum præ-
 » termittam, sunt qui Columbum linguæ Latî-
 » næ & Cosmographiæ peritum fuisse affirmēt.
 » Quíunque Platonis Timæum & Critiam le-
 » gislet, vbi ille ingentis cuiusdam insulæ Atlan-
 » teæ meinhinit, & obrutæ aquis terræ quæ Afri-
 » cam & Asiam amplitudine excederet, eo im-
 » pulsum ad vestigandas Antipodum terras &
 » auream illam Marci Pauli Cipangon. Adhæc
 » legisse apud Aristotélem, vel Theophrastum,
 » in libro De mirabilibus, negotiatores quoſ-
 » dam Carthaginenses, à freto Herculeo in
 » Occidentem & Meridiem nauigantes, tandem
 » multis exactis diebus in vastam quandam in-
 » sulam peruenisse, desertam illam quidem &
 » incolis vacuam, sed rebus tamen humanæ vitæ
 » necessariis abundè instructam, & fluuiis nauि-
 » gabilibus

gabilibus perfusam.

Mo x idem autor satis fidēter: Evidēt Co-
lumbum (inquit) si suo marte & ingenio vbi
esset noua India cognosset, multò antē quām
in Hispaniam venir et, de ea peruestiganda cū
suis Genuensibus acturum fuisse existimo, qui
tum negotiandi causā totum orbem peragra-
bant: sed tale quid aggredi ci nunquam ve-
nit in mente, donec cum Nauclero illo Hi-
spano egit, qui eam tempestate maris actus
repererat.

S E D hæc vt fabulosa & indigna fide refel-
lere, non magni operis est. Petrus quidēm
Martyr Mediolanensis, in eo quem de his
conscriptis libello, Columbum ea de re cum
civitate Genuensi egisse ante omnia testatur,
similque causam commemorat quæ eum ad
vestigandas illas oras impulerit. Eius verba
hæc sunt: Quum Columbus (inquit) pro suo
more ac instituto, trans Gades in Portugal-
liam & omnem illam Oceani oram nauigaret,
sæpenumerò animaduertit, & quidem multa
cum cura & diligentia obseruans, vētos quos-
dam statis anni temporibus ab occasu flare cō-
sueuisse, qui multos dies constanti & æquabi-
li tractu spirarent. Quos quum non aliundē
quām ex transfinarina aliqua ora, cuius halitu
gignerentur, proficiisci posse iudicaret, tamdiu
circa eam rem cogitando animum versauit, vt
eius certitudinem quærere aliquando consti-
tueret. Ergo annos natus fermē x L. Senatui &
populo Genuensi coram sua consilia exponēs
spopondit se si à ciuitate aliquot quibus in-

strueretur, Herculis columnas præteruectum tamdiu in Occidentem nauigaturum, donec orbem circumuectus in aromatum feraces insulas perueniret. Sed eius rei inceptio tum primùm audita incredibilis videri omnibus, quibus videlicet nihil tale vñquam, ne somniantibus quidem, venisset in mentem, & nihil tamen eorum quæ ad nauigandi artem pertinet, ignotū esse videretur. Itaque omnes hanc Columbi commentationem, ceu inanem fabulam aut somnium, respuerunt: etsi fortè accepissent veterum scriptorum alicui proditum de quadam ingentis magnitudinis insula, quæ multorum dierum in Occidentem nauigatione à Gadibus distaret.

H A V D equidem dubitem eam ipsam fuisse causam qua impulsus Columbus nouas illas terras quærere aggressus sit: vnde facilè existimare licet Gomarā multis argutis commentis veritatem permiscere ac corrumpere conari, & quidem eo consilio vt immortalem Christophori Columbi famam immiuat. Quippe ægrè multi patiuntur, peregrinum hominem, & quidem è nostra Italia ortum, tantum honoris ac gloriæ consequutum, vt non tantum Hispánicæ gentis, sed & cuiusvis alterius, homines superauerit.

N O N alienum fuerit hoc loco quiddam narrare quod Columbo in Hispania, vti accepi, contigit, posteaquam iam Indiam reperezat (etsi enim id olim quoque aliquando esset factum, recens tamen hoc inuentum, eius est) **Quum** fortè Columbus celebri conuiuio cum multis

multis nobilibus Hispanis adhibitus esset, &
 inter eos (vt fieri solet) de India sermo ortus
 esset, vnuſ eorum ita eum alloqui cœpit : Do-
 mine Christophe (inquit) etſi tu Indiam
 non reperiffes, non defuſſet tamen in hac no- Colubus
 stra Hispania, qui idem ac tu tentaffet, vt quæ raordaces
 multis magnis viris & ingeniosis abundet, inuidorū
 Cosmographis & literatis. Ad ea Columbus in se ser-
 nihil prorsus respondit : sed ouo afferri in tri- mones in-
 clinium iuſſo & mensæ imposito , verſo ad o- geniosē re-
 nines sermone : Agedum, inquit, domini mei, percuit.
 cum quolibet vestrū deposito in cœnam pi-
 gnore certo , ne minem eorum qui h̄c sun̄ fa-
 cturum ouo iſto quēd ego facturus sum, nem-
 pe vt nullo nixū adminiculo, stans & erectum
 in pedem suopte nutu maneat. Experti sunt
 omnes , neque vlli eorum successit : sed quum
 circumacto orbe ad Columbi manus perue-
 niſſet , ipſe ouum , altero ciuſ fastigio mensæ
 illifo ac leniter quassato , rectum firmāmque
 constituit. Ea res omnium animos verecundia
 pupugit, postquam vtique illis patuit quid si
 bi tacitis ambagibus vellet: Nimirum, id post-
 quam primus ipſe tentaffet, iam apertum om-
 nibus & factu facile esse : debuisse ipsos potius
 principes Indiæ quærendæ viam rationēmque
 inire , nec se ridere qui primus id experiri au-
 sus esset, sicuti antè id cœptanti mirabundi
 illufſſent , quaſi rem impossibilem aggref-
 dienti.



*Christ. Columbi constans quærende Indiæ nouæ propositum,
atque vt diu irrita spe, tandem à Ferdinando
Castellæ rege classe instructus,
voti compos fuerit.*

C A P. V I.

NVNC, vt ad institutum reuertar & exequi pergam quomodo hæc India primùm à Columbo inuenta fuerit: vt cognouit ipse ad tam præclari operis incepturn suscipiendum in Genuensibus parū opis sibi esse, transgredi vterius in Occidentem statuit: spe haud dubia fore vt ab aliquo principum, quorum ibi diuitię atque opes inclytæ essent, rebus ad eas quas ardenter deperiret terras explorandas necessariis aliquando instrueretur, Itaque in Portugalliam concedens, inde fratrem suum Bartholomæum ad Henric. vii. Angliæ regem mittit, qui fauorē & naues Indiæ vestigandæ peteret: promittens se breui ex terris illis incredibiles diuitias allaturum. Sed Bartholomæus inde irrita spe & sine ope rediit. Itaque cum Alfonso v. Portugalliae rege Columbus eā rem communicat, eumque supplex rogat, vt sibi naues aliquot armis & commeatu instructas tradi iubeat: se verò fidem ac iusiurandum dare, tamdiu in Occidentem nauigaturum, quoad ditissimas auri, gemmarum & aliarum deliciarum quibus precium est, prouincias inueniret. Verum

rūm sicuti Columbus à Genuensibus suis provenio habitus erat, ab Anglis ridiculus, ita tum quoque à Lusitanis pro futili & deliro circulatorē derisus est. Erant tum in Lusitania homines, qui Cosmographicam artem profitentes, nullam se eius partem ignorare arbitrarentur. Itaque superciliosè Columbum despicientes, regi suadebāt, ne quam peregrini hominis somniis fidem adhibere vellet. Quippe amentem esse: neque in Occidente autem, aut diuinarum quidquam existere posse, veluti exploratum affirinabant. Imo neminem subiectam Æquinoctiali lineaæ plagam transgredi posse, quin immodicis solis ardoribus torreteretur, siquidem eo in spatio maiorem æstus esse vim, quā perpetua inter duos Tropicos solis orbita & cursus est.

C O L V M B V S vbi in Portugallia se ac verba sua ludibrio esse vidit, in Castellam professoris aulam Ferdinandi & Isabellæ regum adit, eisque suas cogitationes, ut ceteris, exponit, similiisque eas quam efficacissimis potest rationibus, exemplis & testimoiiis confirmat. Sed illis, et si principia ipsa primò arriderent, incredibilia polliceri videbatur. Tandem consumptis aliquot in aula annis, cum in propposito constanter perseveraret, & tantæ rei spem exemplis & demonstrationibus euidentissimis confirmaret, ad extremum quorundam Hispaniæ procerum ope atque interuentu aditum ad Isabellam reginam obtinuit. Itaque tēpus familiariter cum ea colloquendi nactus, adeo firmissimis rationibus eam labefecit, ut

dictis suis assensum fidemque præbere cogeret: donec tandem presuasa promitteret se ea de re cum Rege acturam, omnique ope atque opera enixuram nequid illi rei ad inceptum illud exsequendum necessariæ deesset. Quamobrem breui, Deo bene iuuante, & magnanimæ eius Reginæ supplicatu, Rex Ferdinandus liburnicam vnam & duas carauellas Christophoro Columbo instructas & armatas tradit.

Prima Ipse, cum Bartholomæo fratre, ineunte Christ. Co. Augusto, anno M. CCCC. xci. è Calicio lumbi in portu vela in altum faciēs, Gomeram insulam Indiam naūigatio. tenuit, quæ vna è septem Canariis est. Ibi aliquot dies commoratus, ut aquam & cetera inde necessariæ sumeret, cœptum iter, Occidentem solem sequutus, peragere instituit.

Porr o quum emensa dicrum aliquot navigatione nondum terra vlla in conspectu esset, milites in Columbum fremere incipiunt: ille mitigatis eorum animis, trigintaquinque dies nauigando extrahit, neque vlla tum quoque terræ nota aut indicium apparebat. Itaque socij apertè Columbo minari & probra pro se quisque ingerere, Genuensem impostorem & planum palam vocantes. quippe necire eum quorsum tenderet aut quò appelleret, & se eius ductu in certam perniciem ruerre. Hic Columbus pro virili simul rationes suas firmare, simul eos precari, & orare ne animis per impatientiam deficerent: sibi spem esse, Deo bene iuuante, breui terram nouam in conspectu fore.

Colub*i* in
toleranda
Hispano-
rū impati-
tia inui-
etus ani-
mus.

Hic tum vocibus sedati, quum aliquot preterea dies nauigassent, neque vlla tellus occurseret, fremitum in nauibus redintegrant, & se reduci iubent: alioqui pertinacius ultra tendentem in mare projecturos. quippe vltius progradientibus non suffecturos commeatus, maximè aquam, quæ in Hispaniam reuersuris necessaria foret. Ad extremum eò res rediit, ut promitteret reuersuros nisi intra triduum terram vidissent, interea perspicuè ostendens non tantum suffectura ad redditum alimenta, si moderatè vti vellent, sed multo etiam longius. Itaque prosperè iter exsequi pergens, postridie eius diei demitti vela iubet: ac credibile quidè est, quum id diceret Columbus, haud procul terra affuisse, idque ex cæli conspectu deprehendisse, aura, & nubeculis quæ circa orientem solem in horizonte apparet: aut certè instinctu quodam ingentis & inuicti animi.

Nocte quæ eum diem sequuta est, nauita quidam Lepiensis, è summo mali fastigio alta voce proclamans, Ignem, inquit, ignem prospicio. Tū euæstigio excipiens adolescens quidam, Non diu est, inquit, quum mihi dominus meus Columbus id ipsum dixit. Nauta ipse ingenti lætitia & spe auctus, haud dubius se simulac Hispaniam attigisset, tam fausti nuncij à Rege præmia laturum, quòd primus visi ab se ignis è nauis signum dedisset: postquam indonatus abiit, ira & dolore victus profugit in Africam & Christi fidem exuit.



Columbus noua India reperta, primò ingenti Hispanorum gaudio, mox inuidia & calumniis excipitur. Cubam & Hispaniolam detegit. Indi Hispanos amicissime excipiunt. Hispani Indos auro & ornamentis, per speciem amicitiae, spoliant.

C A P. V I I,

IAM quanta omnes voluptate perfusi fuerint, postquam nouam eam terram conspexere, nemo dicendo assequi possit. Alij vix præ gaudio mentium compotes, nouam oram intuendo explere oculos non poterant: aliqui perfusi lacrymis Columbum amplectebantur: nonnulli venerabundi manus eius deosculabantur, & qui eum offenderant, ignorantia petebant veniam: denique omnes sese admirandæ ipsius virtuti humiles seruos ac deuotos ferebant. Interea Columbus demitti scapham in mare iubet: egreditur in terram: & deiecit a arbore crucem ex ea factam in nomine D. Iesu Christi crucifixi in litore statuit: & Noui illius mundi ius ac possessionem Regum Catholicorum nomine usurpat. Hoc modo Columbus propria virtute atque ingenio, secundum Dei gratiam, primus Indianam nouam aperuit.

NE Q V S minus tamen ex tam mirabili opere, cuius ipse autor & effector extitit, mille in eum inuidorum calumniæ exortæ sunt, ut mox dicam. Primum enim Regij fisci procuratores, postquam in Hispaniam reue-

Columbo inuidia ex gloria oriente.

reuenerat litem ei intenderunt, iā à fratribus Pinzonibus Martino & Francisco duarum caruellarum magistris, apud Regem accusato, quòd, nisi ipsi à fœdo incepto deterruissent, regredi in Hispaniam ex itinere, non visa India, parasset.

C E T E R V M , possessione Indiæ , vt diximus , usurpata , quum ibi diutius morari Columbus operæ premium non duceret , quòd ea insula in quam appulerat , exigua esset : regressus in naues vterius prouochitur & multas alias insulas detegit . Quum in Cubæ litora exscensionem fecisset , eam Fernandinam in memoriam gratiāmque Ferdinādi regis nuncupat . Ibi haud satis libenter ab insularibus conspectus est : quinque interea fortè mare turbari cœpisset , & ipse quòd in statione non satis tuta & fida nauibus esset , metueret ne tempestas nauigia , ad scopulos allisa frangere , subito soluendi signum dedit .

I N D E prouectus in Haytin insulam appellit , quam Hispaniolam nuncupat : sed ibi iactis in portu ancoris , quem Regium nominavit , Prætoria nauis scopulo icta frangitur : quotquot tamen ea vehebantur homines cum maxima commeatuum parte , duarum caruellarum ope naufragio erepti sunt . Indi complures per omnem litoris oram sparsi nauem mirabundi spectabant , sed simulac egredientes in terram Christianos viderunt , correpti formidine , celeri fuga dilapsi sunt . Hispani cursu vnam ex iis fœminam assequuti ad Columbum perducunt : ille mulierem cibo potuq;

Fernandi-

na insula ,
vulgò Ce-

ba.

Hispanio-

la insula ,
vulgò

Hayt.

expletam, eleganti & in mundo inducio vestiri iubet: mox signis edoctam iussamque ire ad suos, eosque hortari ut fidenter & sine ullo metu ad naues venirent, dimittit. Illa abit: Barbari foemine circumfusi, eam inusitatō cultu vestitam non sine ingenti stupore aspectabant. Illa Columbi comitatē & munificētiā in se inter populares prædicat: ceteri huīus verbis adducti, præterca nouæ gentis barbatæ & vestitæ videndæ cupidine, certatim lintribus suis carauellas circumdant.

**Cælū non
animū,
mutant,
qui trans
mare cur-
sunt.**

Ibi gaudium ingens pertentare Hispanorū animos cœpit, quum neminem in tanta Indorum multitudine viderent, cui non aurum & argentum in brachiis, collo & auribus fulgeret: mox etiam ea petere ab Indis ultro incipiunt: & illi, qui eas res parui facerent, cuilibet liberaliter & hilariter dabant. Columbus quum tantum Indorum in nauibus videret quantum vix illæ capere poterant, in terram cum multis Hispanis euadit. Ibi quum ab eius loci Cacico (ita regulos patrio idiomate appellant) cui nomen Guacanarillus, summa comitate exceptus esset, muneribus inuicem datis acceptisque ambo fidem futuræ amicitiæ sanxere. Eum Columbus induisiis, pileolis, cultellis, speculis, crepitaculis & tintinnabulis, donauit: Cacus contrà satis magno auri pondere eum remunerans, è suis aliquot misit cum lintribus patriis (illi Canoas vocant) qui ad efferendas in terram res & onera fractæ nauis Hispanis operam

operam darent. Quam quidem illi adeo amico animo & propenso studio præstiterunt, ut si suæ illæ res esissent.



*Indi de funesto Hispanorum in suas terras aduentu
demonum oraculis moniti. Prima co-
lonia Hispanorum. Columbus
in Hispaniam reuersus
præmiis au-
getur*

C A P . V I I I .

MI R A B I L E M insulares illi Indi cuiusdam oraculi memoriam te- niebant, inde à patribus traditam, quo vera & futura prædicebantur: Non multis videlicet ab illinc annis venturam in eas oras barbatam gentem, quæ simulacra deorum terræ allideret, & filiorum ipsorum sanguinem effunderet. Hoc si certè tum illis venisset in mentē, non tam festo cum triūpho & lætitia aduenientes Hispanos excepissent.

C E T E R V M quum peteret Columbus vnde metallum illud fuluum nanciserentur, illi nutibus, & signis demonstrabant, è quibusdam fluminibus mediterraneis peti, qui ex altissimis montibus decurrerent. Affuebat interea quotidie ex omnibus locis noua eius gentis & copiosa multitudo, vt inusitatas nostrorum hominum barbā gestantium for- mas cultumque viserent: fructus, pisces, aurū, panem & alia alimenta, vndique afferentes: ac

Indi, quā simiarum more vestigia ritūsque Christiano-
quā simiē, semen ta- rum imitantes, quoties hi genua flexerant,
men ali- flectebant & illi: Christiani reuerenter ocu-
quod pie- los in cælum sustulerant: Indi pariter & ipsi
zatis sibi inesse o- tollebant. denique quidquid ab Hispanis ad
stendunt. recitandum Aue Maria manè & vesperi con-
uenientibus fieri soleret, itidem & ab istis
fiebat.

C O L V M B V S ipse non mediocri lætitia
affectus propter nouas illas repertas terras,
auri adeo & argenti feraces, quum Hispaniam
repeteret & alterius inuenti mundi nuncium
ipse Regi ferre cuperet.: cum bona Cacici
gratia doinum coctili laterculo exstruit. Eo

Primæ co- loco duodequadraginta Hispanos relinquit,
toniae in India Oc- qui ad redditum suum res insulæ sedulò & ac-
cid. ab Hi curatè explorarent: præmonitos ut in omni-
spanis con- bus prudenter & modestè sese gererent. Hæc
ditæ rudi- mentum. prima domus ab Hispanis in India exstructa
est: Columbus cum reliquis soluit, inde se-
cum sex Indos, omne aurum quod à Cacico
acceperat, Psittacos aliquot, Maizij paniculas
(quæ vna Indicarum frugum est) & alia Indiæ
peculiaria & noua referens. Prospero cursu
& in columbus omnibus in Hispaniam per-
uenit, præterquam duobus Indis qui in itine-
re exstincti sunt. Appulsum Rex & Reginā
quām honorificentissimè exceperunt, consi-
dere eum coram se iubentes: & in aula qui-
dem Indos ab eo aduectos, quod prorsus nu-
di essent, mirabundi omnes intuebantur: nec
minus ipsi quoque Indi obstupescabant, quum
Regem: & aulicos vestitos cernerent. Rex
verò

verò Columbuin insignibus honorum titulis
auctum sūnum Oceani Præfectum designat:
(Almirantem vulgò appellant) & ei omnium
regiorum ex India reddituum decimam attri-
but. Bartholomæum quoque ipsius fratrem
Hispaniolæ insulæ præficit.

i Q u o d de Oraculo illo scribitur, ita se habet:
Cacici & Bohiti (id est Reguli & sacerdotes)
peres quos antiqua rerum quondam gestarum vel
dictarū monumenta à patribus sine literis tradita
manent, Christophoro Columbo & Hispanis nar-
rabant, Garionexij Cacici patri & alteri cuidam
Regulo cupidinem quondam ortam sciscitandi è
Zemibus (id est numinibus suis) quid post sua
tempora euenturum fata portenderent. Id porrò,
ut extorquerent ab Idolis, quinque dies conti-
nuos ab omni cibo & potu abstinuisse, tempusque
illud perpetuo in luctu & lacrymis egisse. Ergo
his ritè peractis, tādem respōdisse Zemes, Quan-
quam fata in occulto teneri à Diis & futura ce-
lari homines satius esset, moueri tamen se ipsorum
religione ut ventura panderent. Itaque scirent
venturam non multos post annos ad eam insu-
lam peregrinam gentein: viros vestibus amictos,
promissa barba, & gladiis micantibus accinctos,
quibus medium hominem uno iētu secarent, qui
vetera Deūm simulacula solo alliderent, priscos
sacrorum ritus & ceremonias abolerent, liberos
eorum vel maectarent, vel libertate sublata in
omne scelerum genus corrumperent. Tam horri-
bilis oraculi carmen memoria ut proderent, fle-
bilem quandam cantionem (quam Areito vo-

cant) velut elegiam composuere : eā diebus atris & festis quibusdam tristibus lugubri & querula voce canebant. Ceterum ita pātmodum euenerū omnia uti prædixerant Zemes, & canebant Sacerdotes: sicuti sequentia docebunt.



¶ Secund.i Christophori Columbi in Indianam nauigatio.
Hispaniola sanguine Hispanorum imbuta. Isabella
colonia à Columbo conditur. Indorum
aduersus Hispanos tumultus.

C A P V T I X.

OLVMBV omnem Regi itineris & rerum ab se gestarum successum exposuerat: & præterea gradu ex ea insula facto , amplissimas & ditissimas alias oras aperturum sc̄e promiserat. Itaq; Rex trium Liburnicarum & quatuordecim carauelearum classem instrui iubet , & in eam vltra mille ac quingentos homines imponi , maximam partem mechanicarum artium opifices , & quidem earum quę illi terræ maximè necessariæ esſent. Columbus præterea equis , bubus , ouibus , suibus , capris , fœminis mari- búsque ad propagādām eius generis stirpem: deinde hordeo , frumento , leguminibus , & omnis generis plantis ac frugibus , in naueis prouisīs & collatis : secum etiam sacerdotes & monachos abduxit , qui gentes illas Christiana religione imbuerent. Postremò rebus omnibus necessariis munitus instructusque , anno M. CCCC. XCII, dic secunda Septembr. è portu

portu Calicio soluit.

C O L V M B V S, iam Almirans regius, in Indiam renauigans, multo alacrius quam prius secabat fluētus, quatuor Indos reuehens quos Rex baptisari curauerat: & Canarias insulas præteruectus, paulo magis iæuorsum quam priore nauigatione cursu in Africum inflexo, Desideratae insulæ conspectum habuit. Ea prima (vti antè dictum est) illi à Canariis occurrit tellus: sed neque in vllam eius oram egressus, neque vlo eius portu tacto, magna cum alacritate & Hispaniolæ desiderio cœptum iter persequutus est. Eam vbi classe tenuit, longè alio statu reperit quam reliquerat. quippe omnes Hispanos ab eo depositos Indi ad vnum maestauerant. Almirans euestigio legatis ad Cacicū Guacanarillum missis, sciscitari iubet, quænam causa mortis suis hominibus fuisset. Ille nutibus atque aliis significationibus, quibus mentem suam vtcunque exprimere poterat, respondens, multum & grauiter conquestus est: Hispanos post eius discessum, suorum coniuges stuprare, eosque ipsos fustibus atque indignis aliis modis accipere cœpisse, neque illos tamen à suis vlo dicto factōve esse violatos: sed venisse quendam nouum Regulum, quales multos potentes haberet ea insula, qui barbatos homines sedes in suis finibus capientes atque ædificia molientes naētus, veritusque ne insulam totam aliquando subigerent, omnes ad vnum trucidasset. Se quidem, quum casam Hispanorum coflagrantem vidisset, ad opem

Hispani
maturè In
diam stu
pris & la
trociniis,
mox etiā
suo sanguī
ne, nobili
tant.

„ ferendam pro officio accurrisse. Sed meæ vi-
 „ res (inquit) parum valuerunt: & graui vulne-
 „ re ictus sum, ut videtis. Simul hæc dicens, crus
 fascia bombycina inuolutum ostendit. Sed
 hæc simulata omnia & falsa erant, quemad-
 modum postea Columbus cognouit, Hispani-
 nis eò missis, qui fasciis solutis & inspecto
Cacici crure, nullum vulneris aut cicatricis
 vestigium vidisse se retulerunt. Atque inde
 illis haud dubia suspicio, Guacanarilli consi-
 lio atque opera Hispanos interentos & ca-
 sam incensam fuisse, quod illi, aurum vi extor-
 quendo, fœminas constuprando, & alia fœda
 faciendo, nullis verborum ac rerum contume-
 liis in Indos parcerent. Plerique Christo-
 phoro Columbo suadebant vt hanc iniuriam
 vlcisceretur: sed ille veritus ne maius detri-
 mentum acciperet, vt qui vires atque opes
 indigenarum nondum penitus nosset, cohi-
 bere se maluit & vltionem meliori occasioni
 seruare.

I N T E R E A è nauibus secundò in eam ter-
 ram egressus, cum suis principium coloniæ de-
 dit, quam in memoriam Isabellæ reginæ Isabellam vocauit: mox ad Cibaui aurarias (is lo-
 cus est insulæ vnde aurum effodiebatur) arce
 exstructa, munimento valido & ad impetus
 Indorum arcendos idoneo, Bartholomæum
 fratrem insulæ Præfectum relinquit. Ipse tri-
 bus carauellis ad nouas terras vestigadas pro-
 fectus, Cubæ latus Meridionale, & Iamaicam
 & alias insulas aperuit. In aliqua earum litora
 exscensu facto, à nonnullis populis æquis ocu-

Isabella,
colonia.

lis visus est: mox inde Hispaniolam repetens, cōmodū nactus portū S. Nicolai nomine insigne fecit. In eo portu iactis ancoris Almirans constituit, tum vt suis tempestiuā quiete refectis, tum vt carauellis instauratis, quæ iam omnibus compagibus multam aquam acciperent, mox inde ad dclendos Caribas, & exurendos eorum lntres moueret.

S E D tum fortè graui morbo correptus, eam expeditionem omittere in præsentia cogitur, & in Isabellam valetudinis causa portari: vbi multos Hispanos yita functos, alios mobis implicitos reperit. alij quibus valetudo integra supererat, Bartholomai fratriis eius imperiis parum obedienter acceptis, non paruum tumultum mouerant. Cacici præterea aliquot propter iniurias, raptus, homicidia, rapinas, ceteraque ab Hispanis multis insulæ partibus perpetrata flagitia facinorâque, sumptis armis rebellionem cœptauerant.

Q V I N E T I A M maxima pars Insularium, Insulares
Indi Hispanæ
nis famem
relinquunt. non tantum inulta rura, nulla frugum suarum semente facta, reliquerat, sed quidquid etiam in agris vñi esse poterat, id omne vastabant ac corruperant, vt nudum & sterile solum Hispanis obiicerent: sperantes peregrinam gentem, vbi nihil victui idoneum reperisset, tandem insula excessuram: imò ipsi quoque adeò quam indignis modis habitu tam miserrabilem seruitutem pati non possent, abiecta Hispano-
rum tyran-
nis Indis
intoleran-
da. ipsos necabant. Columbus, sumto à prudentia

consilio, in omnes Hispanos seditionum autores & scelerum compertos ultimo supplicio animaduertit, & Cacicos ipsos quacumque ope potuit reconciliare sibi studuit. Ex ea severitate, tantum Hispanorum in Almirantem odium ortum est, ut quum eorum flagitiis & latrociniis indulgere nollet, ne nomē quidem eius & quo animo ferrent. Quia ex re factum est ut multi de eo & fratre eius ad Regem dira & atrocias scriberent: itaque Columbus simulac conualuit, in Hispaniam regressus est.



*Inusitata vis turbinum in Hispaniola. Eius mali causam
Indi Hispanorum sceleribus & flagitiis tribuunt.
Columbus Hispaniam repetit. Hispanorum
ab ipsis fratre secessio, & scelera.*

C A P. X.

DE eos dies mirabilis & prodigiosus quidam casus in illis terris intervenit, quem quia consideratione dignus est, non prætermittam. Nonnulli existimabant humani generis hostem, quum sibi eripi è faucibus tot animas, quæ per Baptismum seruandæ essent, ægrè ferret, tantos turbinum furores, procellasque emisisse. Alij discordias seditionesque ex Indicis spoliis & opibus erupturas, eo ostento portendi arbitrabantur. Vulgi fermè opinio hæc erat, signo Crucis, quod in vexillum salutis erectum ibi fuerat, ex illis insulis violenter eiici, & earum gen-

gentium diutina velut possestione detrahi taretareos spiritus, quos per tot ætates bruti illi homines pro patronis suis & numinibus coluerant. Itaque dum præcipiti fuga ruerent, tantas strages & portenta edidisse.

PORRUM casus eiuscmodi fuit. Ab Ortu tanta ventorum rabies coorta est, qualē nunquam antea Insulares se vidisse aut audiuisse meminerant: in primis vehementissimus quidam Typhon, (quem Hispani Furacanum appellant) tanto impetu irruit, ut celum simul ac terras rapere secum & miscere yelle videretur. Omnes improviso malo attoniti præsentem mortem imminere sibi ante oculos, confundi clementia, & finem rerum adesse, vulgo pauidi credebāt. Tum verò ingenti sono celum strepere, & inter horrēdos tonitruū fragores crebri micare ignes, aér incendi fulguribus: nox interdiu omnibus noctibus nigrior densiorque, adeo ut per obscurum alias alij occurstantes, mutuò intueri non possent. Errabundos homines, defixis præ formidine animis & lymphatis similes per vias pérque auia discurrere passim ac peruagari cerneret. Tanquam interea furentium & horrendo cum stridore colluctantium ventorum, ut iis ab radicibus erutæ arbores, & auulsa montibus saxa magno cum fragore in planum prociderent: & ea ruina ingenti villarū mapaliūmque strage facta, multos mortales opprimeret. Solidas verò etiam cum incolis domus furiosi illi turbines sublimè coruptas & absorptas dissipauere. Quibus ex malis grauis vndeque earum gentium planctus

& inœsti clamores exaudiebantur: paucis horis ingentia detrimenta accepta, vt ne tres quidem naues quæ ad portum securæ in ancoris stabant, eius calamitatis immunes essent. Ancoris enim ipsis, quamquam robustis, fractis, & anchoribus firmis nouisque truncatis, cum omnibus nauticis profundo mersæ sunt. Indi complures speluncis abditi discrimen effugerunt: inde tamen rei tam nouæ prodigio perculsi adeo & consternati eresperunt, vt vix animam reciprocare aut quidquam proloqui possent, adeò vocem inusitatus pauor incluserat. Sed vt se ex tanto terrore college-
Indi de ea
lamitatum
causis ve-
rius quam
Hispani
judicant.
runt insulares isti, longè aliter ea de re inter se disceptantes sentiebant ac Christiani. Quippe eius clavis causam flagitiosis fœdisque Hispanorum exemplis assignantes, cælum infestum in eos ruere, & è suis terris illos ciicere velle dicebant. Sed hæcne vera fuerit eius rei causa, an alia quæpiam, sapientiorum potius quam meo vel illorum iudiciis existimandum delego.

Q V I N Q V E ab illinc annis duę aliæ eiusmodi procellæ inciderunt, sed ultima inter paucas memorabilis, totam insulam mirabiliter conterruit. Quippe omnibus fermè satis stragem intulit, maximam partē ædificiorum & torcularia saccarea euertit: armenta quoque propè omnia & greges fœdè interemit. Et iam Hispani fame periclitabantur, ni Deus eorum misertus naues ex Hispania opportunè adduxisset, quæ farinam, nauticos panes, & ceteros commeatus abundè subueherent.

CE T E R V M Almirans priore illo turbine fractas Celoces extemplò refici iubet , quum eius rei peritos artifices multos & omnis generis fabros haberet: móxque vt illæ instauratae sunt, ipse quâ strage illa ventorum, quâ Indorum clade stupefactus & confusus , vela in Hispaniam fecit. **Q**uòd quin secundo cursu peruenisset, è Calicio portu , per dispositos e- quos in Regiam profectus, Regi nouas ab se repertas terras exposuit, aurū & alia rara obtulit: & narratis quæ in Hispaniola acciderant, iudicia quoque & processus Hispanorum in quos legibus egerat , exhibuit: simul malignas obtrectatorum in se calumnias & falso obiecta crimina diluens. Rex Columbi fide satis comperta, quòd tantum auri aduexerat, vt aliquot etiam palæ librales effét, deinde ex commentariis quæ attulerat actorum eius integritate spectata & probata, eum vltro consolatus grātias quoque pro tantis eius in se meritis atque officiis egit: monuit tamē vt in posterum, pœnarum acerbitate remissa , cum Hispanis, qui tam longinquas terras sui obsequij causa peterent, paulo mitius ageret.

Mox duodecim carauellas armari iubet , easque omni genere commeatus instructas Columbo ad nouam expeditionem attribuit. Ipse confessim duo ex ea classe nauigia ad Hispaniolam recta tendere iubet, & vt fratrem suum adeant edicit. Illa quin prospero cursu eò peruenissent, fortè ad Occidentalem insulæ partem appulerunt, vbi tum agebat Roldanus quidam Ximenes : quem ex vili & ob-

Seditionū 42 H I S T . N O V I O R B I S
& cīiliū scura persona Iuridicialem prētorem designa-
bēlorum in Hispania ten- tum , Columbus extulerat. Sed is tum multis
cēmenta. Hispanis in partes tractis, secessionem fece-
rat: quum arrogantia contumaci Præfecti im-
perium exuisset, quo licentius omnibus legum
frenis solutus latrocinia & quālibet flagitia
per Insulam exerceret: quod Præfectus pati
non sustinuisset. Is appulsiis eō vbi tum casu
erat duobus illis nauigiis, Hispanos qui in iis
erant conuenit, solicitat, & Insularium opes
obuias paratāsque ostentans, docet si secum
facere vellent, liberimè omnia barbarorum
mapalia peruagatueros, atque inde, nullo im-
pediente, egesto auro ac rerum preciosissimis
breui ditissimos euasuros. Qua spē labefacta-
tos facile impellit ut omnem fortunæ ac rerū
suarum sortem cum eo miscere vellēt. In pri-
mis ergo commeatu quem naues attulerant,
auidius ipse ac ceteri se explēt: inde prēdabū-
do agmine insulam peruagantes, promiscua li-
centia spoliare, verberare, occidere: denique
nullum genus sceleris, libidinis, auaritiæ, in in-
digenas prætermittere.

C A C I C U S quidam, Garionexius nomi-
ne, quum ditionem suam omni belli clade à
Christianis vri & res suas suorūmque ante o-
culos suos ferri agiq; videret, iunctis cum alio
Cacico (Marabonesum vocabant) viribus, de-
fendere se ab eorum iniuriis & latrociniis sta-
tuit. Itaque sēpe cum Indorum manu, quos
in societatem adscierat, è montibus in plana
degressus, vbi Hispani statua habebant, quoſ-
cumque ex eis capere poterant ipse ac socij,
barba-

barbara rabie excarnificantes frustillatim dis-
cerpebant.



Columbus tertio in Indiam nauigat. Cubaguam insulam
Vnionum detegit. Frustra Hispanorum seditiones
componere laborat. Indos per-
duelles domat.

C A P. X I.

VM hi tumultus in Hispaniola agi-
tantur, Almirans è portu S. Lu-
cari soluens cum reliqua classe, Columbi
tertia in
Indiā ex-
peditio.
anno M. ccccc. xcviī. vigesima
octaua Maij, cursum in Maderam direxit. Ea
vna est ex septem Lusitanorum insulis quas il-
li Azorias appellant. Illac autem nauigare mul-
tò tutius duxit, tum quia belli id tempus erat,
tum maximè propter piratas Gallos, qui iam
fama Indicarum opum exciti, prædandi spe
maria illa infestabant. Inde præmissis recto
cursu ad Hispaniolam sex carauellis, ipse tri-
bus reliquis versus Caput-viride seu Gorga-
des insulas deflectens, propius Æquinoctia-
lem lineam iter suum direxit, & in ea nauiga-
tione multis malis cōflictatus est, tum ob ma-
ris malacias, tum ob immodos ardores, quos
mense Iunio media æstas intenderat. Vix
tandem quum Indiam attigisset, sinum Pa- Cubagua,
insula
Vnionum
riēsem ingressus in Cubaguam appulit, quam
ipse Perlarum insulam nuncupauit. Cuius no-
minis origo hæc fuit. Almirans quum eum
sinum nauibus percurreret, fortè quibus-
dam Indis qui è linte pīscarentur conspectis,

è nautis suis aliquot scapha propius ad eos accedere iubet, & sciscitari quinam iij homines essent, & quas terras incolerent. Nautæ raptim lintrem assequuti & in eum transgresfi, Indis sese adiungunt: atque illi nil consper-
etu tunc primùm à se visorū hominum con-
territi, eos etiā vt pulchros viros, summa cum
voluptate aspectabant. Hispani ostreas in pi-
scatorio illo lintre conspiciant: quas, eduleis
esse rati, quuum aperiuerint, plenas vniōnibus
reperiunt, vnde maior illis iætitia orta est.
Peruenerant ad littus: ibi in terram egressi,
mulieres Indicas vniōnes pulcherrimos collo
& brachiis gestantes conspiciant: & illos qui-
dem ei genti adeò viles, vt in vulgaribus &
quotidianis fœminarum ornamentis simplici-
ter haberent. Siquidem pro catino fictili, &
& eo quidem fracto, quem nauta Hispanus
Indicæ mulieri dedit, ea illum contrà quatuor
margaritarum fertis seu lineis munerata est.
Ille munere latus & diues ad naues rediit, o-
mnibus vniōnes suos ostentans. Qua ex re in-
credibili voluptate affectus Almirans, clara
voce ceteras naues circumuehitur, & socios
affatus: Nos, inquit, ad ditissimam mundi o-
ram appulimus.

INDE proprius terræ succedens, Cumanæ
fluminis ostium inuestitus est. Indigenæ quuum
viderent carauellas, tantæ molis opera & tam
affabré factas, deinde barbatorum hominum
inusitam speciem demirantes, inter se vulgo
dicebant: Quinam aut vnde sunt isti homines?
Supernè, an ex aqua? Mox quibuscunque scie-
bant

bant aut poterant nutibus ac signis, per legatos ab Almirante contendunt ut in ea litora egressus, cum ipsorum Cacico congregari velit & sui copiam faciat: quippe illum eius videnti ac cognoscendi audiū esse. His auditis Columbus, et si omnia bencuolentiæ signa atque indicia præ se ferrent, doli tamen aliquid iubesse suspicatus, in terram egredi metuebat. Id postquam deprehenderunt Indi, multi eorum caraellas ingressi, Almirantis potestati emetipsos vltro permiserunt, puram omnino ac sinceram amicitiam demonstrantes: neque nauigia tantum ipsa, vclut diuinę potius quam humanæ artis opera, intuebantur: sed ad omnia armamenta, ancoras, vela, anchoralia, & singula nauium instrumenta, defixis præ admiratio[n]e animis obstupecebant.

A L M I R A N S verò ipsos postquam omni comitate excepisset, abeuntes quoque cultellis, speculis, & tintinnabulis, cæterisque eiusmodi minimi precij rebus muneras, quā accuratissimè potuit sciscitando exsequutus est, vndénam hæc baccarum & margaritarum décora peterent. Illi oram maritimam quæ Cubaguam spectaret signis indicabant, ibi se conchas vnionum feraces pescari. Itaque Almirans Hispanos aliquot egredi in terram iubet: eos Cacicus domum suam inuitatos vino epulisque more patrio apparatis, quamquam spurcis, hilariter excipit: químque ab illis vñiones expeti intelligeret, dat magna copia, vt qui illis abundaret. nec pluris ea faceret quā apud nos fiunt globuli illi vitrei, quos preca-

torios vocant. Hispani tantis diutiis expletis, ad naues redeunt: Almirans mirifice eo commercio contentus inde soluit, & Veli-caput circumiectus, mox traecto mari breui in Hispaniolam appulit, vbi magnos motus & seditionum turbas inuenit.

**Coldibus
frustra iſe-
ditiones
ab Hispa-
niis excita-
tas com-
ponere
nititur.**

I P S E vt omnia componcret, scriptis ad Roldanum Ximenem secessionis autorem litteris, monet hominem vb sub Imperium præfecti volens redeat, neu delinquere perget & prauis exemplis Indos ipsos auertere. Quippe nō his factis neque ea via sperandū esse vt illi ad fidem nostram adduci possent: neque amplissimā illam Alexandri vī. pontificis bullam quæ Regibus Catholicis ditioni suæ adiicere eas terras permiserit, eò spectare vt nouæ illæ gentes indignis modis habeantur: imò potius vt benignitate & honestis exemplis allicantur ad amplectendam sanctam fidem Christi seruatoris & redemptoris nostri.

**Calumniæ
Roldani
in Colum-
bos fra-
tres.**

H A E C Almirantis monita & preces aspernatus Roldanus, sectæ caput ac principem se gerere perseverauit: mox etiam Bartholomæi Insulae præfecti actiones apud Regem per litteras criminatus est, sauitiam ei & tyranicum imperium obiectans, qui videlicet minimis & leuissimis de causis homines in patibulum ageret: imò præfectos omnes illos suos, ambitionis & superbos esse: neq; se ab illis secessionem fecisset, nisi postquam eos tyrannos, sauvos, & sanguinis humani audios expertus esset. Postremò Regem quoque ipsum tandem aliquando reipsa cognitum, suæ Maiestatis &

& dignitatis inimicum esse Almirantem, idque unum moliri ut Insularum imperium occupet. Et iam aurifodinis solos eius familiares & clientes praesesse: ceteris omnibus obseptum esse & clausum earum aditum. Iudicia ipsa pro libidine & gratia, non iure & exequitate, ab iis exerceri. Ad hæc Almirantem quoque de reperta Vnionum insula Regem quantum in se esset, celasse, ut clandestina præda solus ipse frueretur, & circumuento per pactum aliquod Rege, ditissimam illam insulam sibi vni seponeret.

A L M I R A N S quoque ipse contrà litteras ad Regem componens, pessimam sceleratum istorum & flagitiosorum hominum mentem & vitam exponit. Quippe istis nihil profus pessi esse, nisi vt quotidianis latrociniis, fœminarum stupris & omni scelerum genere, libidinem, sauitiam & auaritiam expleant: perduellionis quoque ac proditionis reos, omni Dei metu ac pudore posito per omnem insulam latronū instar vagari. Postremò duas carauellas quæ ad fratrem suum Bartholomæum ex Hispania missæ essent, cum omni commeatu auertisse, ac pellectis in suam societatem nauium illarum hominibus, rapiendo & infanda omnia perpetrando certare. Ac tam fœdis facinoribus commotos multos Insulæ Regulos cum maximo omnium damno defecisse, eosque etiamnū pro commissis pœnas metuentes, si sub imperium redirent, pergere in insaniam & solutos iugo viuere.

D V M hæc vtrinq; crimina & accusationes in Hispaniam mittuntur, Almirans fratrem

Columbus Indos perduelles. & sub imperium rediuntur, clementer et adat. cum octoginta Hispanis, in iis equitibus aliquot, mittit aduersus Cacicos perduelles. Illi sex millia arinotorum & amplius in acie habebant: sed ubi ad manus ventum est, violento equorum impetu conterriti, & fusi, in densissimas sylvas se abdiderunt. Pugnatum deinde est aliquoties cum Garionexio & quatuor aliis Cacicis: sed breui profligatis omnibus eorum copiis, Cacici montes fuga petunt: mox tamen capti omnes in Almirantis potestate venere. Porro quum promitterent se amicitiam ipsius colentes sub Hispaniae regis imperio furos, tum ut clementiam erga eos suam commendaret, tum ne iniuriarum quas ab Hispanis accepissent, autorem ipsum fuisse existimarent, benignè illos in fidem & gratiam receperit, & rebus nostris donatos, in ditionem quemque suam remisit.



Columbus inimicorum calumnijs honore deicatur. Bambadilla ei succedit. Hic in Hispaniam reuertens, coorta tempestate, cum multo auro mergitur.

C A P. X I I.

Vv toti in eo essent Almirans & eius frater ut Regulos & rebelles populos in Regis fidem reducerent, eodem tempore litteræ tum ipsius Almirantis, tum Roldani in Hispaniam perueniunt: quæ res non mediocri dolore Regem

ac Reginam affecit, quum res Hispaniolæ adeo turbatas & miserū insulæ statum intellexerent. Iam in Aula sparsus rumor auri inter nobiles & vulgatæ opes quas ingenti copia flumina ipsa vltro funderent, omnes auaritia incenderant. Nemo erat ex ipsis quin talem Præfecturam obtinere ardentissimè appeteret: nemini tamen ad id petendum satis audiæ erat, propter ingentem opinionem quam de Almirante Rex & Regina habebant. Itaque alia via graffari, & optata ad eum fine in cui inhiabant, perducere instituunt. Ergo isti Nobiles per omnem Aulam spargunt Columbum & eius fratrem, iam partis opibus quæ priuatum modum excederent, Insulas usurpare velle, & nuper repertæ oræ omnis principatum inuadere. Idque non obscuris manare in-diciis, quantum ex multorum & quidem dignorum fide hominum literis colligi posset: tum videlicet ex ipsa auri effodiendi ratione, tum quod ex eo pauculum in Hispaniam mitterent. Adhæc, quod multò peius esset, quum Hispanos paulatim specioso prætextu alium alia de causa tollerent, quorsum id spectare, nisi ut iis de medio amotis, soli sine arbitris destinata sua facilius perficerent? Hæc & similia frequentibus susurris ac rumoribus per Aulam adeo increbuerunt, vt ad aures usque Regis ac Reginæ deferrentur: nec deerant interea emuli qui hæc occultis flabellis in Regum animis accenderent, quo grauior criminantium esset autoritas.

R E X ipse, ne quæ ad status sui detrimen-

d j

Hispani
nobiles
Columba
inuidētes,
non vera
virtute,
sed astu &
calumniis
in eū grāf-
santur.

50 HIST. NOVI ORBIS
tum spectarent, lentius accipere videretur, totius rei veritatem cognoscere & Prætorem committere instituit, qui quæreret cur tantum aurum allatum nō esset quantum se missurum promisisset Almirans. Cuius profecto intermissæ pensionis non alia causa erat, quam quod inter domesticas discordias, & sociorum defectiones atque inde exorta bella, aurum effodi non potuerat.

Hic ita constitutis, Rex novo Insulæ præfecto Francisco Bombadilla designato, quæstionem de intestinis dissidiis decernit, & de causis discordiarum Columbi & Roldani cognoscere iussum, amplaque autoritate & potestate imperij instructum mittit. Is cum hac commissione & mandato Regio è Calicio portu anno M. CCCC.XCIX. quatuor caravelarum classé instructa soluens, in Hispaniolam traiecit. Almirans & Bartholomæus frater, noui Præfecti appulsi auditio, ad eum honorificè excipiendum, ut regio missu veniente, reuerenter obuiam egressi sunt. In portum vt peruererant rati, vt sibi, sic aliis sincerum animum esse, pro amica complexus ac salutationis vice, capti fratres in vincula traduntur. Mox inicætæ vtrique catenæ, & seiuicti alter ab altero, quo grauius dolerent, duabus Carruellis in Hispaniam mittuntur. Miserabilis equidem casus, ac mutationis rerum humana- rum exemplum memorabile: eum qui paulo antè in maximo honoris fastigio fuisse apud potentissimum Regem, propter repertas illi propria virtute & excelso ingenio adeo no-

Bombadilla
sua potestate aduersas Columbum
fœdè atque impo-
tenter a-
butitur.

uas & diuites terras : cui, si Græcorum aut Romanorum veterum tempore vixisset, aut alterius cuiuslibet liberalis & munificæ gentis, meritò statua fuisset erecta, ac fortè, ut numini, templum & diuini honores decreti essent, eum (inquam) nunc malignitate atque inuidia hominum afflictum & vincitum adduci: cuíque ob tanta in Regem merita vlla satis digna gratia reddi nequibat, eum tam atroci iniuria affici vt nullo nouo beneficio expiari posset. Simulac celoces in Hispaniam peruerterunt, & nunciatum Regi tam claros viros compedibus vincitos adeò fœdo ac miserabili habitu adduci, motus in misericordiam Rex cursore Calicium misso, emitti illos è custodia & leuari vinculis iubet: deinde splendido comitatu cultuq; , ut talibus viris dignū erat, in conspectum suum venire. Ut in Regiam peruererunt, comiter excepti & auditи sunt, ac quum ibi obtinuisset veritas, pœnæ in noxios decretæ.

POST QVAM gubernator nouus Bombadilla Columbus captiuos in Hispaniam misserat, Roldanus cum aliis secessionis sociis sub imperium rediit. Ibi tum rursum omnes vno consensu miseros insulares in aurifodinis deimergere & immodico labore vexare: quibus videlicet nihil pensi erat, nisi ut horrendam illam auri famem quam maximè explerent & ingurgitarent. Dum ea geruntur, Rex Ferdinandus, cui hæc dudum animo cura' infederat, qua maximè ratione res Hispaniolæ Insulæ turbatas, necdum bene sedatas, pace

Regis His-
pudor in-
gratitudi-
nem Hi-
spanorum
damnat.

Avaritia
séper cru-
delis.

„, Ouandū & iustitia componeret: abrogato Bombadillæ
 alij vocat. imperio, Nicolaum “Olandam Proregis titulo
 & autoritate, eò mittit. Is è portu S. Lucari sol-
 uens triginta nauium, partim liburnicaruin,
 partim celociū, classe, quadragesimo demum
 die Insulæ applicat. Bombadilla vbi maiorem
 potestate & sucessorem adeo potentem su-
 peruenisse videt, decedere illico prouincia, &
 iisdem illis nauibus quas Prorex adduxerat re-
 gredi in Hispaniam statuit. Ergo, imposito
 multo in naues auro, quod amplius centum
 quinquaginta millium ducatorum pretium æ-
 quaret: ac multos præterea rudis auri grumos,
 in iis vnum inusitatæ magnitudinis, & ponde-
 ris trium millium ducatorum, quem Reginæ
 seposuerat, secum referens, vela in Hispaniam
 fecit. Eum sequuti sunt Roldanus Ximenez &
 alij aliquot militares duces, cum amplius qua-
 dringentis Hispanis, qui omnes auro graues &
 locupletes cum eo soluere. Hic animaduer-
 tere operæ pretium est, quantum vindican-
 dis hominum sceleribus, Dei iustitia polleat,
 ac serio cogitare omnes thesauros ac diuitias
 nostras, in quibus tantoperè spem ac fiduciam
 nostram defigimus, somnia prorsus vana atq;
 umbras inanæ esse. Ecce atrox in mari tem-
 pestas coorta rapit disiicitque classem: viginti-
 quatuor fractæ naues & fluctibus ita haustæ
 sunt, vt nemo in terram enauerit: demersus
 Bombadilla, demersus Roldanus, & maxima
 pars Hispanorum periere: ipsorum quoque
 manubias & thesauros, ac sepositum Regi Re-
 ginæque aurum mare absorpsit: postremò iur-
 glia

Iusta Dei
 vindicta
 in auatos
 & crude-
 les.

gia, lites, & querelæ eorum. que in cunctis existunt habitur eis, mature ibi finem inuenire. Insulares Indi, quum naufragium Roldani & aliorum Hispanorum a quibus in eruendo auro durissime vexati erat, pro certo accepissent, latari & hilarescere, vulgo inter se dicentes: Enim uero isti quidem nos deinceps in aurifodinis non detinebunt, neque in tantis æruncis, quantis solebamus, trahere animam cogent.



Alphonsi Ninni in Indiam Occid. nauigatio. Quænam primò fuerit Indicarum gentium de Hispanis opinio. Hispani se Christianos & filios Dei esse apud Indos venditant, sed mox longè aliud re ipsa & factis se esse produnt.

C A P. X I I I.

AM multis Hispaniæ locis de uniuersum diuitiis, ab Almirante in Cubagua & Cumana repertis, rumor latè manauerat: & ea res multorum animos ea visere cupientium commouerat. Id vbi cognitum Regi, expresso ipse edicto, gravibus poenis constitutis vetuit ne quis nauium magister nauiclerusve c. c. milia propius (id est L. leucas) oras à Columbo repertas, absque suo permisso, nauibus accederet: liberam tamè interea potestatem omnibus faciens. quascunque alias terras & Insulas nondum cognitas pro arbitrio quærendi.

ERGO per eos dies Alphonsus Ninnus, naue vnâ cum triginta quatuor Hispanis, eo consilio vela in altu dedit. Inter eos Hispanos for-

Alphonsus
Ninni na-
uigatio.

tē nonnulli Almiranti adfuerant, quum Cubaguam reperisset. itaq; vt Indiam attigerunt, neglecto Regis mandato, diuitiarum cupidine Pariensem inuecti sinum, Cumanę, Amarracapanę & omnem eius tractus oram iam ab Almirante repartam legere instituunt. Ibi etiam Alphonsus cum sociis in terrā egressus ab ea gente comiter exceptus est: mox initio quoque commercio, quum merces magna vniōnū copia permutasset, diues in Hispaniam regreditur: sed in itinere de vniōnum partitio-
ne lis inter ducem & milites exorta est. Hispaniam verò vt videre, Hispalis portum fugientes, ne constituta à Rege pœna plecterentur, quod oras à Columbo repertas tentassent, nauem in Galiciā dirigunt. Attamen simulac in litus exiere, nauales socij aliquot eius prouinciae Præfectum adeunt, Alphonsum insimulant, nec tantum spredo Regis edicto litora ab Almirante reperta circumuectum referunt, sed peculatus quoque criminibus vrgent, quod fraudata Regis quinta, ingentem margaritarū vim interuertisset. Præfectus corripi hominem & custodia claudi iubet: ac tandem, vbi in carcere maximam vniōnum suorum partem consumsisset, vincitum eum ad Ferdinandum Regem mittit.

*Variae In-
dorum de
peregrini-
gente opi-
niones.*

ANTEQVAM vltrà progrediar, age hīc plenè exponere mihi libet, quānam esset ea- rum gentium de Christianis opinio, vbi pri- mūm eos nouis illis terris appulsos videre. In primis ergo tenendum est, vbi principio Hi- spani in Indiam nauigantes ad eas prouincias,

ac

ac præsertim nouæ continentis oram appulerunt, quâ septentrionali Oceano alluitur, Indos, quum ad eos velut simulacra versi defixis præ admiratione animis starent, vulgo dicere inter se confueuisse: Vnde aut quibus è terris gens ista barbata venit? Mox quum enses, vestis & cultus speciem, inde nauigia ipsa, vela, rudentes, ancoras & cetera nauium armamenta intuerentur, tum planè obstupefacti, postquam inusitatam rerum speciem iterum atque iterum fixis oculis contemplando haussissent, de illis pro se quisque alius aliter iudicium ferebant. Nonnulli dicebant tempestate aliqua eò fuisse eiectos: alij qui bombardarum fragorem audiissent, crientem tonitrua in nubibus, gentem è cælo in terras descēdisse credebant: alij denique obthurato ore incerti & confusi restabant, quin de tam novo hominū genere nihil affirmare haberent. Quos quidem plerisque locis equis oculis indigenę, velut rem nouam intuebantur: alij contrà haud satis libenter excipiebant, quin ex ipso vultu gentem asperam & ferocem esse coniectantes, amicitiam eorum detimento sibi potius quām emolumento futuram iudicarent. Itaque s̄pēnumerò ut appulsi & in litus egressi erant, corū locorū accolę sagittis obuios configebant, saxis etiam eos & missilibus violenter summouentes, naues repetere trepida fuga compellebant. At in eas oras quum incidissent Hispani, vbi aduentus & conspectus eorum indigenis gratus esset, summissi & supplices vltro Reguli obuiam illis ad fineis exhibat,

Barbari hospitales Hispanorū auaritia in uitant. rogabantque per signa ut suas terras libentes inire vellent: nemo illic erat qui eos hospitaliter in mapalia sua inuitatos appositis epulis summa cum lætitia non exciperet. Hispani verò cōiectis in vniones oculis quos Indi vulgo brachiis & collo gestabant, protinus concupiscere & occulta cura incendi quomodo iis potirētur: quūmque præterea Indis nares bacis onustas, eranis, smaragdis, & auro cernerēt, petere tandem vltro audebant: & illi simplices ac parum astuti homines, quum & illa viliā haberent, libenter omnibus & magna cōpia dabant.

DV M hæc amica conimercia & congressus vtrinque agitantur, alij alios, vt poterant, per signa & nutus variis de rebus percontabātur. Indi scire volebant, vnde venirent Hispani, & qua gente orti essent. Illi ad hæc ita respondebant. Se Christianos esse, filios Dei creatoris cœli & terræ: in eas oras missos à summo viro Castellæ Rege & à Papa cælestis seruatoris vicario, vt res magnas & consolationis plenas per orbem terrarum vulgarent: ac breui vnde venissent reuersuros. Indi quum dictis eorum fidem haberent, & re vera ita esse crederent, rati se eorum aspectu vltierius non fruituros, ad eorum spectaculum multi quotidie concurrebant, & qui eos contingere & aliquo munere donare poterant, felices se existimabant. Mox verò Indi, vt disgressis illis venire alios, & iam ædificia moliri, commorari in suis finibus, & infanda in se ac suos facinora & cōtumelias edere, aurum, vniones & gemmas insa-

Splendida verba, si res & facta respon dissent.

Indi de arbore ex fructibus iu- dicium fa- ciunt.

infatiabiliter flagitátes, viderunt: tum deum
queri & dicere inter se: Hæc facta verbis non
respondere. quippe illos se filios Dei vocasse:
sed apparere haud dubiè illis alium, & quidem
malum, dominum ac principem esse: quando
ab illis ipsius mandatu & priuarentur liberta-
te, & in seruitutem redigerentur, & interfice-
rentur: neque hæc esse opera eorum qui è cæ-
lis descendissent. Postremò non veres & bo-
nos Dei filios esse, qui accepto beneficio ma-
leficium redderent. Illas quidem bonis &
commodis verbis vti, sed facinora fœda per-
petrare.

E R A N T etiam inter eos qui dicerent:

Qualis, malum, Deus iste est, qui tam impuros Nomen
Dei blas-
phematur
inter Gen-
tes, pro-
pter Hi-
spanos.

se filios & sceleratos homines progenuit?

Si pater quidem i le filiorum similis est mini- mè bonum eum esse oportet. Hæc & similia

vulgò inter se colloquentes iactabant.

E Q V I D E M si Hispani vbi primùm eas
terras attigerunt, perinde ut crudelitate & a-
uaritia grassati sunt, sic iam inde ab initio be-
nignitate & clementia earum gentium ani-
mos sibi conciliassent, atque eodem tenore
perseuerassent in iisdem exemplis: haud pro-
fectò dubitauerim futurum fuisse ut agreste
illud hominum genus non tantùm cum ra-
tione viuere disceret: sed etiam virtutis atque
honoris studio, Christiani nominis utilitati
animum adiungeret: neque sequenti tempore
inde tot Hispanorum clades, nec tantæ Indi-
carum gentium vastitates accidissent, quantas
postea memorabimus: sed ut nunc implacabili

Homines
non vi &
malo, ut
feræ, sed
beneficio
domandi
sunt.

58 HIST. NOVI ORBIS
odio alij ab aliis dissident, ita socialem inter se
cum mutua reuerentia amicitiam colerent.



¶ Quarta Columbi in Indianam navigatio. Veraguam &
Urabam Indicæ continentis provincias detegit.
Hispanos rebelles prælio vincit. In Hi-
spaniam reuersas moritur.
Posterioritas eius.

C A P. X I I I .

NVNC ad Almirantem Columbum
reuerctimur. Is tres annos in Regia
mansit, Regi ipsi acceptissimus, & in
præcipuo honore habitus. Tandem
triennio exacto, Rex ipsius supplicatu atque
arbitrio quatuor Celoces instruit, eumque no-
uas alias terras vestigatum remittit, & fretum
aliquod peruum, quod ad mare Australē per-
tineret. Id postea à Magellane quodam Portu-
gallo repertū, Magellanicum dictum est. Ita-
que è Calicio portu soluens nona die Maij
Columbi quarta na- M. D. I I I . cum fratre suo, breui in Hispanio-
vigatione. lam appulit. Memorant nonnulli eum à Bom-
badilla portus aditu prohibitum esse, & ea in-
iuria non mediocriter offendit Columbus
dixisse: Falli Præfectum, si eum à Coloniæ ab
se conditæ ingressu arcendo, gratum Regi ob-
sequium præstare se existimaret.

Columbi
quarta na-
vigatione.

Guanaxia
insula.

A L I I portum eum intrasse referunt. Ut-
cunque ea se res habeat, cursum in Occiden-
tem dirigens, Guanaxiam insulam vicinam
continenti reperit, ingenti prouinciæ quæ ab
indigenis Iguera, ab Hispanis Caput-Fondu-
rense,

rense dicitur. Ibi exscensu facto, benignè à Regulis exceptus est: multæ ei gallinæ patriæ, panes & fructus oblati: nullū tamen ibi auri specimē aut indicium reperit, quamquam inuentis fodinis dītissimis, quarum nulla indigenis cura aut pretium erat. Almirans eos solitis minimi precij mercibus remuneratus, flexis retrò in Ortum proris, oram sequens Veraguam repetit, & applicatis ad insulas Zorobari nauibus, haud procul continentis, ex Insularibus cognoscit, omnem eam Veraguę prouinciam abundare auro. Inde præteruectus & littora lęgens usque ad sinum Vrabæ peruenit: ubi in terram egressus, aliquot locis Australis Oceani notitiam habuit.

D u m hęc noua litora perlustrat, duas caruellas amisit: duæ supererant, multam & ipsę aquam accipientes. itaq; inde retrò abeundi signum dat. Regressus primò Cubam insulam, mox Iamaicam tenuit, amissis aliquot Hispanis, quos ęrumnæ & labores absumpferant, reliquis etiam ferè omnibus ægris. Ibi Franciscus Poresius vnius caruellæ prætor, cum fratre, & maxima militum pars, commota in eum seditione & contractis aliquot Indorum linctibus, in Hispaniolam profugiunt. Insulares quum Christianos inter se discordes, & de toto exercitu quod roboris esset à Poresio abductū scirent, ceteros qui cū Almirāte mansissent propè omnes ægros & imbecilles esse: non solum cōmeatus iis suppeditare nolle, sed de ipsis quoque interimendis consilia inter se inibant.

A L M I R A N S ob hęc ingēti animi ęgritu-

Hispani in
Columbū
rebellant.

dine anxius, quum hinc Indos nec gratia, nec prece, nec precio ullo adduci posse videret ut cibaria exercitui præberet, nec armis ab se cogi propter infirmitatem suorum: alia via idem aggredi statuit. Atque id cælesti quodam instinctu

Colubus astuto cō-filio co-meatus à Barbaris impetrat. ei venisse in mentem, libes equidem crediderim, prouidete videlicet Deo ne tantus vir fame interiret. Id porro ita factum est. Fortè in propinquuo tugurium barbarorum erat: inde Columbus Indos foras euocas, monet ac prænunciat, ipsos, ni vitae subsidia sibi ac suis suppedarent, peste à Deo cælitus missa breui omnies perituros: Cuius rei id habituros signi, quod duos intra dies Lunam sanguine fœdatam visuri essent. Id quum eadem die & hora qua Almirans prædixerat cōspicarentur Indi, (Lunæ autem defectus is erat) subito victi formidinc, quæcumque ei ad victimum necessaria fuerunt, quoad in ea Insula mansit, benignè præbuere, insuper veniam culpæ orantes, neu ipsis irasci pergeret. Ipse ægros socios paupere illo & misero victu, ut potuit, recreauit.

Colubus Hispanos seditiones vincit. IN T E R hæc Franciscus Poresius, quum tam exiguis lintribus impetum maris eluctari & traiicere frustra tentasset, in Insulam regressus est, rapturus alteram ex carauellis Almirantis, si facultas daretur, ut siqua noua ope posset in Hispaniolam transfugeret: sed ut portum attigit, vtramque depressam & mersam aqua reperit. Almirans auditio eius aduentu, suos cum fratre in aciem educit: ventum est ad manus: cadunt nonnulli, multi vtrimeque fauicij: Franciscus Poresius cum fratre capitur.

tur. Hæc prima pugna inter Hispanos in India commissa est.

E A victoria auctus Almirans , quum nullæ ipsi naues superessent quibus inde solueret, postquam in ea Insula menses aliquot moratus, nulla ope , nisi contracta aliqua ex Hispaniola naue, abire se posse vidit: Didacum Mendez, œconomum suum & decem cum eo Indos lntre vno piscatorio mittit è monoxylis illis quibus indigenæ vti solent. Ipse Insulares illos spe ingentium præmiorum onerat, si Didacum incolumem èo perduceret: illi abeunt, & quò securitati consulerent periti locoruni homines, circa scopulorum crepidines nauigium agendo notis sibi vadis traiiciunt. Quippe pusilli illi lntres, nisi summa tranquillitate, alto prouehi nequeunt, & vel minimum verberati fluctibus facillimè subuertuntur. Ergo ægrè emenso mari Indi, ex Hispaniola extemplo Iamaicam repetunt, & peruectum à se atque expositum Didacum Almiranti renunciant: ipsum pedestri itinere Dominicam petere. Almirans eo admodum lætus , multas illis gratias agit, & cultellis , crotalis & crepitaculis donatos dimittit. Illi, perinde hilares ut si ingens aliquod munus accepissent, dominum abeunt.

D I D A C V S Mendez, vbi in Dominicam peruenit, “Commédatario maiori litteras ab Almirante reddidit. Ille carauellam vnam ad eum reuehendum instrui iubet. Mendez pecunia Almirantis alteram comparat: mox ambas onustas commeatu in Iamaicam traducit.

^{“ Nicolao}
^{Ouando}
^{sc. Hispaniæ tura}
^{Prefecto,}

Vbi ex appulerant, Almirans consensu nauis breui in Dominicam transvectus est. Mox paucorum inde dierum quiete sumpta, quæ primæ naues soluerunt, iis cum fratre in Hispaniam traiecit, & Regi successum itineris sui & quæ nouæ ab se repetitæ essent terræ, non sine admiratione totius aulæ regiæ exposuit.

Christ. Co
lumbi obi-
tus, & po-
teritas. **S**E D paucis post hæc diebus, Columbus, fesso ægróque tot itinerum laboribus corpore, in morbum incidit, neque multo post, gruescente in dies eius valetudine, extinguitur. Quum ita honoratæ vitæ suæ cursum clausisset, Et aua die Maij, anno M. D. VI, corpus eius, ut testamento cauerat, Hispalim delatum, in cœnobio Fratrum Certosinorum humatum est. Filium reliquit Didacum Columbum, qui nobilissimā fœminam, Mariam, filiam Ferdinandi de Toleto, magni Commendatarij Legionensis, habere in matrimonio singulari virtute meruit. Ortus est Almirans Columbus Cucureo Genuenfis ciuitatis municipio: maiores eius oriundi Placentia erant Liguriæ vrbe, nobili stirpe Pilistrellorum: ipse prima iuventa nauiculariam artem exercuit. Iusta statura homo, firma & habili membrorum compage, iudicio sano, ingenio excelsò præditus, lœto & ingenuo vultu fuit. Acres illi & vigentes oculi, subflava cæsaries, os paulo patentius: in primis iustitiæ studiosus erat: iracundiæ tamen pronus, si quando commoueretur.



Monachi & sacerdotes in Indiam Occid. transgressi cœnobia exstruunt. A Barbaris trucidantur. Didacus Ocampus trib. mil. Barbaros dolo circumuentos, sup- plicijs coercet. Taletum colonia.

C A P. X V.

FERDINANDVS rex (sicut ante retuli) quo tempore ab Almirante Insula Margaritarum reperta est, edicto prohibuerat ne quis proprius terras à Columbo repertas c. c. millia pass. (id est leucas L.) naueis admoueret: sed quoniam in edictis atque imperiis suis parum momenti esse intelligeret, & quotidie multos concurre-re: Questores & procuratores suos eò mittit, qui vectigalia regia colligeret. Hinc piscatio-nis vñionum initium ductum est.

E o tempore Monachi aliquot vt Indos Christiana fide imbueret, in Indiæ continentē transgressi, quò etiam multi Hispani permu-tandarū cum Indis merciū causa cōmeauerat, cœnobia ibidem exstruxerunt. Sed Indi, iam tuin Hispanorum commercia & dura imperia pertesisti, à quibus nimirū violenter correpti fu-stibus & plagis assiduis ad piscandos vñiones adigerentur, indignas cōtumelias & vim vi ar-cere statuunt. Itaq; manè cuiusdam diei prima aurora in Hispanos irruunt. & eorum cruentā stragem faciunt: mox cū tripudiis & saltatu nō laicos tantūm (vt vocant) sed Ecclesiasticos ipsos & Fratres mandūt. Ex iis tamen aliquot, quum celocis ope quæ ad Cumanae fluminis

Indi nec Hispano-rum tyrá-nidem fe-runt, nec pro pasto-ribus lu-
pos.

ripam deligata stabat, perniciem effigissent, Dominicam contendunt, & Bartholomæo insulæ Præfecto Cumanensium rebellionem enunciant. Ille trecentorum militum confessim manu scripta, Didacum Ocamplum ducem illis præficit.

Hispanicū
strategē-
ma

Hi c cum suis è Dominicæ portu soluens, breui in Cumanam peruenit, & ad pellicieidos in naues Barbaros tali arte vsus est: Suos omnes, exceptis sociis naualibus, in aluum nauis conditos sub tabulis delitescere iubet: vt Indi, quum tam pauci Hispani apparerent, proutius subirent nauim, & persuasum haberent ipsos ex Hispania, non ex Dominica, venire. Indi, conspecta naue, ad ripam fluminis obuiam effusi, Hispanos interrogāt vnde venirent. Illi se à Castella venire respondent: simul signis eos accedere ad nauim inuitant. Indis et si tota res suspecta esset, & Hispanos ex Hayti (id est Hispaniola) venire contenderent, nonnulli tamen eorum vt se eo errore exsoluerent, haud dubij ex propinquo facillimè cognosci posse vtrum ex Hispania an aliunde venirent, nauim vltro subeunt margaritas ferentes per simulationem commercij. Ibi Christianorum ab istis paucitas conspecta errorem fecit. itaque quum iam pro certo haberent, venire illos ex Hispania, non ex Hayti, neque ad eos peruenisse famam suæ rebellionis, ac istis se perinde vsuros vt aliis vni essent, sibi pollicerentur, taciti secum ipsi gaudebant.

Dux Hispanus subeuntes benignè excipit, fit permutatio ynionum inter eos: ille se coruni

eorum quæ accidissent quidquam rescisse callidè dissimulat: per signa etiam rogat ut, si cōmerciū cordi sit, plures vniones & ad maritimos vſus cibaria & coīmeatus afferant. Indi in litus regressi, paucos se in nauī reperisse homines Cacico renuntiant: & omnes facillimè à se interfici posse. Itaque multo plures quām antea Indos nauē ingredi iubet: iis negotium dat ut quām paucissimos Christianos in litus exire patientur, quo facilius destinata exequentur. Simul Hispanorum duci renuncient, eius loci Regulum multos habere vniōnes, quos cum illo permutare cupiat. Cum his male orsis & cœptis consiliis ad nauim regresi sunt. Hispanus dux quum prædam opimam in cassibus, neque maturiorem occasionem ulterius exspectandam esse duceret, signum dat exeundi è latebris militibus: illi improviso exorti Indos partim incautos capiunt, partim interficiunt: pauci in flumen desilientes discrimen effugēre: quotquot captiuos in potestate habuit dux, suspēdi ad nauis antennam iussit, quò ceteris terrōrem incuteret, & his peractis in Cubaguam reuersus est. Insulano-rū eo spectaculo fracta ferocia est, & attonitis animis hæserunt.

Mox verò Didacus in Cumanam reuersus, milites in terram exponit, & omni sœutiæ genere grassatus, miseram illam gentem ac pro-pe deletam, vltro pacem petere cogit. Quæ quum ab eo supplicantibus data esset, & fœderis conditiones transactæ, Indi vigintiquinque casas ē storeis paleisve ad ripam fluminis,

Indi suis
inanibus
compedes
sibi fabri-
cari cogū-
tur,

ipso iubente, suis ipsi manibus exstruunt. Id Toletum urbem vocat, vti iam antè dictū est. Inde quidem rursum frequentari Cubagua, & piscatio margaritarum instaurari cœpit.

INTER hęc appulsi eò octo Fratres Dominicanı, duo monasteria, vnu in Cumana. alterū in Maracapana exstruunt. Mox inde Christianam fidem per eas gentes promulgatum ibant, Regulorum & primorum filios legere & scribere docentes. Ex eo Indi cum omnibus Hispanis amicē & pacatè viuere: sinere etiam illos passim, quò ferret animus, ire: adeo ut sine ullo metu per oram illam maritimam trecenta amplius millia passuum, aurum, vniones & alia quærentes, liberrimè vagarentur.



¶ Doctor quidam è sacerdote tribunus mil. factus, dum Indos pescantis vniōnibus conuertere ntitur, semetipse & suos euertit. Iac. Castellio in Barbaros s̄euit. Lampugnanus Mediolan. in pescatione vniōnum naufragium fortunarum & vite facit.

C A P. X V I.

Doctor
quidam &
sacerdos
seruire si-
mul Deo
ac Māmo-
næ volens
infelicem
inceptorū
exitum ha-
bet.



V M hę in Cumana vicissitudines agitantur, Bartholomaeus quidam de Casis, sacerdos idē & Doctor, cùm fœcūditate vniōnū & pescatu nobilēm Cubaguā esse accepisset, fertilitatis etiam carum terrarū & s̄euitiæ Hispanorū in eas gētes fama commotus, in Hispaniam traiicit, ad Regiam cōtendit. Hispaniæ regnorū hæres, morte Ferdinandi Regis, tum erat princeps Carolus, qui postea Cæsar designatus Caroli Quinti

Quinti nomen ascivit. Eum adit sacerdos, docet nullum esse sceleris & auaritiæ genus quod Cumane indigenè à militib. Hispanis passi nō essent. ac propterca illos, quotidianis iniuriis ad rebellandum coactos, rupta fide quoscunque Hispanos in suis terris reperissent, interfecisse. Itaque eius prouinciæ administratio nem sibi dari postulat: quippe se, simulac eam attigisset, motus omnes breui compositurum: Indos verò etiā tam æquo & moderato imperio habiturum, ut omniū laudē mereri posset: sed imprimis reditus regios aucturū, spōdere.

D O C T O R Lodoicus Zappata, & alij qui rerum Indicarum curæ præerant, quium eum hominem vanum, ineptū & tanto incepto minimè parem, nulliusq. famæ & autoritatis esse iudicarent, adhèc imperitum rerum, morūmq. illius gentis, tali eius proposito obnixè intercedebant. Verùm, nequicquam contradicétib. tantis viris, Belgarum quorumdām procerum & aliorum fauore subnixus, in primis comitis Nansouij, qui Cæsaris cubiculo præerat, quod petebat obtinuit, quòd Christianæ religionis zelum præ se ferret, audacter denuncians se, si quisquam alias Indos tum ad Dei ipsius cultū, tum ad Regiæ maiestatis obsequium versurū, & vñionum vim magnam missurū in Hispaniam. Mox trecentos rusticos legit, qui piscandis vñionibus operam darent, ne Indos fatigari opus esset: adhæc, quo libentius eam expeditionē susciperét, Regiæ maiestati suppli- cat vt eos Equestribus armis atque insignibus, in primis Cruce rubra, decoret, qualis equitū

Optat e-
phippia
bos, piger
optat arate
re cabal-
lus.

Calatrauæ ordinis esset. Cæsar hoc Doctoris studio & verbis commotus, ei quidquid petret annuens, naues instrui, cōmeatus ceteraq; expeditioni necessaria prouideri iubet.

ILLE Hispali soluit, & in Cumanam appulsus, Didaco Ocampo ibi fortè reperto diploma regium exhibet. Is se verò obsequutum libenter ait: sed inde decedere sibi non licere nisi commeatu ab Almirante accepto, à quo coercendis rebellibus & regendę prouinciæ impositus esset, quoad mitteretur successor. Ita elusus sacerdos: ac ne ipsi quidem postea satis inter se concordes procacibus verbis alter alterum exasperabant. Tandem Doctor vbi Regio mandato apud Ocampum parum nomenti esse videt, & se vltro ludibrio esse, Dominicanam petere intendit, & de Ocampi contumacia, qui regiis imperiis parere nollet, apud Almirantem conqueri. Antequam abiaret, quod Toletu vrbe ab Ocampo exclusus esset, ligneum ædificium raptim exstruit: atque ibi depositis impedimentis & omni cōmeatu quē ex Hispania detulerat, Equites illos suos, quoad rediret, in præsidio relinquit. Inde abit: neque multo pōst Ocampus quoque cum maxima militum parte decedit, quod spoliis Indorum onusti ac diuites, in præda & vniobus diuidendis in dissensionem venissent.

CUMANAЕ reguli, quum Ocampum cum maxima exercitus parte abiisse cognoscerent, neque ullos superesse simul Christianos præter eos qui à Doctore præsidio relicti essent: ceteros palatos & dispersos per eas terras vagari

gari vnionibus inhiantes & fœminarum stu-
pris, alliaque fœda edentes façinora, suuntis ar-
mis rebellionem cœptant. Itaque omnes pa-
riter Dominica quadam die manè Hispanos
adorti, quoscunque in Amaracapana & omni
illa ora maritima Occidentē versus reperiunt,
trucidant nullius vitæ parcitur: Fratres ipsi in-
ter sacra maestati, Doctoris domus obfessa &
capta: omnes propè Equites noui venenatis
 sagittis confossi miserabiliter perierte. Pauci
cum monachis aliquot scapha euasere, qui cum
Sacramento (vt vocant) in Cubaguam raptim
transgressi sunt.

Hispani
quas seue-
re fruges,
eadē mox
metunt.

P O S T Q Y A M exorcendæ in homines ire
materia Barbaris defuit, ignē iniiciunt tectis,
templa & monasteria diruunt, campanas fran-
gunt, statuas solo allidunt: postremò Crucifixi
simulacrum deiectum truncatumque in viam
abiiciunt ostentui & ludibrio. Gallinas quo-
que & canes Hispanorum abolent: ac ne Indis
quidem ipsis pepercere, quos vel monachi vel
alij Hispani in ministerio habuissent: terram
ipsam ferientes exsecrantésque quod tam dirū
ac peruersum hominū genus ferre sustineret.

E A res tantum terroris ac trepidationis
Hispanis iniecit, qui in Cubagua commora-
bantur, vt si continentis accolæ Indi vim pa-
ratam lintrium habuissēt, haud dubiè traiectu
in Insulam factō, quæ non plus xxii. millibus
pass. continentis auulsa est, omnes Hispanos
qui in ea erant ad internectionē cæsuri fuerint.
Sed quum pauca nauigia essent, quanquam in-
genti animo moliri cuperēt, inceptū omisere.

REGI procuratores, phasculo confessum in Dominicā missō, rem vti gesta erat significant. Almirās eo nuncio accepto quadringentos milites scribit & iis Iacobum Castellionē ducem attribuit: in Cumanam soluūt. Doctor audita suorum Equitū cæde, subito cucullam induens, in S. Dominici cœnobium se abdidit: quod eum facere, meo iudicio, præststit quām piscatum margaritas in Cubaguam reuerti.

INTEREA Castellio octauo die quām ex Hispaniola soluerat, Cumanam tenuit, & sanguinem cum omnibus militibus in litus egrefsus, totos quadraginta dies cum Indis pugnauit, & magnam eorum stragem edidit. Illi, quamquam fortiter se defenderent, & Hispanorum aliquos interficerent, tandem tamen, quum neque animo, nec viribus, nec ingenio pares essent, & omnibus præliis victi discederent, pacem vltro supplices petere coacti sunt, & Hispani ducis potestati se permittere Castellio in deditos acerbè leuiuit: septuaginta Cacicos suspēdi iussit, qui rebellionis autores fuerant: vulgus in naues imposuit, misitque onustas Indis in Hispaniolam, vbi pro mancipiis venuindarentur. Inde ad tutelam nauium, vti dictum est suprà, arcem Cumanæ fluminis ripæ imponit: Toletum urbem dirutam instaurat. Mox crescente Hispanorum multitudine, septuaginta domus laterculo coctili in Cubagua ædificat. Id pusilli municipij instar, nouum Calicium appellat.

APPEL LVNT post hæc è Dominica quatuor Franciscani, & exstructo monasterio in Insula sistunt, quuin metu Indorum trai-

cere in continentē fugerent. Veriti scilicet ne à Barbaris , quod aliis euenisset , aliquando & ipsi manderetur. Ita de integro piscatio vniōnum ab Hispanis frequentari cœpta est, & magna vis eruta. Ceterum Cubagua insula x. milia in circuitu patet , decem gradibus & dimidio ab Æquinoxiali linea distans, omni sui parte plana, sterilis , nuda arboribus, aquæ expers. Itaque tanta pleruinque humoris penuria est, quum propter contrarios ventos nihil è Cumana subuehatur , vt sæpenumero cadus vini pari aquæ cado permutetur. Cuniculis , sale & piscibus abundat.

Quo tempore piscatio vniōnum feruebat, Qui dite-
Lodoicus Lāpugnanus , eius Lāpugnani pro- scere vo-
pinquo, qui Galeaciū Mariam Sforciam, ducē lūt, in cupi
Mediolani, interfecit, in eam Insulā applicuit, ditates dā
Cæsareo diplomate & priuilegio frētus : quo uosas inci-
ipsi per omnē illam Cubaguæ oram tātam vim dūt & se-
vniōnum, quantā visum esset, piscari absque vlla p̄sos trans-
contradictione liceret. Hic homo ex Hispania figunt do-
quatuor carauellis profectus, omni commeatu loriibus
ad eiusmodi cœptum necessario instructis, multis.
qui ei à mercatoribus quibusdā Hispanis spe
haud dubia questus cōparatus & collatus fue-
rat: Rastellū seu euerriculū quoddam ea forma
fabricari curarat, vt in quācūque maris partem
deiectū esset, quidquid ferè concharum esset
facillimè corraderet. Verū Hispani Cubaguæ
incolæ, omnes pariter ei obfistere , neque pri-
uilegio velle obsequi: dicentes Cæsarē de alic-
no plus æquo liberalē esse. Si largiri quid vel-
let, de suo largus esset: se omnē eā prouinciam

magnis laboribus & periculis subactā ad eam diem tenuisse. itaque se eorum laborum frumentum colligere quam peregrinum hominem, multo esse equius. Lampugnanus, posteaquam priuilegium sibi concessum nullius momenti esse intelligit, tum ne Hispaniam repeteret, partim pudore irritæ speci, partim ingenti ære alieno impeditus est, breui obruentibus eius animum curis in amentiam incidit. Denique quum ex eo vulgo pro fatuo & infano habitus omnibus ludibrio esset, quinto demum anno in ea Insula miserabiliter obiit.



*¶ Indi Hispanorum mores pertuli, amicitiam eorum respuunt.
Contra ius gentium, ut insanabiles & Euangelio minimè
obsequentes durissime seruituti addicuntur. idque
regio edicto, & suadentibus Monachis.*

C A P. X V I I.

PRIVS QVAM cetera exsequi pergam, res admonet expromere causas quas Indicæ continētis indigenæ mācipati & in seruitutē addicti sunt.

Principiò vt ab Almirante Columbus post insulas noua continens inuenta est, eò statim Hispani tedium sui Hispani diuitiarum cupidine confluere, & è apud Indos mouēt prouincia in prouinciam transcurrere, donec crebris itionibus & concursationibus inquieti homines apud Indos tedium & odium sui mouerūt. Itaque, quum eos assiduis laboribus fatigarent tractarēntque acerbius, aurum, argentum, vñiones & smaragdos insatiabiliter flagitan-

Hispani
tedium sui
apud Indos
mouēt

flagitantes: neque illi tam graueis erumnas tolerare diutius vellicent aut possent: omnes ubique Hispanos tollere funditus atque extirpare è finibus suis studebant, ipsi semet execrantes quod non omnes initio trucidassent.

HISPANI verò tum Ecclesiastici tū laici (vt vocant) quum morum eius gentis usu & peritia, eos neque amicitiam Christianorum neque Christi fidem accipere velle cognoscerent: quinetiam hæc ab eis derideri dicendo, Eas fortè res Castellanis conuenire, sibi verò minimè: ob hæc transgressi in Hispaniam Dominicani aliquot monachi, ad Regiā contendunt, & Ferdinando regi barbaræ illius ac brutaë gentis morem fœdaque instituta referunt. Denique multis rationibus, quarū exemplum infrà est, ei persuadent dignius æquiisque esse istos homines pro macipiis vendi quam liberos viuerc. Earum sententia hæc erat:

INDI continentis incolæ idololatriæ & masculæ veneri dediti sunt, vani, mendaces spurci, bruti, iudicij expertes, consilio vacui, rerum nouarum audi, feroce, inhumani ac saevi: veneno sagittas perungunt, adeò noxio vt qui iis vulneratur correpti rabie intereant. Nudi incedunt, pudoris omissis exfortes: ne pubertatem quidem vllam aut barbam gerunt: ac si qui forte pili erumpant, volsellis radicibus extirpant. Humana carne, & animalium spurcissimis ranis, pediculis, lumbricis aliisque foecidis insectis, vesci apud illos suetum est. Summa voluptatem in ebrietate collocat: neque in matrimoniiis fidem aut iura vlla sancta ha-

Hispani postquam Indos fortunis spoliarunt, libertate quoque exuere co- nantur.

„ bent: neque ad mutandos mores peruicacem
 „ gentem vlla ratione adduxeris. Nulla aduer-
 „ sum ægrotos suos misericordia mouentur, &
 „ quamuis arctissima cognatione cōiunctos de-
 „ ferunt: aut ita vt sunt ægros & scimiuiuos, vt
 „ procul à conspectu amoueāt, in siluas & mon-
 „ tes deferunt & exponunt, vbi ferarum ritu mi-
 „ ferrima morte extinguantur. Postremò, vt in
 „ pauca conferam quod pluribus exponi posset,
 „ affirmo nullam deteriorem aut immaniorē
 „ gentem sub cælo viuere.

H i s Rex tam tetris barbaræ gentis mori-
 bus auditis, magnum Consilium suum (vt vo-
 cant) conuocat, & in eo refert illa omnia quæ
 Monachorum relatione ipsum accepisse dixi-
 mus, rogātque vt quid de tam importuna & a-
 gresti barbarie statuendum sit, liberè senten-
 tiā dicant. Ibi non rei certitudine vterius
 quæsita neque accuratori consideratione ad-
 hibita, decretum fit: Placere Indos continen-
 tis incolas in seruitutem addici, nisi equidem
 grauissimis erroribus abdicatis, Christiani esse
 & ab Hispanis humanum viuendi mōrem edi-
 scere vellent.

Hispano-
rum in Oc-
cid. Indos
iniuria, tri-
sti S.C. &
Regia au-
toritate
compro-
bantur.

H o c Senatusconsultum ita factum Rex
 authoritate sua confirmat, & ob signato diplo-
 mate sancit: mox Didaco Niquesē & Alphon-
 so Hoiedæ, qui primi in eas prouincias titulo
 Gubernatorum missi sunt (Niquesa videlicet
 Veraguæ, Hoieda Carthaginis) tradidit: ad-
 ditis mandatis, vt priusquam bellum illis
 gentibus & arma ostenderent, sacrum Euan-
 gelium ante omnia annunciandum curarent;
 mox etiam admonerēt vt fœdissimis moribus

flagitiisque relictis, cū honestis viris compositè & pacatè viuere vellent, & Hispanorū amicitiam sincerè colere. Quas si cōditiones acciperent, & mendata seruarent, Regem Castelle non tantum suā illis permisurū libertatē: sed eos quoq; pro amicis & vassallis suis habiturū. Sin minus, iubere eos capi & trahi in seruitutem: denique in eorum corpora, fortunas & vitā, ferro, flamma & omni belli clade sanguini.

E Q V I D E M, credo, si seruator & redenitor noster Iesus Christus, quū sanctos suos Apostolos per Orbē ad promulgandum Euangelium dimitteret, talibus eos instruxisset mādatis, nunquam tot regna, tot gentes, tot potentissimos principatus humilitati crucis subiecisset, quæ alioquin vltro verbo eius se summitabant, & diuinam eius legem toto pectore adorabāt. Itaq; vel hinc existimare licet quātum sit discriminē inter Dei iudicium & sententias hominum.



¶ Didacus Niquesi ex Alphonsus Hoieda primi ad Indianam continentem subigendam mittuntur. Monachi quod suaserant dissuadere coguntur & Indorum seruitutem damnare. Ea tandem Bulla pōficiac & Cesareo edictō abrogatur. Reclamant diuites Hispani. Monachi irritatos malis exēplis Barbarorū animos, frustra verbis mulcere conātur.

C A P. X V I I .

Duo isti Gubernatores, anno M.D.IX. è Calicio portu soluentes, prospero cursu Hispaniolā tenuere. Ibi Hoieda cōparatis sua impēsa quatuor nauib⁹ & amplius cccc.militib. scriptis, è Dominicæ portu soluit: prius tamē negotiū dat Martino Anciso

baccalaureo (qui regio mandatu summus Iuridicialis Prætor amplissimæ illi prouinciaæ impositus erat) ut cū reliquis militibus, equis, tormentis, & omni genere commeatus, quam-ocissimè posset in subsidium veniret. Cū ad Carthaginem appulisset, in terram egressus, Regium edictum publicè Indis per interpretem enunciat, orans ut pacificè viuere & Christianorum amicitiam colere vellent, & abiectis nefandis suis moribus Christi fidem suscipierent. Id si facerent, Regem Castellæ illis clementer usursum & pro amicis carissimis habitatum spondebat.

Indi Hispanorum amicitiam INDI paucis verbis respondent: Castellæ regis amicitia sibi nihil esse opus. Itaque repudiant uerterentur Hispani unde venerant. quippe se quidem in suis finibus bonos & mansuetos aduenas ferre posse: sed cum iis qui nihil nisi male agere sciant, nec inferendis iniuriis unquam patientur, nullum sibi esse commercium. *Duti con- cionatores Euāg.* Hoc tam absenso responso accepto, Gubernator milites omnes in litus exponit: illi omnem eam oram peruagati, quotquot Indos reperiunt obtruncant.

CETERVM promulgato per omnes eas prouincias Regio illo Edicto, ne cuiquam ignotum esset, omnes omissa & seposita Euan-gelij prædicatione, capiendis Indis quos minus obedientes deprehendissent, & mancipiis contrahendis intendere: ac quamquam ea lex solos Caribas, humanis vescentes carnibus, constringeret, promiscuè tamen in aliis Indiæ partibus, ubi feralibus illis moribus locus non erat,

erat, Hispani Indis ad metalla effodienda, seruiles operas & usum necessaria omnia præmancipiis abutebantur. Inde gliscere barbaris seruitus, & ea usque eò progressa est, ut nisi monachi aliquot obstatissent, qui zelo studiorumque charitatis incensi infelicissimæ gentis libertatem procurarunt, breui genus omne Indorum interitum fuerit.

M O N A C H I illi Dominicaneri erant, qui quum in noua Hispania commorantes, quam acerbis & indignis modis Indi ab Hispanis assiduè haberentur, palam ipsi cernerent, & tantas eorum iniurias tum pro concione tum priuatim ubique reprehenderent, monentes, venire aliquando ipsis in mentem debere, tantæ immanitatis, quantam erga Indos exerce-rent, reddendam Deo esse rationem. Itaque imponerent modum saevitiae, & Indos deinceps mitius tractarent, quo videlicet illi Evangelij iugo libentius se submitterent. Hæc (inquam) & talia quum monachæ Hispanis subiicerent, parum proficiebant, vltro irridentiibus illis dicentibusque, quum nihilo segnus in consueto perseverarent, Barbaros istos esse indigos Christianismo canes. Ita verba & monita odium non fructum pariebant.

Q V A R E coniuncti isti Patres, quum eorum scelerum plenam & authenticam inquisitionem egissent, eam Romam ad Pontificem mittunt per F. Rodericum Minaiam Dominicatum, eique negotium dant ut oxposito Indice seruitutis præpostero & pudendo abusu, quæque inde damna consequuta essent, Bullam

à Papa edi procuraret, qua Indi pristinæ libertati restituerentur. Apostolicam sedem tum regebat Papa Paulus III. Is causa & iniuriis Indorum auditis, veraque iis de rebus inquisitione comperta, Bullam contesit qua Indos suæ libertati reddi iuberet. Eam secum in Hispaniam Rodericus referens, cum aliis monachis Regiæ maiestati earum rerum initium, ordinem, finem, ut gestæ erant, exponit: docens, Indorum peccata ab ignorantia expressa & pura, non à malitia proficiunt: illos quidem creatos esse à Deo homines, non bestias: liberos, non seruos: & ad fidé Christianam adduci debere bonis exemplis, non sauitia aut tyrannide. Itaque cogitaret regia maiestas, provincias illas sub imperio & pedibus suis subiectas esse: ac proinde pium fore prouidere, ne intolerandis malis atq; iniuriis quas paterentur ab Hispanis, breui ad vastitatem & solitudinem redigerentur. Quippe nullum pudore esse Hispanis, miseros illos homines sub oneribus gemere & expirare cogere, terram è fodinis assidue egerere, aliisque seruilibus & paru honestis operibus illaborare: adeò ut multi eorum, tedium & miseras fugientes, dilapsi in silvas sibi met ipsi gulam desperati frangerent.

C A E S A R, ea relatione audita, doctorem Figueroam in Indiam mittit, eique mandat ut ex monachis & præfectis sedulo verum inquirat. Ille abit, mandata exsequitur, quæ cognoverit refert. Cæsar exemplo, nullo preterea adhibito consilio, Indos liberos esse iubet, grauissimis poenis in eos constitutis qui illis deinceps pro seruis vterentur. Lex profecto

Indorum
seruitus
abrogatur

sæcundissima, & illustrissima, ab optimo Imperatore & clementissimo profecta.

ANNO M.D.XLIIII. quum in Hispaniola essem, licentiatus Ceratus pro præside in Insulam venit, Edictum illud Cæfareum afferens: idq; mox per omnes indiæ Insulas & prouincias, magno indigenarum solatio gaudióq; & summo Hispanorū dolore, promulgatum est. Nec difficulter in Hispaniola, Cuba, Iamaica, San-Ioannis insula, & in vniuersum oīni illa ora quæ vulgò à nauticis Terra firma dicitur à Nomine-dei vsque ad Pariensem sinum editum illud obtinuit. Sed in Mexico haud perinde acceptū est, ditissimis quibusdam viris, quorū omnes propè fortunæ in mancipiis sitæ erant, ei legi parére abnuentibus. Quippe contrà asserebant, Indos à Ferdinando rege publicè seruituti addictos fuisse, idq; postea à Cæsare confirmatum, & illis quintæ vœtigal pésum esse: proinde si vellet Cæsarea maiestas Indos libertati restituere, eadē opera sibi nūmos redderet, quos in id merciū genus erogat sent. Hęc & similia omnes vulgò querebantur, exsecrates monachos damni illius sui autores.

E A in re tum Antonij Mendozzæ proregis singularis prudentia apparuit: qua nisi opportune vsus esset, res haud satis feliciter casuræ videbantur. quippe se quoq; ei legi aduersari & ipsis assentari ingenti solertia simulans, de ea abroganda scribere & supplicare eos Cæsari iubet: vero tamen eum officio funeratum exitus demonstrauit. Neque enim Cæsar aut sententiam mutare, aut eorum voluntati obsequi voluit, sed debere eos dicto suo audien-

Mendoza
solerti cō-
filio Hispa-
norum a-
uaritiam
eludit.

tes esse rescripsit. Itaque Prorex, Mexicanæ ciuitatis primoribus conuocatis, nouum Cæsaris edictum exhibit, sed ubi locupletes dominos duriores, neque seruos manumittere velle animaduertit, ne turba inde aut tumultus oriretur legis rigorem prudentia temperauit, eamque omnes tali forma acceperunt: nimirū ut quicunque seruos haberent, quotannis pro rata portione, viginti ex omni numero manumitterent. Qua ex re factum est ut omnes Indi breui in libertatem vendicarentur. Evidē si Blascus Nunez Vela, quum Regiis illis mandatis instructus, Peruanam prouinciam Prorex iniit, ad eum modū fese agitasset, nec quę vitę exitum nactus est, habuisset, nec, quot postea exponerentur, inde eueniscent mala.

Monachi Barbaros allicere ad fidē prædicatione conantur, sed frustra, iam malis Hispanorum exemplis exasperatos. RESTITVTI in libertatem Indis, monachi supplicant Cæsari, & potestatem illò cōmeandi fieri sibi postulant: ut quando Indianam linguā didicissent, eas gentes benignitate alliciendo, prædicationibus & concionibus conuerterent: sibi enim quidem satis esse animi, vt iuuante gratia Spiritus sancti eos ad fidem adducerent. Id cōcessum illis: quinetiam tum vetuit Cæsar vllas deinceps prouincias vi & armis subigi: sed bonis potius operibus ad Christianismum allici. Cum ea autoritate & mandatis octo monachi in Indiam profecti, ad Floridam appellunt: quatuor ex iis in terram egressi concionari cœpere. Indi iam antè ab Hispanis malè habiti, monachos sustibus excipiunt, & imperfectos pro suo more comedunt. Duo alij ad fineis Gattimalæ profecti

uinciæ appulsi, ad prædicandum excederant: sed idem istos, qui & priores illos, exitus habuit. His experimentis deterriti ceteri, incep-
tuim illud commodiori tempori reseruarunt. Verùm equidem si iam inde ab initio pro tur-
pitudine ac flagitio conciliandis eorum ani-
mis adhibita esset benignitas, nō dubito quin
prosperè cœlura fuerint omnia, quippe fœdas
illas & atroces iniurias, veluti exempla ad ma-
lè agendum non habuissent.



Hoieda & Niquesa Gubernatores ferro & flamma in In-
dos continentis incolas sauiunt. Hoieda vulneratur,
& fame è prouincia electus, ex vulnere
in Hispaniola moritur.

C A P V T X I X.

DV M circa nouam Carthaginem mo-
ratur Hoieda cum Indis beliū gerēs;
ecce Niquesa superuenit liburnicæ
vnius, septem carauestrarū, & duorum
phaselorum classe instructus, & cùm amplius
septingentis militibus prouinciam suam pe-
tens. Is solum suum Hoiedam infausto quo-
dam casu iustum & afflictum reperit. Ille pau-
lo antè à Carthagine xii. millia in mediter-
ranea progressus, ingentis prædæ spe & cupi-
dine illectus, genti cuidam infesta arma in-
tulerat, quum Indis credidisset affirmanti-
bus eo loco magnam vim auri reperturum.
Sed ex ea expeditione nihil præter vulnera &

detrimentum ingens retulit. Eius enim populi Cacicus, haud dubius aduentare Hispanos, Indorum multitudine excita, paratus in armis hostium aduentum exspectabat. Qui ut apparuerent, tanta in eos vi irruerunt Barbari, ut Hoieda fugam capessere, amissis septuaginta quinque militibus, & ad mare regredi coactus sit.

H I s auditis qui superuenerant, consilium ineunt, & iunctis viribus in eius gentis fineis impetum facere ac suorum cædem vlcisci statuunt. Itaque sub vesperam maxima militum pars silentio è castris profecti, modico ac suspenso gradu medio itinere confecto, sub auroram Indos securos & somno torpidos opprimunt. Illi excitati vulneribus & ad nec opinatum tumultu pauentes, insuper etiam mapalium incendio perterriti, præcipiti fuga velut cæci euadunt: sed obseptis à milite itineribus incidentes in armatos cæduntur alij, alij incendio perire quam Hispanorum manibus præoptantes, in igneis semetipsi præcipitant. Erant ei populo centum fermè casæ contextæ arundinibus & foliis palmarum contectæ. Omnes ferro flammâque absimpti sunt, præter paucos, quos dubiæ adhuc lucis obscuro, fuga discrimini eripuit. Sex modò capti sunt & Hoiedæ in seruitutem traditi: viatores, quum frigefactis, cineribus aurum quærentes perpauxillum inuenissent, elusa auaritia nec præda pro spe inuenta, malè alacres Carthaginem regressi sunt.

I N D E soluens Niquesa, & directo in Occidente in

cidentem cursu oram præterlegens, Prouinciam suam quærere institit. Hoieda quoque & ipse præter oram nouæ Carthaginis vetus, ducenta ferè millia à Carthagine sinum Vrabensem ingreditur, & ibi equis, machinis, omnique commeatu in litus exposito, ædificia moliri & crebris excursionibus eas gétes infestare cœpit. Indi satis gnari quid Christiani quærerent, rudis auri masias & monilia per vias spargebant: mox intentis arcubus abditi Hispanos, simul vt se ad collendum aurum demiserant, venenatis sagittis figebant.

Dv M eius prouinciæ fineis Hispani populantur, Indi cuiusdam Reguli vxorem fortè inter ceteros captiuos abduxerant. Is Gubernatorem adit, aliquot amicis comitantibus, vxorem sc redimere velle simulans, & dare quidquid ille peteret: sed vt in eius conspectum venit, magnificè exorsus, non eum tantum contumeliosis verbis, sed re ipsa quoque violat, & sagitta venenata configit. Milites audito clamore accurrunt & circunfusi Regulum cum coniuge & sociis obtruncant. Gubernatoris femur saucium, igni (vt fieri cōsuevit) medicatum est, & veneno non satis valido vtcunque sanatum.

HISPANI tantam in hostibus animi magnitudinem demirantes & ab illis dum animosè libertatē suam defenderent, multos iam ex suis imperfectos: alios ex intemperie cæli vulgatis morbis quotidie interire, ac Guber-

Barbari
Hispanorum au-
ritiam es-
tudunt.

Magnani-
mi viri ex-
emplum
& mini-
mè barba-
re virtutis

matore conqueri incipiunt: Se videlicet ab eo in eum locum deductos, vbi propter impeditos saltus & densissimas silvas nequicquam arma & vires experirentur.

PER eos fortè dies ex Hispaniola nauis viris & commeatu onusta è appellens, recreandis omnibus plurimùm profuit: nec propterea tamen fremitus militum & seditiosi clamores leniebantur. Quintam quum vehementius quàm antea ardescerent, Gubernator circumiens omnium vicem consolabatur, bono animo eos esse iubens: breui Ancisum baccalaureum ex Hispaniola cum subsidiis & commeatu adfuturum. Sed verba frustrè erant, & surdis hæc caneabantur, metuentibus videlicet ne tādem Indos pascerent. Itaque maxima eorum pars phasclis inde fugere clanculum moliebantur.

HIS auditis Gubernator, tum vt seditioni obuiam iret, tum ne irrito incepto ditissimam prouinciam relinquere cogeretur, nauem quæ venerat descendens, lagatum in sui vicem Franciscum Pizarrum reliquit: pollicitus breui se ex Hispaniola cum commeatu & recentium militum supplemento reuersurum: ac nisi quinquagesimum intra diem rediisset, potestatem sociis faciens, vt quomodo cunque visu esset, rebus suis consulerent. Is fuit ² Pizarrus, qui postea cum Didaco Almagro amplissimum ditissimumque regnum Peruanum reperit & subegit. ³ Hcieda multis conflictatus laboribus vix tandem Hispaniolam tenuit, vulnera nuper accepto admodū graui: vnde paucos

paucos intra dies summo cum dolore moritur.

1 D E venenatis Indorum sagittis: & remedio vulnerum, vide suprà hoc libro cap. 3. pag. 14.

2 H I C fuit Pizarrus, qui postea Carolo v. imperium noui eius orbis Peruanis prouincijs ampliavit, Attabaliba Rege captio & interemto: mox Marchionis titulo auct̄is & consortis impatiens, Didacum Almagrum, quicun fortunarum & periculorū societas ei erat, Ferdinandi Pizarri fratris sui opera, de medio sustulit: ac vicissim ipse ab Almagri filio, Ioannis R. de & aliorum coniuratorum opera, Lime domi sue interfecitus est, Anno M. D. X L I. De eo fusius lib. 3.

3 H O I E D A iste, postquam in Hispaniolam peruenit, seu dolore vulneris retetus, seu deficien- tibus ad redditum necessarijs: tandem, abiecta & prouinciae & vite spe, Franciscanorum ordinem subiisse (velut ultimum desperatorum perfugium) & in eo culiu mortuus, fertur.



¶ Franciscus PiZarrus Hoiede legatus, è continentī Indiæ cum suis fame expellitur. Ab Anciso Pretore reuerti cogi- tur. Ancisus, victoria aduersum Indos potitus, coloniam condit. Valboa, tractis in partes Hispanis aliquot, ab An- ciso secedit.

C A P. X X.

AM duo præterierant menses, nec redibat Hoieda. Itaque Pizarrus, su- bigente fame, cum L X X. Hispanis (qui ex trecentis reliqui erāt) duobus pelluntur. Hispani fame ex Indiæ cōtinēti ex- inde nauigiis soluit. Sed quum circa eius oræ littora erraret, sicunde alimenta expedire pos- f iij

set, mox repetendæ Hispaniolæ proposito, ingruente procelloso ventorum turbine, è duobus phaselis alter, cum omnibus qui in eo erant, id est, dimidia sociorum parte, haustus aquis periit. Nonnulli ab inusitatæ magnitudinis pisce eius gubernaculum frangi & excuti viderunt.

*Fortis, in-
sula.*

I N D E Pizarrus in Insulam Fortem cie-
ctus est, in cuius litus quum aquatum egredi vellet, et si pacis amicitia que signa ederet, ab Insulanis prohibitus est. Itaque desperabundæs, quum super omnia sæua atque aspera, cælo ac terra infestis, fatigatos etiam sitis exureret, litus aliquod tutum quo exscenderet que-
rebat.

S E D iam mitiore & mutata in melius for-
tuna, ecce in baccalaureum Ancisum incident, qui liburnicam vnam & phaselum viris com-
meatûque onusta Hoiedæ subsidium duce-
bat. Pizarrus eo occursu mirificè latus, ei pri-
mùm suos casus, deinde ut quo ire vellent per-
misisset Gubernator, exponit. Ancisus primò
non credere, istos ob maleficium profugisse
ab Hoieda suspicans: mox ut ea vera esse com-
perit, ingemuit, & illos ponè subsequi iussit.
Pizarrus ad hæc supplex orare ut has infelicis
exercitus reliquias afflictas & ægras in Hispa-
niolam perduci a se sineret. Quod quum An-
cisus abnueret, tum infirmi milites idem
precari, & L. auri libras offerre: quas haud
grauatè accepisset, ni criminis id sibi verti me-
tueret. Ergo gratias agens munus repulit:
ipso

ipsos vtique cōsolatus , breui redituras illis vires & pristinam valetudinem, noui sui cōmeatus ope: quum non aliunde morbos contraxis- sent quām ex miseriis & fame. Ita haud procul Carthagine nauis applicans, in Comagræ li- tus ad aquandum egreditur.

INDI quum nec Niquesæ nec Hoiedæ
Hoc nimi-
rū nescie-
bant Indi,
Ex vno no-
sce am-
nes.
eas naues esse agnoscerent , aquari Hispanos , ceteraque inde sumere quæ necessaria essent , multum mirantibus omnibus , permittunt.

Mox inde soluens Ancifus in Vrabam venit , vbi quuin in eundem locum appulisset , in quem antè Hoidea exscenderat , Naucleri imperitia , nauis prætoria scopulo illisa est , & ea mox aquis hausta , equi cæteraque animalia periere : milites ipsi ægrè , nulla propè re præter vitam incolumi , euaserunt , quam & ipsam ne breui fame amitterent , omnes metuebant .

IPSE Ancifus , naue amissa & haustis com- meatibus , quum iam milites herbis & agre- stibus pomis , quæ in maritima ora reperie- bant , vescentes cerneret , in mediterranea progreedi statuit , satius fortiter pugnando oc- cumbere dicitans quām turpiter fame tabe- scentes mortem expectare . Itaque cum cen- tum Hispanis profectus est : sed vix quatuor millia pass. progressi erant , quum occurrens sagittatorum agmen Hispanos audacter inua- dere & sagittis configere incipit . Itaque illi subacti terga vertere , & terram ipsam & gen- tem , tam lethales sagittas mittentē exsecrates ,

Mox quum nulla inde alimenta expediri posse Ancifus videret, cognouissétque è captiuis ex aduerso, non procul sinu, campestrem esse planiciem, frugibus, fructibus aliis que vitaë subsidiis abundantem, cum centum Hispanis & duobus phaselis in aduersam sinu partem traiecit. Indi primò aliquandiu nouam gentem & eorum consilij euentum quieti spebant. Mox verò ut apparuit illos ibi sedibus locum legere & ædificia moliri, ad eos arcendos arma capiunt. Altera parte quoque Bacca-
Egregium laureus aciem instruit, nīque barbarorū audacum sc. quasi Deus præda & manubriis delectetur.

ciām & sagittas metuens, impressionem facit, nuncupato prius voto, se sacram ædem è Cacici domo facturum. Manus conserunt, fit atrox pugna, utrisque fortiter dimicantibus: tādem Indi, quum hostium vim sustinere non possent, in fugam vertuntur. Ea res Hispanis iam fame cæcis robur & audaciam accendit: fusos hostes persequuntur & omnia cædis complent.

HISPANI ea victoria potiti, eius gentis pagos inuadunt: vbi panis, fructuum, radicum aliarūmque rerum copiam nacti, barbareis cibariis corpora strenue reficiunt. Post hæc vicini fluminis ripam sequentes, in arundineto lodiæs, stragulas, fictilia & lignea vasa & amplius duo mille & quingenta pondo auri laborati reperiunt, quod Comaccus, eius populi Regulus, ne in manus Christianorum veniret, abdiderat. Neque profectò ab illis reper-

Avaritia
tagax.

repertū esset, nisi vbi lateret Indos tormentis fateri & prodere coëgissent. Baccalaureus multas de victoria Deo gratias agens, locum Antiquam Darienis appellat: mirificè quoque lætis militibus ob tantam auri copiam reper tam, quippe sine eo malè alacres & parum ex pleta cupidine reuercebantur.

Antiqua
Darienis.
colonia,

I N T E R E A Baccalaureus missis phaselis Hispanos, quos in aduersa sinu parte reliquerat, arcessit. qui ut venerant, breui in factiones discessere: quum videretur Baccalaureus in diuidendo auro & spoliis partium magis & priuati emolumenti curam agere quam Iudicem deceret. Itaque ² Vascus Nunez Valboa, procax homo & seditiosus, cum factio[n]is suæ popularibus secessit in partes, ac se Hoiedæ iurisdictioni non ultra subiici dictitans, licere omnibus Præfectis esse contendebat: nec se Baccalaureo paritum, qui in iure dicendo priuato magis quæstui quam communi omnium utilitati consuleret, nihilque præter litterati nomen haberet, reipsa vulpem astutissimam referens.

Dv M Ancifus & Valboa ita inter se altercando & iurgiis tempus terunt, ex Hispaniola soluit Rodericus Colmenares, duabus caruallis nouum hominum supplementum & commeatus subuehens, Hoiedæ militibus auxilium, quos in summis rerum omnium angustiis versari acceperat. Inde continentis oram tenuit ad prouinciam Carthaginis, & aquæ penuria laborans, ad fluminis ostium applicuit. Simul quinquaginta milites, qui nauticis

Factiones
inter His-
panos e-
tiā in me-
diis cala-
mitatibus.

90 HIST. NOVI ORBIS
aquantibus præsidio essent, in litus exponit.
Illi egressi in terram, ut si in tuto & pacato
essent, veluti per iuuenilem lasciuiam saltare
alacres & vitulari cœperunt. Sed Indi, qui ca-
rauellas fluminis ostium subeuntes conspexe-
rant, frequentes cum arcubus & sagittis, sub-
ire siluas, atque inde in Hispanos in litore se-
curos ac solutos de improviso impetum face-
re, tanta ac tam festinata vi, ut ne vni quidem
ad euadendum quidquam spatij relinquerent.
Eodem vestigio scaphas confringunt, feroci-
ter etiam aliis qui in carauellis erant minan-
tes, procul significant, quantopere illis potiri
cuperent.

Indi Hispani formi-
dabiles.

COLMENARES Indos adeo acres bella-
tores expertus, sicut aliquandiu pati quām
Barbarorum manibus interire præoptans,
sublatis ancoris, inde in Vrabam properè vela-
dat. Ibi, repertis tantūm quibusdam coloniæ
ab Hoicda positæ vestigiis, multum obstupe-
factus, ac ne omnes à barbaris laniati essent
metuens: tandem ad naueis regreslus, sub no-
tæ, ut si fortè aliò migrassent, suum ipsis
aduentum significaret, tormentum vnum dis-
plodi iubet. Quo signo edito Hispani, qui in
Antiqua erant, præfectum suum adesse rati,
crebris & ipsi extemplo ignibus excitatis in
montium & collium speculis, se non procul
abesse admonent.

ORTA luce Colmenares, quā fumum cuo-
lutum conspexit, eò flectens ad Antiquam ap-
pellit. Tum inter eos ingenti lætitia consalu-
tatio facta, & mutuò alij alios amplexantur,
diuersis

diuersis vtrinque cupidinibus, illi ciborum desideric, hi auri fame ardentes: & (sicuti dictum est) Indi maximam colonorum partem trucidauerant: ceteri petere ab indigenis cibaria, aut procul quæritando viëtum expedire non audebant, tantus sagittarum timor incesserat. Itaque tegminibus laceris, seminudi, strictis arborum frondibus, agrestibus pomis, & herbarum radicibus, aliisque similibus, ægrè inopiam sustentabant.

I Vouerat Ancisus Virginis simulacro, quod sub nomine B. Mariæ Antiquæ Hispali sacram est, non tatum aurea argenteaque dona è manubiis: sed se adem quoque illi sacram è Cacici domo, & Coloniam mox eo loco extruēdam ipsius nomine insignem facturum. Ergo voti damnatus, impositam ripæ fluminis coloniam (quod Darien vocant) Antiquam Darienis nuncupat. Ea, cum Ancisi auspiciis Hispanis colonis frequentari cœpisset, paulò post pestifero paludum halitu & insalubrium aquarum potu infamis, ab incolis deserta est.

2 Hic postea Mare Australe (vulgò Mare del-Sur) primus reperit: moxque eius oræ Praefetus designatus, à Petro Aria, socero suo, seditionis reus peractus, & capitali supplicio affectus est. Vide infrà hoc libro, cap. 24.



Didacus Niquesa in Veraguam prouinciam suam tendens
aberrat à cursu, & naufragium facit. Reue-
ctus ad suos Veraguam, vt
infauustum, relinquit.

C A P. X X I.

Niquesæ
errores.

RI V S Q V A M enarrandis istorum Hispanorum discordiis finem faciam, Didaci Niquesæ errores & causas exponere hīc me nūc esse est. Is quum Carthaginis ora soluens in prouinciam suam tēderet, carauella vna & duabus bireimib⁹ præuectus ceteras naueis ponē subsequi iussit. Sed dū nauigat, noctu coorta tempestas biremes disiectas à carauella abripuit. Luce orta quum biremes in vnum coiissent, nec carauella in conspectu esset, & ignota regio, quō aut quā irent, incertum faceret: tandem retrò proras vertere rectores statuunt. Ita terræ applicant naueis, & oram præterlegentes usque ad os Ciagri fluminis, ceteram ibi classem & socios reperiunt. Vbi quum nihil certi de classis Præfecto cognouissent, eum tandem se inuenturos rati, omnes inde abeūt. Centum millia emensi, quum ulterius progredi non placeret, iaciunt ancoras, & explorandi aditus gratia & quā commodè terra prehendi posset, scapham ad litus & octo nauticos mittunt. Sed quum fortè cōmotum mare esset, & nautæ remis pertinacius euerberantes vndas superare contenderent, obruta gurgite scapha cum septem nautis demergitur. Octauus flu-
etibus

Etibus sese strenue euoluens, nando ad terram euasit. Nauium magistri, scapha in omnium oculis amissa, dum omnis pelagi furor caderet, exspectant: mox sequenti die, æstu posito, phaselis & biremibus, equos, machinas, & comiteatum omnem, in litus exposuere.

I N D E L U P O "Olando, dum Niquesa redi- "Olanum
ret, summam imperij deferūt. Is quò omnem alij vocat.
sociis spem fugæ tolleret, naueis fluctuantes
temerè ad litus ferri atque allidi sinit: mox
himis festinati consilij errore animaduerso, è
fractarum nauium tabulis carauellam vnam,
ad subitos & necessarios usus fabricari iubet.
Inde casas moliri, Maizium seminare, & ali-
quot eius oræ loca peruagari cœperunt: sed
omnes fermè pagos incolarum fuga desertos
reperiebant. Quippe Indi formidine in mon-
tes refugerant: & eæ profectò gentes, quum
id sibi minus conducere arbitrentur, elici ad
certamen nequeunt, neque cum nostris ho-
minibus manum conserere curant: nuda vi-
delicet ac sterili terra satis pro ipsis aduersus
aduenas pugnâte, quibus nihil præter fame in
relinquunt.

Indi famé
quādā se
aduersus
Hispanos
pugnare
malunt.

D V M hæc Olandus agitat, ecce tres nautæ
scapha eò appellunt, qui ab Niquesa præfecto
aufugerant. Illi de Niquesa interrogati renun-
ciant, illum, cararella amissa, in Zorobaren-
sem quādam insulam eiectum, & iam tertium
mensēm per montes siluosos, & solitudines
auias sine ullo humani cultus vestigio, erran-
tem, victu infelici, silvestribus pomis, & vuljis
herbarum radicibus vitam trahere. **Olandus**

extemplo biremē ad eum adūchendum
mittit: ea vbi Insulam attigit, nauim conscen-
dit Niquesa cum paucis illis qui supererant
militibus, & ad exercitum suum venit. Ibi plu-

Niquesa rīmūm de Olando conquestus, proditionis
quā in Veragua pro the-
farto car-
bones re-
perisset, inde exce-
dit. eum insimulans, quōd neglecta p̄fecti sui
salute & omīssā cius vestigandi cura, naues li-
tori illisfisset, vt sumīnum eius prouinciæ im-
perium inuaderet: mox se ex illis sedibus exce-
dere velle militibus denunciat. Illi haud pro-
cul abesse maturitatē frugum quas seuerant
monentes, paululum spatij ad metēdum ora-
bant: sed ipse frugum iacturam quām vitæ fa-
cere malle respondit, neque diutius tam infe-
lici terra considere velle.

P L A C E T nonnullis ita loquutum Ni-
quesam vt Olandi gloriā minueret: verū
opinor eiuscēmodi scriptores, si eam prouin-
ciā perambulassent, vt à Niquesa & aliis
multis, & à meipso quoque, peragrata est,
nunquam fuisse scripturos eam editam à Præ-
fecto vocem, velle se inde excedere, vt alterius
gloriæ officeret. Sed ne si velim nunc plenam
horridæ illius & asperrimæ prouinciæ descri-
ptionem edere, longius ab instituto abstrahar,
eam commodiori loco reseruo. Quippe id
Lib. 2. ca.
10. & seq. mihi propositum, breuem hanc meam Histo-
riam quām accommodatè fieri poterit, pro
exiguo ingenij mei modulo contexere, quō
facilius res maximè memorabiles vias à me,
aut quomodocumque cognitas, quæ illis in
terrīs accidēre, ordine exsequar: tum peregrin-
ationis mērū casus & errores exponam, quæ
mihi

mihi quatuordecim annorum spatio per infrà
scriptas prouincias exacta est. Primum enim
in Insulam Vnionum appulsus, mox Pariensis
sinus tum orientalem tum occidentalem par-
tem perlustrauit. Inde Insulis Margarita, S. Ioan-
nis, Hispaniola & Cuba peragratis, in conti-
nentem regreslus, ad prouinciam Carthaginis
applicui: & oram sinus Vrabesis præteruectus,
in Achlam: vnde Australi mari traecto Pana-
mam (quæ prouincia ab Hispanis Castella au-
rea dicitur) & ex Nominis-dei Veraguam &
nouam Carthaginem, Costamriccam, Caput-
Fondurense, Vallem Olanchiam, prouincian.
Cuattimalam, & Nicarguam adij. Post de-
nuo in Panamam transgressus, regnum Per-
uanum ad extremum obij, aliasque præterea
Insulas, ut quoquis loco planum faciani.

Summa
Indicç pe-
rigrinatio
nis, à Ben-
zone con-
fectæ.

De eius
nominis
ratione, vi
de huius

lib. cap. 23.



¶ Niquesa Veragua relicta, Nominis dei colonie fundamen-
ta ponit. A Darienensibus colonis, ad componendas ri-
xas arcessitur. Mox ob inconsultè iactas voces
probrosè expellitur ab Anciso & Val-
boa, factiorum ducibus.
Mors eius.

C A P V T X X I I .

DO S T Q V A M Niquesæ sententia
stetit Veragua excedere, tanta mi-
litum & nautarum multitudine,
quantam carauela noua & duæ bi-
remes capere poterant, condescendere iussa,

ceteros fortunæ arbitrio permisit, fide tamei illis data, se simulac idoneum coloniæ cōden-dæ locū nactus esset, illico ad eos arcessendos missurum. Sed postea rebus illi vndique im-prosperè cadentibus, id præstare non potuit.

*Portus
Bellus.*

INDE soluens, portum tenuit, cui Bello, id est Pulchro, nomen est, sic antè ab Almirā-te Columbo nuncupatum, quòd amœno & opportuno situ pulcherrimæ condendæ vrbì sedem præbeat: sed Indi Niquesam eò appul-sum, maxima militum parte amissa, regredi ad naues coegerunt. Itaque ad promontorium Marmoris prouectus, feliciorem sibi rerum cursum quam antea promittens, In nomine *Nominis
Dei colo-
niz origo.* Dei (inquit suis) egrediamur in terram. Inde nomen postea loco mansit: ipse quò se aduersus Indos infestantes defenderet, propugna-culum è ligno raptim exstruit.

INTEREA dum Niquesa, circa ea loca va-riis ærumnis molestiisque conflictatur, inter Hispanos Darienis colonos discordiæ studiis accensæ in dies magis ac magis crescere, aliis ad Valboam, aliis ad Baccalaureum Ancisum imperium trahentibus. Alphonsi Hoiedæ milites omnia ita agitari miscerique ægrè ferentes, priusquam res ad ultimū discriminis cer-taminibus veniret, mittere in Veraguam ad arcessendum Niquesam statuunt, qui imperio suscep-to, donec à Rege alias præficeretur, si-multates Hispanorum & seditiones finiret. Itaque, quamquam ne id quidem nisi ægrè obtineri potuerit, intercedentibus aduersariis neque assentiri volentibus, honestorum tamē aliquot

*Niquesa
finiendis
Darienēs.
colonorū
simultati-
bus arces-
sunt.*

aliquot virorum pacisque ac quietis publicæ amantium interuentu effectum, missusque ad Niquesam arcessendum Colmenares.

I s duobus phaselis oram preterlegens, eum tandem debilem, squalidum, seminudum & vietus egentē ad Nomen-dei reperit. Niquesa, qui quiduis sibi potius euenturum quam illud auxilium sperasset, magnam vim lachrymarum profundens Colmenarem amplectitur, & tāti beneficij ingentes gratias agit: mox infelicem hactenus suam sortem miseratus, mala & ærumnas quis conflictatus erat, expōsuit. Colmenares vicissim sui ad eum itineris causam & quibus moti Antiquenses eum accirent, aperit: deinde spe eum solatur & bono animo esse iubet: quippe ditissimam esse prouinciam in quam vocaretur, ibique eum superioris temporis damna & incomoda futuri prouentu facillimè farturum.

I T A Q V E Niquesa cum septuaginta quinque Hispanis, quos ex omni exercitu reliquos habebat, nauim conscendit: & dum nauigant, multa vana de Baccalaureo, de Valboa aliisque multis stolidè iacere cœpit, haud dubiè præse ferens, simulac prouinciam attigisset, animaduersurum in eos, aliisque abdicaturum dignitatibus, alios auro & pecuniis multaturum. quippe id habere ipsis non licere sine suo vel Hoiedæ permisso, qui à Rege Gubernatorum titulum atque in utramque prouinciam imperium accepissent. Multa præterea alia inconsultè effudit, quæ plurimum auditu excepta, exitium ipsi attulere. Nam vt in Antiquam

Temerè
ia&tæ vo-
ces Nique-
sa exitium
afferunt.

appulerat, subito egressi in terram aliquot Hispani ad Consilium ciuitatis verba & minaces Niquesæ in eos voces referunt. Inde maxima fermè omniū aduersus eū indignatio coorta, itaque vix nauis egressum, certatiū minas probráque ingerentes prēcipitem Antiqua expellunt, & inhumanissimè cum suis Lxxv. Hispa-

Niquesæ soluere cogunt. Ipse multū mōrens abiit, exitus. & eam oram præternaugans quum ad aquandum fortè in littus exscendisset, ab indigenis cæsus cū omnibus sociis & comestis est. Hunc Didacus Niquesa vitæ & suscepτæ in Veraguā expeditionis cum exercitu exitum habuit.

I NIQVES A iste, linguae & iræ impotens, quam mala exasperauerat, Dominicam rectā petere, atque ibi apud Regiæ curiæ Indices Vascum & Ancisum de vi reos agere, in animo habebat. Creditur in itinere mersus fluctibus, causam omnē & sua iusta secū ad pisces tulisse. Prodidere alijs, quum Veraguam iterum cogitaret, applicuisse ad quendam eius oræ fluuium: mox aduerso flumine inueniētū & in terram egressum cum omnibus sociis, à Barbaris mactatū esse: atq; ex eo casu inditū fluminis nomen, quod nō procul Zorobarensib. insulis Fluuium Perditorum, vulgo Rio de los Perdidos, vocat. Cui opinioni causam præbuit, quod in huīus fluuij ripā hac verba arbori inscripta reperta sūt: HAC, MISERO ERRORE FESSVS, DIDAC. NIQVES A INFELIX TRANSIIT. In tāta prodentii varietate, nihil habeo quod affirmem. Sed utcunque ea res sit, iste, cū collega suo Hoieda, infelici exitu insigne documētum prodidit mortalibus, quantum malum sit Auaritia.

Ancisus



Ancisus à Valboa in vincula coniçitur, mox solutus in Hispaniam concedit. Valboa Australe pelagus detegit. Petrus Arias Gubernator ex Hispania in Antiquam mittitur. As auarè & crudeliter habitos Indos aduersus Hispanos odio implacabili inflamat.

C A P X X I I I.

DO S T discessum Niquesæ, inter Antiquenses colonos renata subitò fœdior priore seditio est. Valboa satis gnarus se viribus Baccalaureo superiorem esse, vespera quadam in eius domum irrumpens, hominem corripi iubet, & pecunias eius fisco addicit, Prætoriam potestatem priuato cōsilio sine auctoritate regia usurpasse insimulans. Neque Baccalaureus Regij diplomatis & mandati exemplum proferre poterat: quippe amissum inter alia quum prætoria eius nauis in sinu Vrabensi frangeretur. Valboa verò postquam aliquādiu Baccalaureum in custodia habuerat, tandem emisit: moxque discessum apparantem, summissis qui rogarent, oblata summi Prætoris iuridici dignitate, retinere conatus est. Ille verò remisso stomachosè beneficio, in Hispaniam concessit, libellum accusatoriū plenum querelarum in Valboam secum ferens: quem quum Indico Senatui obtulisset, atrox in Valboam sententia lata, sed cuius nulla exsequutio post sequuta est, propter mare Australe ab eo repertum.

Hispano-
rum fœda
inter se
certamina

BACCALAVREVS abierat: Valboa auri cupidine in mediterranea progressus, cum aliquot regulis amicitiam contraxit: in iis cum Panchiaco quodam, à quo ¹ pelagi Australis notitiam habuit, & ab eodem illo deduētus est. Eum postea, quum baptisandum curasset, Carolum nuncupauit. Is ipse Cacicus quum Valboæ grandem auri vim dedisset, ortæque forte inter Hispanos in eo diuidendo rixæ es-
Barbari
Hispano-
rum au-
gustiam ca-
stigant.
sent, libram & lances pugno ita feriit ut omne aurum humi dispergeret, simûlque addidit:
 Non parum equidem vos miror, Christiani,
 „ quòd de re adeo vili tanta inter vos oriantur
 „ certamina, perinde vt si ea res esui aut potui
 „ esset vtilis. Verùm quando vilis metalli tanta
 „ cupido vos tenet, in eum locum vos deducere
 „ volo, vbi auri sitim abundè expleatis. Se-
 cundum hæc dicta, eos ad mare Australe de-
 duxit. Valboa ingentes in ea prouincia opes
 nactus, Castellam auream ex eo nuncupauit,
 in qua nunc sita est Panama ciuitas.

INDE varia eius prouinciæ loca perambu-
 lans, felici semper successu, sæpen numero per
 iuris speciem sæuitiam aduersum Indos auri
 cupidine exercens, magna cum auri & vnio-
 num vi Antiquā Darienis regressus est: ibique
 decretis supplicationibus, propter repertum
 ab eo ingentibus cū diutiis Australe pelagus,
 festo apparatu & sollenni pompa à colonis
 obuiam egressis exceptus. Mox nauit in Hispa-
 niam misla & scriptis ad Regem literis, rerum
 à se gestarum successum simul & præsentem
 statum exposuit: Australe iam mare ab se
 apertum:

apertum: proinde suppliciter ab ipsius Maiestate petere eius prouinciæ præfecturam sibi concedi & mille homines mitti quò facilius eas gentes subigere & regere possit: ceterùm polliceri se breui ingentem vim opium repertrum, vt facilè ex ipsis initiis ac documentis colligi posset. In cuius rei specimen vigintiquinque ingentis magnitudinis vniones ad eum mittit, & triginta millia ducatorum, collecti auri quintam Regi debitam, aliisque præterea munera: cùm iam ante a quoq; magnam pecuniæ vim misisset, sed nauis qua ea deferebatur, cum hominibus omnibus demersa perierat.

R E X munus, & vestigia quintæ & Valboæ literas, læto animo accepit, ex quibus quum intellexisset repertum ab eo Australem Oceenum, sententiam aduersus eum latâ antiquat, eique attributa noui maris præfectura, mille Hispanos in supplementum mittit. Ceterùm Antiquæ Darienis Petrum Ariam Abulensem præficit: episcopum verò designat fratrem "Gobatum, ordinis Franciscanorum, "Io. Cabas- cōcionatorem suum. Inter alia verò quæ Præfecto in mandatis dedit, disertè edixit ut clementer ageret cum Indis, pacemque illis ante arma offerret. Deniq; ex præscriptis Hoiedæ & Niquesæ mandatis ageret: sempérque prædam ac res quæsitas cum sacerdotibus & monachis participaret, qui ad eas gentes conuertendas commeabant.

H I S mādatis atque imperio instructus Petrus Arias, è portu S. Lucari, anno M.D.XIII.

quatuor nauibus & carauellis vndeclim soluit, cum mille & quingentis Hispanis. Ad Antiquam vt appulit, Valboa cum omnibus amicis obuiam egressus, eum summa alacritate excepit, & apud se in hospitio habuit. Mox quæcunque animo incepta destinabat ei penitus aperiens, simul qui prouinciarum status esset exposuit. Lætissimo animo audiuit Gubernator, maximam earum gentium partem Hispanorum amicitiam colere: itaque in Tumanama ædificia moliri cœpit.

INDE Ioannem Costam cum quadringentis Hispanis in Comagram ad quærendum aurum duabus carauellis dimittit. Is non tantam copiam naëtus, quantam insatiabilis ipsius auaritia concupisceret, quotquot regulos in potestate habuit, omni genere cruciatus vexare institit: vt cogeret fateri vbinā aurum abdidissent. Quinetiam ne Panchiaci quidem subditis pepercit: & spoliis ac manubiis in eos grassatus socij reguli animum adeo ab Hispanis alienauit, vt tantū illis infensus esset, & quidem meritò, quantum antè amicus fuerat. Præterea quum magnam eius clientium partem lapidibus obruisset, Indos rei indignitas adeò accedit vt concursu facto & ingenti sublato clamore in Hispanos irruerent, subinde iterantes, Impij isti, scelerati, ac perfidi Christiani pereant, indigni quos terra viuos sustineat. Simul Hispanos complures trucidant. Tribunus ipse cum reliquis militibus & spoliis carauella vna imminentem pestem effugiens, Antiquam repetit, non sine maxima

Guber-

Panchiae
humanitas
indigna
mercede ab
Hispanis
pensatur.

Christia-
num no-
men ob
Hispanos
malè au-
dit.

Gubernatoris culpa, qui tanta scelera inulta atque impunita omittet.

I P S E postea alios Tribunos militares & duces per diuersa eius oræ littora dimisit: in iis Bartholomæum Vrtadum in Achlam, qui egressus in terram, per simulationem pacis, quotcumque Indos assequi potuit, rapuit & pro mancipiis vendidit. Fernandus Valesius in Caribananum cum octoginta militibus profectus est: sed vix in littus exscenderat, quum ecce Indi audaciter impetu in Hispanos facto, quinquaginta interfectis, ceteros regredi ad nauim & inde excedere cogunt.

I T A Hispani, propter aduersam famam atque opinionem quam de se ipsi apud omnes commouerant, tanto vbique odio flagrabant, ut ne eorum quidem conspectum indigenæ ferre possent: & vtrinque quidem, dum Hispani Indis libertatem eripere student, Indi eam acriter defendunt, ad extremam propè perniciem atque internacionem ventum est. Ac, quamquam omnis eius fermè oræ accolæ humanis carnis vesci confueuerint, ex iis tamen nonnulli Hispanorum cadauera qui prælio occiderant, ceteris mandentibus, à tali cibo abhorrebant: veriti nempe, ne etiam tum ex carnes corporibus suis aliquid damni adferrent.

Q V O S C V N Q V E capiebant viuos, militares præsertim duces, reuinctis manibus pedibusque proiiciebant in terram: mox auro

Barbari
Hispanis
captis, cū
fœda ex-
probratio-
ne auari-
et, aurum
in os in-
fundunt. in os iacentis infuso, cum hac exprobatione
auaritiæ, E D E, cde aurum Christiane: ad ma-
iorem cruciatum ac probrum cultellis lapi-
deis alius brachium Hispani, alius humerum,
alius crus abscindebant, & subiectis prunis
torrentes cum cantu & tripudiis mandebant:
ossa verò suspendebant in delubris & princi-
pum ac Regulorū domibus, trophyum & mo-
numentum victoriæ.

1 *Australe pelagus hic intellige, non quo re Età
in Austrum nauigatur, aut quod polo Antárctico
sübest: sicut nec per Septentrionale intelligi debet
mare Glaciale, & quod arctico vertici subiectum
est. Sed quum Indica continens duplii utrinque
alluatur oceano: qui in Meridiem & Occidentem
vergit, Australis, vulgo Dare del-Sur: qui in O-
rientem & Septentrionem, Septentrionalis appel-
latur, vulgo Mare di-Tramontana.*

2 *Hic Arias, Segouiensis ciuis, gladiator erat,
seu (ut Petrus Martyr Mediolan. vocat) hastilu-
sor. Itaque nihil mirū, si eo lanista, ab eius legatis
Indi crudelissimè vexati sint, quando ne genero
quidem suo pepercit.*

3 *Indi quum infinitos Hispanos trucidarint,
eos tamen esui satis aptos negant. quippe duriore
& exsucce carne, nisi trucidati tres aut quatuor
dies prius macerentur. Cuius rei epistola à milite
quodam ad med: cum Hispanum è Lima in Peru
missa, anno M. D. LXVII. testis est.*

Petrus

Petrus Arias & Valboa dissidentes doméstico fœdere conciliantur. Mox male coherēs amicitia disslit. Valboa criminibus à socero structis circumuentus, securi percutitur. Petrus Ariæ imperium abrogatur.

C A P. XXIIII.

X eo quum omnia Petri Ariæ inceppta fœdum atque improsperum existum haberent, Valboæ risui aperte & ludibrio esse, quæ res in eum Gubernatoris iram adeò accedit, ut mox in rixas & iurgia erumperet. Episcopus fœda inter eos dissidia ægrè ferens, ad reconciliandos eorum animos omne studium adhibet, tantumque perficit, ut firmandæ concordiæ Gubernator filiam, Valboæ matrimonio iungaret. Et connubij fœdere pacto, nemo erat qui pacem inter eos firmam ac stabilem fore non crederet.

PE R F E C T I S nuptiis, Valboa consensu socii, cum dimidia parte Hispanorum quos ex Hispania adduxerat, ex Antiqua in suam prouinciam concessit: neque ei per quosdam improbos homines, gloriæ ipsius inuidentes, ea diu frui licuit. Illi enim falsis in eum structis criminibus Gubernatoris aures occupant, deferuntque Valboam occulte per amicos tentare animos militum, & partem exercitus Ariæ subductam in suam prouinciam pellicere. Id ubi Ariæ cognitum, literas ad Valboam componit, quarum hæc summa erat: **Vt** iis vi-

Ariæ &
Valboæ
dissidia pœ-
rum effi-
caci fœde-
rū conci-
liaatur.

fis, nulla interposita mora ad se veniret: consultandum maximis super negotiis, quæ ad v-

troisque pertinerent.

V A L B O A, qui tum ad maris Australis oram nauigiis moliendis intentus erat ad nouas vestigadas terras, his literis acceptis, cum quinquaginta militibus in Antiquam festinat. eò vbi peruenit Gubernatoris saceri sui iussu correptus in custodiam traditur. Mox recitata accusatio, & crima eius morte quoque Niquesæ & Baccalaurei Ancisi vinculis onerantur: ad hæc seditiosum, sceleratum & aduersus Indos immitem esse obiicitur, denique reuin peragit Gubernator & capitis damnat. Valboa contrà obiecta negare, ac deierare de pelle-
sacer generum, capite damnum, securi percussit.

ctis ad secessionem militibus falsò & immie-
ritò se accusari. Itaque videret etiam atque etiam Gubernator, quid de se statueret: se quidem, si eius rei tentatæ sibi cōscius esset, nunquam in eius conspectum fuisse venturum. cetera quoque crimiua, vt poterat, diluebat: sed vbi vis plus potest, parum in iure & ratio-
ne præsidij est. Postremò audire ulterius ho-
minem negat se velle Gubernator, & peracto
iudicio abduci cum quinque aliis Hispanis ac
securi percuti iubet.

F I N X E R E nonnulli Valboam magnum quendam & illustrem victoriis ducem fuisse, felicitate etiam armorum quolibet Romano-
rum imperatorum præstantiorem, propterea quod omnium quæ cum Indis gessit bellorum semper victor extiterit. Sed immodicæ illæ eius laudes risum magis quam admirationem merentur.

merentur. quippe Romani quondam cum bellicosissimis & ferocissimis Orientis gentibus bella gererunt: Hispani verò in Occidente nihil præter bruta animalia & bestias subegere.

Quod quidem eques quidam Hispanus optimè intellexisse videtur. Is quum in Africa ad Argeriam Carolo Quinto Imperatori militaret, essetque vñà cum aliis aliquot e- Ferd. Cortez
quitibus, in iis Ferdinandō Cortesio (is est tefsi facili- les de In-
qui regnum Mexicanum aperuit & subegit, dis victo-
quod ab indigenis dictum Themistitan, ipse rix.
nouam Hispaniam nuncupauit) quum in-
quam vñà esset, ac fortè Maurorum globus
hominum multitudine superior in eos irrue-
ret, ipsi verò ad resistendum hosti se impares
esse cognoscerent, dant sc̄e in fugam. Ibi
Cortesius clamore fugientes sistere, & hor-
tari socios ut in hostem versi cum strenuè ex-
ciperent. Tum Hispanus ille eques, Belua ist-
hæc, inquit, putat sibi rem esse cum suis Indis,
quorum vigintiquinque millibus fundendis
decem equites suffecerint.

A L L A T O in Hispaniam de Valboa nuncio, grauiter mortem eius Indicus senatus tulit propter præclara eius in se officia ac merita, & opes Regi ac Regno Castellæ ab eo partas, reperto, videlicet Australi Oceano, & inde ingenti auri & vñionum copia in Hispaniam missa. Quamobrē tum ob id, tū maximè quòd Antiquenses coloni præter hæc multa ad regē in Petru Ariā scripsissent, abrogatum ei imperium est: et si Nominis-dei & Panamæ

coloniis originis suæ initia dedisset, patefacto ex altero loco ad alterum itinere.

I E T S I enim Niquesa primus Nominis-dei conditor fuerit, & Panamam Indi incolerent: eamen utramque coloniam Arias Hispanis repleuit, & quinquaginta millium pass. spatio, à mari ad mare iter, antè siluis, lamiis, rupibusque inuis obstructum, & leonibus, tigribus, ursis & simius infestum, primus aperuit.



Hispanorum prefectorum in Indie continentis clades. Alfin-geri & Georgij Germanorum cedes. Coloniae ab Hispanis in Castella Aurea conditae. Hispaniolenses Indi Hispaniam tyrannidem pertessi, sibi met ipsi mortem consi- scunt.

C A P . X X V .

Avaritia,
vt mere-
tur infe-
llit.

MVLTI præterea alij Gubernatores & duces eas Indicæ continentis prouincias adiere, omnes vna quaerendarum opum & diuitiarum cupidine incensi. sed eorum nonnulli ab Indis comesti sunt, alij ab ipsis Hispanis trucidati, quod ipsorum aduersus Indos rapinis & latrociniis indulgere nollent. Non pauci quoque fluctibus hausti; & aliqui præterea longius à mari progressi auri fame, in mediterranea ad eo fese immerserunt, vt in locis auiis & vastis terræ solitudinibus deprehensi, quum eius cæli naturam & tempestatum morem ac præfagia ignorarent, quæ illis in regionibus cum

cum atrocissimis imbribus hyeme ruere consueuerunt, neque verò progrederi vterius aut regredi possent, cum omni exercitu interierint.

CETERVM Hispani in ea ora continenter infrà scriptas vrbes cōdidere, Nomen-dei, Antiquam, Carthaginem, San-martham, Caput-veli, Valentiolā, ditissimæ prouinciæ opidum, quam Cæsar anno M.D.XXVIII. Velzaris mercatoribus Germanis oppigneravit. Illi primùm in eam prouinciam Gubernatore Ambrofium Alfingerū misere, qui auri reperiendi cupidine crebras in eas gentes excursiones, mulda sœuitiæ exēmpla edidit. Sed eo tandem ab Indis occiso, suffecré alterum stirpis suæ Præfectum, cui Georgio nomen erat. Hunc Hispani qui ei aderant, noctu per insidas incautum in lectulo aborti vulneribus confoderunt: mox excarnificatum & domo extractum, multis cum probris ac contumeliis per viam raptarunt: postremò eius cadauer in proximum saltum abiecere: donec orta luce humaretur. Verùm haud ita multo pōst, Cæsaris mandatu, noxij vt nouissima exempla meriti, exquisitissimis pœnis affecti sunt.

Hisp. sœuitia in Germanos in India peregrinantes.

IAM quum breuem hanc meam Historiam quam accurate & commodè fieri poterit contextere pollicitus sim, redeundum eò vnde deflexeram, & siquę de Hispaniolę & vicinarum insularum rebus supersunt, exsequenda mihi hoc loco iudico. Almirante Columbo mortuo, Ferdinandus Rex Didacum filium eius,

Hispano-
zum in
Christ. Co
lumbi fi-
lium in-
gratitudo.

eadem autoritate auctum qua patrem orna-
uerat, Proregis titulo Hispaniolæ præfecit: sed
imperium ei haud diuturnum fuit. Quippe
Hispani, quum sibi imperari à peregrino pa-
ti non possent, multa in eum ad Regem scri-
bunt. Itaque Rex exutum magistratu in Hi-
spaniam reuocat. ibi de suis priuigeliis mul-
tos annos cum Rege litigans, tandem penden-
ti adhuc lite & incerto euentu iudicij moritur.

Barbari
Hisp. tyra-
nide op-
pressi, vim
vitæ suæ
afferunt.

Possunt hæc alij Gubernatores, tum Eccle-
siastici, tum laici, in Hispaniolam missi sunt:
sed Insulani, postquam se vndique perpetuis
atque intolerandis laboribus opprimi sentiūt,
neque ullum finem adesse malis, aut spem re-
cuperandæ libertatis, in planctus omnes &
suspiria effusi crebris votis vltrò mortem op-
tabant. Itaque multi abiecta omni spe, ebeun-
tes in silvas ex arboribus semet ipsi suspende-
bant, imperfectis prius liberis, dicendo: Multo
optabilius esse illis semel mori quam adeo mi-
serè vitam trahere, eiusmodi latronibus te-
rrimis & ferociissimis tyrannis seruientes.
Fœminæ postquam herbæ cuiusdam succo fœ-
tus sibi ipsæ abegerant, ne videlicet Hispanis
mancipia parerent, virorum vestigia sequutæ
laqueo vitam finibant. Denique quum per o-
mnes lethi vias mortem laceſſerent, alius ex e-
dito monte iacto in præceps corpore, alius in
mare, alius in profluentum demersus: nonnulli
etiam voluntaria inedia vitæ finem inuenere.
Erant etiam qui acutissimis è silice cultellis,
aut mucronatis vallis pectora & latera trans-
figerent.

Q V I B V S tandem malis effectum est vt ex duobus Indorū millionibus , id est vicies centenis capitum millibus, quibus ea insula incolebatur , aliis sua manu interemptis , aliis sœvitia Hispanorum & acerbitate operum enectis absuntisque , vix hodie centum quinquaginta supersint. Hoccine est barbaras gētes ad Christianam fidem conuertere? Nam nequis putet cum aliarum insularum incolis mitius actum esse quam cum Hispaniolensibus, idem plane in Cuba , Iamaica , Portu-ricco & aliis locis, contigit : immo quæcumque postea vindicandis ab solitudine insulis deportata sunt è continenti mancipia, quamquam incredibili multitudine, ad extremum tamen propè omnia ærumnis & miseriis confecta interiere. In summa hoc affirmo , quibuscumque locis Hispani vexilla sua & signa fixerunt, ibi ingentibus sœvitiae exemplis editis, æterna implacabilis in se odij monumenta indigenis reliquisse.



*¶ Indorum Occid. religio & ritus. Medendi mos.
Matrimonij leges. Avaritia inde
exulat.*

C A P V T X X V I.



V O D ad Religionem earum gentium attinet, non solum in ea insula, sed & in aliis omnibus noui illius Orbis prouinciis , adorabant atque

Indicari
gentium
pertinax
idolola-
tria.

etiam nunc plures & diuersos deos colunt, de-
pictis simulacris signisque, quorum alia è cre-
ta, alia è ligno, nonnulla ex auro & argento
facta sunt: & quibusdam Indiæ nouæ locis, ma-
xiimè in Peruano regno, effigie auiū, tigrium,
ceruorum aliorumque animalium expresa vi-
di: immo etiam quædam deformi specie, cau-
da ad pedes usque promissa, quales vulgò a-
pud nos pingi solent dæmones aut lemures
nocturni. Ac quanquam sacerdotes & mona-
chi omni ope conati sint & quotidie conen-
tur ea idola abolere, multa tamen eorum sa-
cerorum antistites defossa specubus subter-
raneis asseruant. Quibus clam sacrificantes af-
fiduè supplicant, petuntque qua ratione & via
Christianos in perpetuum è suis finibus expel-
lere possint.

QVINETIAM deorum suorum nomine
quemque proprio inuocantes, singulis sua
officia tribuunt, & huic huius rei alteri alte-
rius procurationem, assignant: yti olim facti-
tatum Ethnicis, qui vulgò victoriis præesse
terra Martem, mari Neptunum: Aesculapium
medicinae, Herculem diuitiarum atque opum
arbitrum esse credebant, illique decimam for-
tunarum suarum volebant, quò cetera tuere-
tur atque augeret. Ad eum modum nihil
ferè à suis numinibus petunt hæ gentes præ-
ter largam ciborum & potus copiam, bonam
valetudinem, & de hostibus victoriam. Sæpe
numero illis illudit Satan & alia atque alia spe-
cie visendum se præbet: sacerdotibus nonnula
eorum quæ precibus exposcunt annuens ac
promittens

promittēs. Ac si fortè promissis successus non responderit, illique de eo conquerantur, continuò excipit: Mutasse se sententiam propter grauissimum aliquod peccatum ab ipsis commissum: ita fallaci excusatione miseris eludit pater ille mendacij.

Satanæ libidinia, qui
bus Barba rotulat-
nat.

Quam Cacicorum Hispaniolæ aliquis præcipuo suo numini sacrum & festum diem celebrare institueret, omnibus subditis & clientibus suis tam viris quam fœminis, diem ad conueniendū dicebat: illud ubi vndeque ad solenne illud, consueto loco, confluxissent, omnes aptè in ordinem sese disponebant. Cacus ipse agmen antegressus, princeps templum inibat, ubi sacerdotes adorando idolo intenti erant. Ingressus ut confederat, tympanum pulsabat: mox sequebatur vniuersa multitudo præeuntibus viris, qui nigro, rubro & flavo distincta corpora, versicoloribus etiam psittacorum & aliaruin auium pennis ornaverant: colla, brachia, crura, coronis, torquis atque arimillis ex concharum marinorum testis redimiti: fœminæ puro corpore & nullis pigmentis fucato, virgines quidē prorsus nudæ: quibus viri erant, peplis aut castulis mulieribria velate, sicut in sinu Pariensi & aliis continentis prouinciis fieri solet. Tali cultu habituque saltantes & patria quedam carmina in laudem Idoli canentes templum subibant: Cacus tympani sonitu ingredientes salutabat: mox demisso in guttur bacillo vomitum ciebant: ut Idolo palam ostenderent, nihil

Sacrorum
titus apud
Indos Oc.

se in pectore mali occultum gerere.

H i s tam absurdis ceremoniis peractis omnes complicatis pectinatim cruribus humi considentes, alios quosdam hymnos cum murmure quodam lugubri concinebat: ac tum superueniebat aliud fœminarum agmen canistra gestantium, popanis & panibus plena, & rosis floribusque odoratis conspersa: illæ certe- ris canentibus circumfusæ orationes quasdam illis insuffurrabant. Alij ut inuicem responde- rent, se se ergebant: donec cantionibus illis peractis, mutato concentu nouam quan- dam in Reguli sui laudem ordirentur: postre- mó panem Idolo offerebant. ¹ Eum sacer- dotes acceptum & ritè sacratum diuidebant inter omnes, velut sanctum aliquid, & fausti ominis reliquias. Peracto sacro, omnes ad- modum alacres atque hilares domos quisque suas reuertebantur.

C R E D E B A N T præterea Solem & Lu- nam è quodam antro prodiisse: & cucurbitam

Absurda velut sacrum monumentum habebant, vnde de Solis & Lunæ origine opificia lacra lignea colebant, velut omnis abundantia.

largitores & præsides deos, quorum delubra quotannis Indi peregrinabundi frequentare consueuerant. ² Erat insuper illis Idolum quadruipes instar canis, quod (ut fertur) quoties illi bilis commota erat, in saltus ac montes au- fugeret: ipsi verò sollenni pompa, solicetè que- situm atque inuentum, humeris in fanum re- portabant.

IN hac Insula, vt & aliis noui eius Orbis prouinciis, arbusta quædam nascuntur modicæ magnitudinis, arundinum fermè specie: folia vt nucis habent, aut paulo maiora, qæ ab indigenis (apud quos hic mos inoleuit) plurimi fiunt, & ab ipsis quoque mancipiis, quæ Hispani ex Africa eò deuexere. Vbi maturum est, ea folia stringunt & in fasciculos collecta ligataque in fumario suspendunt, donec inaruerint: quumque illis vti volunt, spicæ patriæ folium unum eius herbæ vni folio innectunt, eaque simul fistulæ aut tubi instar compingunt: & eius capitum altero igni admoto, alterum ori inserunt, & spiritum flatumque ad se retrahunt.

DE N I QV E tantum fumi sorbent, vt ora, guttura & capita impleant: tantam interea patientiam præstantes durantisque quoad voluptatis quam inde percipiunt non pœnitentia: sequi immitti illo fumo adeo inebriant, vt penitus sopito omni sensu è mentis potestate exeant. Reperiuntur etiam qui adeò audet ac furenter eum hauriant, vt tanquam exanimis in terram concidant, ibique maximam diei partem aut noctis, velut stupefactis sensibus & capti mente, iaceant. Nonnulli temperantius & haec tenus tantum sorbent, quoad vertigine capitis corripiantur: neque ulterius progrediuntur. Quam pestiferum, obsecro, & noxiūm hoc Tartareum venenum est? Mihi quidem persæpe usuerit per Guatimalam & Nicaraguam prouincias iter facienti, vt domum Indi alicuius ingrederet,

Fumus in-
ebrians:

qui eam herbam degustasset (quæ Mexicano idiomate *Tabacco* dicitur) & simulac fœtor acutus tetri illius & verè diabolici fumi nares meas contigisset, cogerer præproperè inde excedere, & aliò migrare.

Medici ijdem & sacerdotes apud Indos.

IN Hispaniola atque aliis insulis, quum corum medici aliquem ægrotum curandum susciperent, ad fumigandum, vti diximus, ingrediebantur. Quumque eo ad satietatem inebriatus esset, tunc præcipua curatio fiebat: donec ad se reuersus mille rerum species sibi obiectas, & se ex concilio deorum rediisse referret. Deinde illi ægrotum ter aut quater circumcuentes, corpus illius, maximè renes, manibus leniter demulcebant: multiplici interea oris habitu gestuque, os lapidémve intra buccas tenentes. ca ossa & lapillos fœminæ, velut sacras reliquias, studiosè condebant, persuasæ tis amuletis adiuuari puerperia. Si æger medicum rogaret, quid se futurum esset, breui egritudine liberatum iri respōdebat: si fortè ex eo morbo eum mori contingeret, non deerat excusationes, sed hæc longè omnium optimæ, Mortalis nempe erat. Si quis medicus omisisse illis rebus & consuetis ceremoniis ægrotum inuiseret, in eum grauissimè animaduertebatur. Quascunque prouincias adire mihi licuit, quantumque intellexi, iidem medici sunt & sacerdotes: & in aliis earum terrarum oris ita se habere facile equidem crediderim: eos patriò idiomate Bohitios appellant, maximæ vibique illos autoritatis: quorum tamen opera & arte nulli ferè, præter primores, vtuntur.

APVD illos vxorum indefinitus est numerus: quām multas libuit, ducunt: vnam tamen præ ceteris eximiam habent, quæ in ceteras imperium obtinet. Quum Regulus aliquis sine liberis moritur, in principatum succedunt fororum filij non fratrum, quum sui sanguinis haud dubiam stirpem planius constet esse quos sorores peperere, quām hos non satis certa origine genitos. Cuius rei causa est, quod illis parua pudicitia cura & plerisque locis filiæ & sorores inuiolatam castitatem vix retinent, quum permixti virginibus pueri, ut galli gallinacei cum gallinis, nullo pudore tum humi, tum suspensis in aëre cubilibus, iaceant. Fœminæ partus enixaæ, ad mare aut ad flumen deferunt, abluuntque, & deinceps sine villa cura liberos educant.

NON NVLLI istos maximè latrociniis detitos esse, ac minima furtæ legibus eorum suspendij pœna coerceri dicunt. Verum quis credat istos furari, quando neque auari sunt, neque diuites, nihilque vilius ducunt quām argentum & aurum? quibuscque si habere libertum esset, liceret quantum vellent è fodinis, velut aquam è fonte, nullo impediente petere. Quod ad cultum attinet, nudi omnes incedunt: quod ad victimum, nemo est qui petenti & domum suam ineunti vltro non det. In sollennibus verò ac festis quibus conuenire illis mos est, cibaria vulgo conferunt, simulque omnes & promiscue epulantur, cantant & saltant ad ebrietatem & lassitudinem usque. Ita dum liberi essent, iniucem se his ludicris

118 HIST. NOVI ORBIS
oblectabant. Quamobrem inducere in animum non possum ut credam vlla inter eos esse latrocinia, nisi fortè furari didicerunt à primis, secundis & tertiis Hispanis, qui principio eas terras coloniis occuparunt. Vtinam à Deo nobis concessum esset, ne magis bonis temporalibus affixi essemus quam illi sunt: equidem Christianum nomen per omnes terras celebre & cælestē esset, si à nobis exuiaret Auaritia.

1 VETERIS & purioris religionis fugientia veluti quedam vestigia & imitamenta. Iussit Deus in lege offerri sibi panes, ut eo symbolo admoneret Patria alimenta quibus sustinetur hominum vita, sacra esse ipse Deo. Exod. 25. Atque ita primi homines, tradito diuinatus ritu, è fructibus suis sacrificia Deo obtulerunt, ut profiterentur se eius esse, & omnia illis sua accepta ferrent. Gen. 4. Cuius rei mox adulterina imitatio etiam inter barbaras Gentes propagata est. Sed, præterquam quod illæ erant inanes absque fide ceremonia, longè aliud est Deo viuo, aliud idolis sacrificia offerre.

2 REGVLVS quidam, Gamareetus nomine, Zemis idolum bombycinū habuisse fertur (Corocottum appellabant.) Hic Corocottus è summo domus culmine, ubi vinclitus afferuabatur, saepenumero exire atque inter fœminas regij pagi ac totius circa vicinia, Satyri aut Incubi instar, oberrare, & cū iis etiā ludere familariter, epulari & coire consueverat. Mox cum ab eo cōgressu fœminæ partus gemina corona aut alia illustri nota insignes eniterentur, nemo ex Corecotti stirpe or-

tos esse dubitabat. Interdum etiam indignandum delitescere ferebant, quod à Cacico aliquid ex quotidiano eius cultu & sacris pratermissum esset. Alteri præterea a cuidam Cacico (ut ferè singuli peculiaria numina habebant) Zemen fuisse ligneum memorant, quadrupedem (Epilguans tam appellabant) qui subinde, quoties irritaretur, in silvas se proriperet. Moxque ut eum abesse senserat Cacicus, multos è suis mittebat qui eum studiosè conquisitum & placatum venerabundi humeris referrent. Ita nimirum inter miser as illas Gētes delicias faciebat Satan. Donec Christianis in Insulam aduentantibus, & iste & ceteri Zemes aufergerent, nec quasi reperirentur. Quibus rebus mutationem status & peregrina gentis dominatum portendi auguratos fuisse Insulares, scribit Petrus Martyr Mediolanens. Decad. I lib. 9.

3 Gonz. Ouidius Histor. Ind. lib. 5. cap. 3. ita scribit: Grauissimum peccatum, & à quo huius Insula (de Hispaniola loquitur) indigenæ vehementius abhorrenerent, quodque acerbius vindicarent, furtum erat. Itaque vel minimo in furto deprehensus, adacto per mediū corpus stipite (familiari Turcis suppicio) ibi affixus tandem relinquebatur, quo ad inter cruciatus vitam finiret.

Hactenus Ouidius, cui suffragatur Gomar. Hist.

gener. lib. I.





*Indorum Occid. fruges. Panis faciendi mos.
Petus. Pomorum & fructuum
variae species.*

C A P . X X V I I .

EGENTES frugem suam vulgo *Maiꝝ* vocant (quæ ab Insula Hispaniola, prima à Christianis reperta, conuehitur) ut vinum Chichia: lin-
Sementis facienda in India ratio.
Canoas:enses Mácajas: regulos Cacicos nominant. Ad sementes faciendas terram non arant: sed in modicæ altitudinis scrobibus effossis, tria quatuorve grana in vnam dimittunt, terraque operiunt. Singuli culmi tribus quatuorve paniculis onusti adolescunt, quarum singulæ grana centum & amplius fundunt. Maizij scapus hominis altitudinem exsuperat, & quibusdam in prouinciis bis in anno colligitur.

FOEMINAE pistrices, quæ Maizij coquendi curam habent, prius sub vesperam frigidam eius frugis quantæ visum est mensuræ affundunt: ita maceratam, manè sequentis diei duabus silicibus paulatim tundunt & frangunt, quædam erectæ in pedes, quædam flexis humi genibus: sedulò interea carentes nequid pilorum aut pedicularum in opus decidat. Massa confecta, postquam aqua paulatim consperserunt, panes modicos aut longa aut rotunda figura ut libet faciūt, & foliis arundinum inuo-

innolitos, rursusque leuiter aspergos, coquunt. Hic vulgaris panis est, & post duos dies mūcessit.

N O B I L E S verò ita parato vescuntur: Maij grana in pilis fœminæ tundunt & frangunt; mox aqua calida macerata ita folliculis deglubunt ut solis farinæ flos remaneat. Eam quoad fieri potest subigunt, pinsuntque, & massâ confectâ atque in pastillos distributa, liba aut farracea modica conficiunt: quæ testo rotundo imposita lento igne percoquunt. Genus id testuacei panis operosum est, quum recenti subinde sit opus: atque ut calidus, ita vetus & frigidior, parum utilis sit: medio verò temperamento salubris, quum neque nimium recens nec vetus est. Quum per carum terrarum inculta & deserta iter facerem, necessitate magistra pinsere id frugis genus didici, ne illud videlicet crudum aut tostum deuorare cogerer. Sed durissimi eius grani pistuſa molituraque immensi laboris est: ac quum fæpe ad satietatem mihi non superesset, Indorum nobilium more corticem non eximebam, neque verò ad illud nimilitum pinsendum lacerti mei fame debilitati pares esse poterant.

A T I V D etiam genus panis hadent, quod **Cazabi**, vulgo appellant. Id ex Iucca conficitur: secundarius radix est rapi crassitudine, quæ nullum ex se semien fundit, sed cannas tantum quasdam no-
dosas & solidas, viridibus foliis, ut cannabis. panis In-
Eas cannas, ubi maturitas adest, in taleas duos dorum.
palmos longas exsecat, quas in tumulos quos-
dam (Conuchos appellant) digestas, terra

obruunt. Ex illis intra biennium radices mirae amplitudinis crescunt: quoties vero id genus panis conficere volunt, earum radicum quantum visum est eruunt, paucas tamen unaquaque vulsione, quia breui corruptiuntur. Mox purgatas acutis silicibus, quos ad littus maritimum legunt, velut cultellis, exsecant: ac ex iis segmentis panno inuolutis succum exprimunt (id praesentaneum venenum est, si bibatur) deinde Luccam ita subactam inferentes foco, ingenti testae fictili, velut libum faraceum, impositam igni tamdiu torrent quo ad omnia cohærent. Postremo inde sublatam massam ad solem exsiccant, eamque in modicos & maiores veluti pastillos distribuunt.

Id cibi genus, meo iudicio, admodum asperum atque infelix est: si loco sicco & sudo recondatur, tres quatuorve annos incorruptum durat. Sed ferè quum estur, guttur humore aliquo collui necesse est: alioqui propter asperitatem fauces angit, atque ægrè degluitur. Mihi quidem, quum eo sicco & minimè humecto vterer, videbar terram mandere: si iure carnium diluatur, iucundius est, sed ne ita quidem multo melius. Omnes nauis quæ ex Hispania in eas oras traiiciunt, reddituræ eius panis comineatu onerantur, præter eas quæ à Vera-cruce, nouæ Hispaniæ por-

^{“De eo tu, soluunt: si quidem in omnibus “Septentio-}
mari vide supra pag. 104.
 nalis Oceani oris, insulis & prouinciis quæ ab Hispanis incoluntur, ne vnum quidem frumenti granum colligitur. Nauigia vero farinæ

& biscoctis seu nauticis panibus instructa ē Mexico veniunt: atque inde ducentorum fermē millium spatio mulis & carris varias in partes exportantur.

Duo præterea radicum genera illis sunt, Battatæ & Haiz radicum species, quarum alias Battatas, alteras Haiz vocant, indiscreta propè specie similes, nisi quod Haiz minores & sapidiores sunt alteris. Porro plantantur, & sextum intra mensem fructum edunt: ceterū sapore quidem aliquantulum dulci, sed satietatem mox & fastidium inducente, exigui etiam admodum succi sunt, ventosque ac superuacuos flatus gignunt: & vulgo sub prunis coctæ edi solent. Sunt qui dicant eas radices panem sacchariten (vulgò Martium seu Marzapanem vocant) aut castaneas saccharo conditas gustu repræsentare: Gomara z. li. Hist. Gen. verū, mei palati iudicio, vel sine saccharo meliores sunt castaneæ.

Quando in eum sermonem de Indico pane incidi, haud alienum erit de eorum quoque vino agere, ac præsertim de eo potu quē ex Maizio moliuntur. Fœminę illę panificæ, de quibus antè, eius frugis quātum visum est modo vini quod facere instituerunt, capiunt. Id ubi triuere & pinsuere, in ampla quædam vase aqua plena demergūt: tum illæ quę potus eius faciendi curam habent, grana aliquot de promūt, & in olla infusa aliquantulū macerant atque emolliunt: mox aliis fœminis quibus id munericōmissum est, tradunt. Ille ea grana in os accepta, paulatim conficiunt, cōminuūntq; deinde vi quadam & veluti tussiendo excussa

Indici potus conficiendi ratio.

A L I A præterea potus genera excogitarent ex melle, pomis, radicibus, sed quæ, ut hac, non inebrient. Magnam etiam arborum vim habent ex terræ, quæ vuas quasdam agrestes ferant: earum acini prunorum silvestrium specie quæ è spinis & arbustis nascuntur, nigro folliculo vestiuntur: sed quia multum illis ligni, parum pulpæ inest, ex iis indigenæ vinum non faciunt. Sunt & ibi arbores oliuarum ferraces, sed quæ insuauit odore, tuim sapore etiam peiore sunt.

V A R I A S fructuum species, & eas abunde-
habent: quales sunt Houi, Platani, Pineæ,
Guaiauæ, Mamei, Guanauanae. Houi pruno-
rum damascenorum crassitudine, pauca car-
ne, grandiore ligno: vbi maturuere flauescunt,
subacidi saporis. Arbor cum fructum ferens,
magna est, folia verò modica. Platani longio-
res quam crassiores sunt: minores multum
maioribus præstant. Arbor ipsa folia sesqui-
palmi latitudine, quatuor palmorum lon-
gitudine porrigit: inter quæ ramus enascit-
tur, qui centum ac plures platanos minores
fundit: sin verò maiores, viginti quinque aut

paulo amplius. Tenera est hæc arbor, nec nisi semel fructū fert, qui annuo spatio perficitur: & ex ipsis radicibus alij stolones fruticant. Vbi maturuit fructus, legunt: immaturum adhuc & acerbum non decerpunt, sed excisam arborem loco calido reponunt: ibi platani celeriter maturescunt flavescentque. Corio vestiuntur obtusa cultelli partis crassitudine: quod supereft, pulpa est, sapore in dulcedinem vergens. Pineæ arbusculis quibusdam proueniunt, flavi coloris vbi maturuerunt, iucundi odoris, & saporis longè optimi. Itaque in deliciis sunt: mihi certè contigit, sicut & multis aliis, vt æger ceteros omnes cibos fastidirem præter hunc: &, mea quidem sententia, haud quisquam fructus alias per omnes terras hoc amabilior suauiorque est. Demto cortice, quidquid subest, pulpa est: dulcis in uniuersum sapor, subaustero aliquantulo temperatus.

GVAIAVVS arbor Persici aut Armenij specie, foliis ut lauri, sed crassis & longioribus, celerrimè senescit: fructus eius, mespili similitudine, sed multo crassior, pendens in arbore maturescit: nisi maturus decerpatur, vermes gignit. Hi fructus inulta semina & grana clausa habent: purpurei candidis præstant & optimi saporis sunt. Maimci arbor est inmediocris nucis magnitudine, lõgiore quam latiore folio. fructus eius in insula Hispaniola rotundi: in continenti verò longi & crassiores, & gustu iucundiore sunt. tres quatuorve acinos, seu interiora ligna habent, pulpa in spadiceum

*Arbores
frugiferæ
Indicæ, no
bit igno
tæ.*

colorē vergente, tenui tunica, sapore aliquātulū dulci.

G V A N A V A N V S arbor modica & gracilis, fructū fert cordis effigie, corio viridi & subtili squamarum in morem vestitum, introrsus candidum. Exstant etiam, paulo diuersæ ab his formæ, orbiculares eius arboris fructus, crocei coloris & prioribus illis longè meliores, omnes verò intus acinos exiles spadicei coloris gerunt.

I P I N E A, *fructus Indi genus, specie, odore, & sapore omnium lōgē nobilissimum: cardui altilis, aut nucis pineæ figura, unde nomē accepit: mediocris melonis crassitudine. Odorem ex se fragrantissimum fundit: gustum mali cotonei, persici, & pyri muschati, simul referens. Estur sublato illo, quo, veluti strobili, squamatim compacto, (quamquam non ligneo) cortice includitur.* Gōzall. Ouidius Historia Indica lib. 7. cap. 13. *Eundem planè fructum esse puto cum eo quem Brasilienses Indi Ananas vocant, quantum ex descriptione D. Ioannis Leri, amici mei, colligo. Historia Nauig. Brasilensis, nuper ab eo Gallicè editæ, capite 13.*

2 HOBVS, seu *Houus*, procera & pulchra arbor: umbra quidem salubritate adeo cōmendata, ut quoties Indi in militem aut peregrè euntes, aut greges in pecuariis pascentes, cubare sub dio necesse habent, Hobum semper, umbra tantum gratia. expetant & querant. quippe sub ea dormientibus caput nunquam grauari, ut aliarum arborū umbraculis, ferunt. Mirum præterea de hac arbore proditur. Si foris in squalidis siccitate capis, aquarum penuria peregrè euntibus siū accenderit: atque illi casu in Hobū inciderint, ablaqueato arboris pede, è radicibus eius taleam exscindant. Mox alterū tale & caput ori inferentes, velut gutti aut ampulla epistomium, altero manu elato, tantam inde humoris vim exsugunt, ut facilimè siū extinguat. Guttatim videlicet primò inde stillante aqua, mox tractim & cōtinuo veluti filo defluente, ut quamvis sitibundos expleat. Id se experit scribit Ouidius Hist. Ind. lib. 8. cap. 2.

¶ India



India Occid. peculiaria insecta. Hispaniolæ brevis descrip-
tio. Cur vino & tritico propè inepta sit. Sacchari ferax
est. Mercaturæ, quæ hodie ibi exercentur.

C A P. X X V I I I.

N omnibus suprà memoratis insu-
lis nullum quadrupedum anima-
lium genus repertum est , præter
exiguos quosdam cuniculos , cani-
bus haud absimiles. Sed pestiferis insectis
maximè infestantur: inter alia Niguæ, magni-
tudine pulicis , citra vllum sensum inter car-
nem & vngues, præsertim pedum, sese immer-
gunt, alunturque in puluere. Sæpenumero ac-
cedit ut nullus ex iis dolor sentiatur , donec in
magnitudinem cicerum ac lentiū excreue-
rint: ac tum iam ingenti lendium copia fruti-
cante , acu aut spina ægrè euelluntur : atque id
mali cineribus calidis sanatur. Porro Numi-
dica mancipia , quæ Hispani in familiis ha-
bent , quòd non habeant vnde calceis pedes
muniant: ea pestis peruicacissimè infestat:
tantaque copia eorum pedes appetit , ut nulla
cura aut arte , præterquam igni aut ferro,
arceri queant. Itaque multi ex eo digitis pe-
dum aut pedibus integris mutilatis superfue-
re. Ego verò etiam in ea Peruani regni pro-
uincia, quam Portum-veterem appellant, præ-
terquam quod , propter immodicos labores
terra marique perpessos , totum corpus &
crura fœda porragine obfessa ægrè trahe-
bam , sæpe intra pedes meos tantam vim

Indici pu-
lices, infe-
sti & no-
xij.

Niguarum istarum reperi, ut nec opinata ea res non parum formidinis mihi incuteret. Ac certe, nisi summa sollicitudine abluendo corpori flumina subinde adiisse, male haud dubie rebus meis prospexitsem : quemadmodum plerisque Hispanis vniuerit, qui ter quatérve in die abluendi aqua corporis & cluendæ eius pestis pigritia, excisa mox & truncata membra circumtulere.

**Hispanio-
la descri-
prio.**

I A M à me suprà dictum est, insulam Haytin ab Almirante Columbo Hispaniolam di- Etiam fuisse : quæ mille & ducenta millia pas- suum in circuitu patet. Ea portibus, fluminib- bus, piscibus & sale abundat : sed in ea duo ce- leberrimi lacus, unus salsas, alter dulces aquas egerens. Ceterùm omnium fluminum quæ ab Hispanis in ea insula reperta sunt, unus maxi- mè auro abundat Cibaus. Præcipua insulæ vrbs San-dominica est, à Bartholomæo Colum- bo condita & ab eodem ita appellata, quòd quem littora insulæ perlustrans tutum aliquem & commodum portum appulsis eò ex Hispania nauibus quæreret, ad cum fortè locum S. Dominici dic applicuit : atque ex eo tota etiam insula San-dominici nomen retinet. Sitæ est ea vrbs in placide maritima, & meo tem- pore quingentis focis & domibus constabat. Ædificia ibi bene structa neque aliter quā in Hispania sunt. Ad Occidentalem eius par- tem “Ozonea fluuius in mare delabitur, atque ibidem bonus & tutus portus est, ac multarum nauium capax : ibidem profundissimæ & latissimæ filiæ : in circuitu mille & ducenta paſſuum.

**Ozamam
alijs vocat.**

passuum millia excedens, latitudine ducēta & viginti implet. Arctieus polus ei gradus XXII. & dimidium: Antarticus vnde uiginti & pa-
lo amplius, eleuatur. Longitudo eius ab ortu in occasum porrecta sexcenta circiter passuum millia patet: & totius in vniuersum insulæ for-
ma folij castaneæ figuram exprimit.

N O N N V L L I dicunt in ea insula frumen-
tum facile nasci, parum tamen colligi propter
nimis luxuriantem vbertatē soli: deinde abun-
dantia Maizij & indigenarum frugum fieri ut
de seminando tritico non multum laborent
Hispani. Verū ego dico, ibi nec parum nec
multum frumenti colligi. Atque huius rei cau-
sam quum ex Hispanis quibusdam natu gran-
dibus sciscitatus essem, responderūt mihi, Im-
modicis caloribus fieri ut generandis nostris
frugibus illud solum ineptum sit. atque id toti
insulæ commune est. Principiò quidem, quum
primùm ab Hispanis incoli cœpta est, coloni
aliquot in montibus Cibao vicinis paululum
frumenti seminarunt. Inde, quod planis locis
montana frigidiora sunt, circiter ineditnos
quatuor retulere: sed quia in asperis illis & mō-
tosis saxetis agricolarū cultus cum vberimo
prouentu elaborare non poterat, in iis semen-
tem facere deinceps cura non fuit. Itaque ex
Hispania farinæ annonam sibi prouident, quæ
folliculis & cadis conuehitur. ac si fortè tar-
dantibus nauibus panis defecerit, Cazabi In-
dico pane vesci Hispanos colonos necesse est,
quum non multam Maizij copiam seminare
soleant ob aduectitiæ illius farinæ spem.

Gomara
Hist. Gen.
lib. 1. ca. 351

Cur Indi-
cum sola
frugibus
nostris
ineptū sit.

E A R V M arborum quæ ex Hispania eò transportatæ sunt, paucæ coaluerunt: Malus Punica videlicet, Aurantia, Citria, Medica, & aliquot fici duntaxat. Vites ibi plantatæ exiguae quasdam vuas malignè fundunt, quarum libra dimidio ducato æstimatur. Ipse Didaci Equitis secretarij vineam vidi multis vitibus & palmitibus consitam: quam quum vel optimè coleret, vix ad x L. vuarum libras colligebat. Ac ne ipsi quidem botri admodum iucundi saporis sunt, & ferè Februario & Martio vindemiari solent. Æstatis enim initium à Ianuario usque ad exitum Aprilis: Hiems incipit à mense Maio, Decembri definit. Neque ea tempestas anni Hiems dicitur, quia tum frigus ingruat: sed propter imbræ continuos: alioqui enim æstate ipsa calidior est. Quippe tum remittentibus ventis, terra humidi calidique vapores exhalant, & multos morbos afferunt. Æstate contrà insulam Aquilones continuè perflant, perpetuaque cæli serenitas conspicitur.

H O R T E N S I A olera, quales brasicæ vulgares & capitatae, raphani, lactucæ, cucurbitæ, & melones, magna copia ibi luxuriant: sed cepæ & allia vix unquam bona euadunt. Itaque eorum olerum vim magnam naues ex Hispania deuehunt, cum aliarum rerum comedatu, id est fabis, ciceribus, lentibus, amygdalis, nucibus, fics, vuis passis, oleo, oryza, inelle, caseo, ampullis, catinis, scutellis, aromatis, pannis, sericeis, aluta, vino, pane biscocto, aliisque eiusmodi rebus quæ eatellus

Vites in
Hispanio-
la egrè eo-
alescunt.

Qualis
hiems in
Hispanio-
la.

tellus non fert.

I B I D E M omne genus quadrupedum, pecudumque ex Hispania transuetum ad propagandam stirpem, magno prouentu sobolescit: & Hispani nonnulli sex octóve millia animalium in pecuariis atque armentis possident. Quàm multa visum est eoruin cuilibet in suum vnum mactare licitum est, modò pelles ad dominum referat.

I N ea præterea insula magna Sacchari copia fit, ac dum ibi commorarer, triginta quatuor machinæ siue torcularia eliciendo faccharo occupabantur. Duæ quidem hæ res, Saccharum videlicet & Coria, seu pelles, præcipuæ sunt eius insulæ merces: ac mercatores qui hodie ex Hispania èò nauigant, redeuntes nihil ferè præter hæc inde reuehunt. Quippe Hispani effodiendis metallis, argento & auro adeo feruidè incubuerunt, vt vix iam granum vnum reperiatur, & maximi pretij moneta, quæ hodie in San-dominici oppido percutitur, quatuor tantùm maraudis valet, id est solidum nostratem. Itaque si mercatoribus aurum & argentum comparare libeat, ex eo licet quod nūc tantùm è Peruana & Cap-fondurensi prouinciis, aduehitur à negotiatoribus qui ad equorum, mancipiorum, & mulorum mercatum in Hispaniolam veniunt: ex eo, inquam, auro possint emere, nisi intertrimen-tum ingens & iactura eos à tali mercatu deterreret. quippe² ducatus ex auro puro putoque duorum alterius monetæ pretium æquat. Itaque non aliis ferè mercibus quàm

Hispanio-la saccha-ri ferax.

Negotia-torum in Hispanio-la merca-turæ.

Aurū iam rarum in Hispanio-la.

1 AVRI, etiam in illis terris, raritatem ho-
diernam & pretium his verbis designat. Quum enim
aurum primae notae (quale illud Peruani est) igno-
biliaris nota monetæ (qualis est nostra) non pari pre-
tio, sed ferè duplo contra rependatur, nihil lucri
aduentitijs facere possunt mercatores ex auro illo
promercali, carius videlicet emto, sicut ex aliis
mercibus.

2 GVAIACAN, à nostris lignum Indicum,
seu lignum Sanctum, ob mirabiles effectus dictum:
magna est arbor, Ilicis magnitudine, ramosa, ma-
trice magna, nigricante, materie quam Ebenum
duriore: cortice crasso, gummoso seu pingui, &
quum siccum est lignum, facile decidente: foliis
exiguis & duris, flore luteo, quem subsequitur
fructus rotundus, solidus, semina in se continens
Mesibili modo. Frequens in insula San-domini-
ci. Eius usus primum ea ratione innotuit. Magnis
doloribus luis Indice (malo enim sic vocare
quam, ut nonnulli, Morbum Gallicum: quando
haec lues primum ex consuetudine Hispanorum
cum Indicis mulieribus, mox Italorum cum His-
panis, orta est: unde mox in Germanos quoque
& Gallos mali contagione serpsit) eo ergo morbo,
quem ab Indica concubina contraxerat, Hispanus
quidam torquebatur. Eius famulus In-
dus, in Hispaniola medicum agens, aquam
Gayaci illi propinavit, qua non solum magnis
illis cruciatibus liberavit, sed pristinæ etiam
sanitati restituit: eius exemplo, plurimi alij
Hispani

Hispani simili morbo infecti, curati sunt. Eius morbi cura Hispali statim euulgata est, ab iis qui ex ea insula redierunt. Hinc per totam Hispaniam, & inde per uniuersum orbem quem haec scabies occuparat. Hodie passim in pratulis & viridariis Cœnobiorum cùm virilium tum mulierium plantatur, ob frequentia iis in locis pruriginis & porriginis venereæ contagia, ex voto perpetuæ castitatis.

* *

i iiij





SECUNDI LIBRI SVMMA

ET ARGVMENTVM.

SVPERIOR E libro repertam à Columbo Hispaniolam aliasque Indiae Occid. insulas, seuitaque & auaritiae exempla ab Hispanis in iis edita, Benzo exposuit. Nunc ut ex

Insulis in Continentem gradum sibi ficerint, cæptum iam priore libro opus, pertexit. Interea obiter, quomodo non tantum auare & superbè imperium in Barbaros, sed etiam crudeliter in Nigritas seruos suos, exercuerint: & ipsi vicissim, alienarum fortunarum raptores, aliis raptoribus, Gallis videlicet, prædæ interdum fuerint, exponit. Multas præterea in varias Indice continentis provincias expeditiones ab Hispanis suscepas exsequitur (verbo, ut Christiani nominis fineis propagaret: reipsa, ut inexplebile auri sum, qua ardebat, explerent) atq; inde pœnas in eos humanitus & cœlitus congestas. Postremò nihil tot Hispanorum laboribus profectum esse perspicue docet, nisi ut Barbari splendida verba & doctrinam cum rebus ipsis & vita Hispanorum, & ipsorum quidem Ecclesiasticorum, componentes, Christianos omnes, & fidem adeò ipsam, summo Diuinæ maiestatis & Christi gloriae ludibrio, vel rideat vel oderint.

NOVÆ



NOVÆ NOVI ORBIS
HISTORIÆ
LIBER SECUNDVS.

Hispani Indicis mancipiis consumptis, alia ex AEthiopia inde usque adsciscunt. Seruiles tumultus in Hispaniola ex seuitia Hispanorum oriuntur.

CAPVT I.

 X quo eius insulæ indigenæ, nimiis enecti laboribus, ad miserandam cladem & paucitatem labi cœperunt, Hispani è Nigritarum prouincia quondam à Rege Portugalliae subacta (vulgò Guineam vocant) mancipia sibi prospexere. Ergo magna inde seruorum multitudine aduecta, quum exercearentur adhuc fodiñæ, illis ad aurum & argentum elaborandum operis vtebantur. Verùm vbi illæ finē inuenire, ad multiplicandas sacchari fabricas artificiique se conuerterunt. In eo hodie sese excent, tum in armentis ac pecuariis curandis, aliisque necessariis ministeriis operam heris suis præbent.

Hisp. ser-
uis, nō mi-
nus quām
liberis ho-
minibus
crudelissi-
mè abutū-
tur.

P O R R O quando inter Hispanos non crudelis tantum, sed crudelissimi quoque nōnulli reperiuntur, quum eiuscemodi fortè aliquis

Avaritiæ
comes cru-
delitas.

in seruū animaduertere vellet siue ob admis-
sum malefciū, siue ob non lucrificū &
reddituū diarium, vel quacunque alia de cau-
sa bilem illi mouisset, vel ob pēsum non pera-
ctum, nec eam auri aut argenti vim effossam,
quantam solebat: vesperi domum reuertēteim,
loco cœnæ, exuere indusium iubebat, siquo
fortè esset amictus: & in terram prostratum,
manibus pedibúsque reuinctis transuerso li-
gno alligabat (id ab Hispanis Lex Baionæ ap-
pellatur, quam equidem legeim ab immanni ali-
quo dæmone scriptam crediderim) mox reste-
aut scutica tantisper cædebat, donec sanguis
ex omni corporis parte deflueret. Sub hæc li-
bram vnam picis feruefactæ aut olei feruentis
scutellam vnam guttatum in vniuersum miseri
corpus instillabat. inde pipere patro, sale &
aqua temperato, perfusus infelix mastigia, ta-
bulæ alicui superiacens, & linteo aut stragulo
inuolutus, tamdiu relinquebatur quoad ip si
hero reddi laboribus posse videretur.

A L I I scrobe effossa, mancipium eò tam
altè demittunt vt solo capite ab terra exstet,
& totam ibi noctem consistere cogunt. cete-
rūm ea se medicina vti dicunt Hispani, quod
terra liuidum & corruptum sanguinem exsu-
gens, verberum vulnera & vibices oblitterat,
carnemque conseruans nequa plaga vlcere-
tur, celerius persanat. Attamen si quis vehe-
mentia doloris fortè moriatur (vt sæpenume-
ro accidit) non alia pœna multatur cius herus
ex legibus Hispaniæ quām vt pro eo alterum
Regi persoluat.

Ob tam immanem Hispanorum saevitiam
 Nigritę serui aliquot principiō è potestate do- Domesti-
minorum elapsi, insulam perugari, velut de- ci hostes
 sperabundi, cœperūt. Mox eandem ob causam aduersus
 affluentibus vndique aliis, in tantam multitu- Hispanos
 dinem excreuerūt, vt Hispanis colonis terro- coorti.
 rem & multa negotia facerent. Ac quia re-
 ges & populi Aethiopiarum assiduis inuicem cer-
 taminibus hostiles iniurias exercent, qua-
 les sunt Quinei, Manicongri, Gialopi, Zapi,
 Berbesi, & belli iure captos mutuo alij alios
 Lusitanis vendunt: idcirco in illis etiam terris
 intestino aliquo odio alteri ab alteris dissidēt,
 non ita tamen vt ipsi se aliqua iniuria mutuo
 violent: immò si fortè ab Hispanis vis infera-
 tur, inuicem sese auxilio subleuent & alij pro
 aliis propugnent. Attamen singulę gentes Re-
 ges suos aut gubernatores habent, qui secre-
 tos ab aliis populos suos continent: qua ex re
 fit vt non tantum damni Hispanis inferant,
 quantum possent, si confociatis in vnum ani-
 mis viribusque pugnarent.

A t Præsides & Adseffores insulæ quum in
 dies magis ac magis Maurorum fugitiuorum
 manuim multiplicari intelligerent, & quot-
 cumque Hispanorum in eorum manus inci-
 derent, omni cruciatus genere ab iis lacerari
 atque interfici, exercitum conscribere insti-
 tuunt, pérque omnes insulæ partes, quacum-
 que isti commorabātur, militem spargere. Ac
 primò Hispanis incepta feliciter procedere:
 quippe Mauros aliquot, spe libertatis ac pro-

missis electos, qui fugitiuorum statua & receptacula nossent, ducēdo secum in agmine noctu incautos adoriebantur: quūmque sine vilo metu hostium dormientes, & humi velut pecora fusos ac solutos opprimerent, multos vel capiebant vel trucidabant. Verūm postea quām periculis moniti excubias agere & vigili statione castra tueri cōperunt, omnibus ferè excursionibus ac præliis Hispani inferiores abiere: atque exinde aucto in immensum numero feri isti homines addo multiplicati sunt, vt quum in ea Insula morarer, pro certo fama ferret eorum agmen plus v i i. millibus hominum constare.

A N N O quidem x l v. quum in continentibus esse, auditum est Cimaronos (sic ab Hispanis alienigenæ illic vocantur) vniuersos summis armis excitos rebellasse, raptimque omnē Insulam peruagantes nullum iniuriæ aut scleris genus, quod edere possent, prætermittere. Itaque **Lodoicus Columbus Almirans** & præsides Adsefforésque Dominicæ, legatos vltro ad eos miserunt, oratum ac supplicatum vt pacificè viuere vellent: Se quidem idem pro se præstituros polliceri, neque ipsis vltius molestiam exhibituros: imò amicitiam eorum se vltro appetere, ac si vellent sacerdotes aut monachos ad se mitti, à quibus Christianæ doctrinæ capitibus erudirentur, se verò multo libentissimè missuros. Ad hæc postulata ab alienigenis responsum est, Sibi quidem hæc placere, & se Christi legi credere: sed eorum amicitiam nolle, quum in eorum

**“Christ.
Columbi
nepos.”**

corum promissis nihil fidei collocarent.

M V L T I quidem ibi sunt Hispani, qui eam Insulam breui ab istis Mauris & Nigritis occupatum iri pro certo habeant. Quamobrem eius Gubernatores, quum naues aliquæ inde soluere & in alias Indiæ prouincias vela.dare paratæ sunt, summa cura & vigilantia cauent nequis Hispanus, sine suo permisso, insula exeat, etiā si sit mercator. Attamen cùm licentius Ceratus Præses in eam Insulam mislus est, Edictum regium de afferendis in libertatem Indis secum in Indiam ferens: omnibus iter apertum est, & cuilibet liberè commeandi potestas facta quocunque sui quemque usus ferrent. Quimque ipse ea de re à nonnullis Dominicæ ciuibus reprehenderetur, ira incensus, Quādo, inquit, Cæsarea maiestas Indos libertati restituit, æquum mihi non videtur ut Hispani præter Cæsaris voluntatem eos pro servis porrò detineant. Itaque ex eo mādata eius omnes exsequi, & ipse in ea sententia esse vt bene factum crederet, si Indi liberè, quocumque vellent, abirent.

V E R V M postquam intellexit Insulam pauperrim redigi in solitudinem ac deseriri, in tantū imminuto Hispanorum numero vt vix mille & centum superessent: peregrinorum vero multitudinem ac vires adeo in dies augeri, vt si aliquis forte motus aut tumultus ingrueret, non satis Hispanorum foret quantum ad propulsandam vim esset opus: ac periculum haud dubium esse ne simul & Insulam & vitam amitterent: Hæc, inquam, postquam ei

Hispani
iure me-
tuunt ne
inde à ser-
uis expel-
lantur, un-
de ipsi li-
bertatem
eiecerunt.

Hisp. pau-
latim ter-
ras dese-
runt vbi
solitudinē
fecerunt.

subiecta sunt, semet ipse repressit, & velut occlusa porta solutam illam licentiam compescuit. Verum hodie ex omnibus Hispanis, qui ab Hispania in Indiam haud satis certo & explorato cursu nauigant & ad eam forte insulam applicant, perpauci omnino reperiuntur qui in ea aequo animo permaneant. siquidem plerique omnes qui eò traiiciunt, diuitiarum spe iter suscipiunt: neque in ea insula eius rei copia hodie aut facultas est, sicuti olim fuit.



*Galli pirate Hispanas naues ex India redeuntes excipiunt.
Hispanorum in armandis nauibus parcimonia
& negligentia.*

C A P. I I.

QVANDO in certaminum, quibus Mauri Hispanos in India exercuerunt, mentionem incidi, non alienum videtur huic loco ingentia dama, Hispanis ibidem à Gallis terra marique illata, exponere. Non multo postquam hæ terræ primùm inuentæ sunt, ingenti diuitiarum fama exciti Galli piratæ complures, belli tempore Oceanum infestare aggressi sunt, & naues ab India remeantes ex cipere. Neque illis incassum labor: plurimas cepere, & inter ceteras quas ditissimas deprædati sunt, quo tempore inæstimabilis Peruanæ regiæ gaza

India opū
fama Gal-
los pira-
tas inuitat

gaza in Hispaniam deportabatur, vnam abduxere tanta auri vi onustam vt vel singulis nauium calonibus & caculis octingenti aurei ducati cuique in partem venirent.

S E D præcipua causa, cur Galli tot Hispanas naues inuaserint, nulli rei magis quam ipsorum Hispanorum avaritiæ alsignari debet. Quum enim ab Hispania soluerent, tanta & tam præceps erat magistrorum seu patronorum nauium festinatio, cupidè de mercibus & vectoribus in naues imponendi satagentium, vt bellicis tormentis, quantum satis esset ad propulsandum hostium impetum, si qui fortè occurrerent, munire eas non curarent aut meminissent: iinò ne ea quidem saltem copia quanta Indici senatus consulto iubebantur. Is enim edixerat, ne naues nisi duobus æneis tormentis, sex ferreis maioribus vt minimum, tum aliis minoribus, ad eam expeditionem instructæ soluerent: deinde pulueris tormentarij cadorum numerum & aliarum machinarum definierat. Præterea certos huic muneri Commissarios siue Inspectores præfecerat, quorum ea procuratio esset vt paratas ad soluendum è portu San-lucari naues inspicerent, viderentque an præscriptis munimentis commeatique iusso instructæ & perarmatae essent.

S E D magistri nauium, iniectis in manum aureis aliquot nummis, Commissariorum fidem redimebant, perficiebantque vt testificaretur omnia rectè atque ordine esse instruta. Quippe Commissarij Hispalim reuersi,

Avaritia
cæca &
improuida Hisp.

in domo Indicæ contractationis¹ apud regios
magistratus per Dei nomen iurabant, naues
omnibus rebus abundè atque ita vti deceret
munitas esse, adeo vt quælibet earum sola qua-
tuor Gallicis nauigiis ad certamen par esset.
Ad hunc modum comparatae Hispanæ naues
tres, interdum quatuor, simul soluebant: &
quæ earum instructissima erat, duo triáve tor-
menta ferrea portabat, dimidia ferè ex parte
rubigine exesa, & cadiscum vnum pulueris
pyrij non valde boni.

In reditu aliqua earum fortè incurrerat in
celocem vel myoparonem Gallicum egregiè
armatum. Piratæ Galli, iam satis gnari quām
malè & negligenter instructi nauigarent Hi-
spani, etiamsi obuia nauis mille ac quingento-
rum aut duūm millium doliorum capax esset,
intrepidè tamen eam adoriebantur: ac pri-
mùm per altum bombardæ globum vnum
,, mittentes clamabant, Adhuc adhuc pro rege
,, Galliæ. Verùm si illi in demittendis suppliciter
velis longiorem morā facerēt, tum piratæ
maioribus tormentis in medium ipsam nauim
fulminabant. Quo terrore perculsi Hispani,
quum nullam propugnandi sui viam cerne-
rent, & omnes vitæ suæ metuerent, Gallorum
fidei ac potestati semet permittebant. Gallus
exemplò Magistrum nauis demittere in ma-
re scapham, eumque ipsum cum Nauarcho
& Scriba venire ad se iubebat. Mox exactis ab
eo rationibus auri, argenti, vniōnum, simara-
gdorum aliorūmq; pretiorum, quæ naues illæ
exportare solent: è suis mittebat qui ea omnia
conuerre-

conuerreret: deinde suis quoque in captiuam nauim transiliendi potestatem faciebat, siquid fortè, præter eam quæ redacta esset, residuae prædæ inuenirent. Illi ut audie transgressi erant, vectores nautásque ipsos spoliare, & si qua illi meliore veste amicti erant, eam laceris suis & detritis tegminibus commutare, ac dicere, Hoc aptum est tibi, & istud mihi: parumque ibi aut virtus Hispana, aut militaris scientia proderat. Quippe isti omnia ferre atque agere, scrinia mouere ac reuoluere: deniq; omnes angulos scrutabantur & foraminum abdita, siquid fortè ibi auri delitesceret.

N O N N V L L I Archipiratae satis habucere si merces manubiásque Hispanis eriperet: nauies ipsas relinquebant. Sed plerique eas quoque in Galliam captiuas abduxerunt, & expositis in terram Hispanis, ac veluti miserti illorum, erogatis in viaticum aliquot nummis, eos in patriam remisere. Neque ulli ferè sunt Patroni, Præfectique nauium & Scribæ clasiarij, ex iis quidein qui in Indianam nauigant, qui eo quo diximus modo, à Gallis ut minimum semel aut bis capti ac spoliati non fuerint.

M I T T O loqui de aliquot pagis & populis, quos iidem Galli in Insulis Canariis fortunis spoliatos atque eueros in vastitatem redegerūt: mitto etiam de nauibus quas pannis, saccharo, vino & aliis mercibus onustas inuolarunt. Sed ea postquam ad Senatum Indicum relata sunt, apparuitque secordiam suam malamque administrationem tam licenter præ-

Piratarū
comitas.
“

Canarie
insulæ di-
reptæ à
Gallis.

dandi Gallis audaciam facere: is Senatus consultum eiuscmodi facit: Placere vti omnes naues quæ toto anno pluribus commissariis ex Hispania in Indianam nauigarent (erant autem eæ cum minores tum grandiores circiter sexaginta) vbi onustæ instructæque essent aliæ alias exspectantes omnes unâ soluerent: tum ut mercatores ipsi tres aut quatuor bellicas naues armarent, quæ classem usque ad Canarias Insulas prosequerentur, quia usque ad eum locum ex Hispania in Indianam commantibus periculum est. Id si ita sedulò atque ordine curaretur, haud dubiè Gallos prædandi finem facturos.

*Hispani
ipsi Gallis
ad prædā
dum viam
sternunt*

CETERVM quod ad ea damna attinet quæ Galli Indicis quoque populis intulere, non aliis eius rei culpa assignanda est quam Hispanorum quibusdam, eius nauigationis peritis, qui Gallos eò ipsi deduxerunt, vel sola malitia, vel inuidia impulsi, vel iniuriæ ulciscendæ cupidine. GALLI quidem, primò Hispanis ducibus usi, eos cursus ex eo adeò exactè perdidicerunt, vt Hispanis ipsis nihil cederent: quinque initio circa Hispaniolæ & S. Ioannis insularum tantum littora vagarentur, vbi ex iis locis non tantum proueniebat prædæ quantum solebat, progredi ulterius, & ad alias usque insulas, ipsasque adeò continentis prouincias excurrere ausi sunt. Ergo non mare tantum latrocinii infestarunt, sed infra scripta quoque oppida & Hispanorum colonias populati sunt. Primum in Hispaniola Portum argenteum, Azuam, Iaquannam &

& Maquannam dirripuerunt exinanieruntque multis inde abductis nauibus : fecissentque idem ipsi San-dominici ciuitati, nisi arx munitionissima ripæ fluminis imposita & æncis tormentis validissimis munita, eorum conatus repressisset : vt eam tentare ausi non fuerint, quamquam duces aliqui Galli id etiam comminarentur. Itaque Hispani metuentes ne alia aliqua parte in urbem Galli aliquando irrumptant, quippe nullis cinctam muris, semper tempore belli diligentibus excubias agunt : imò quum ibi minorarer, ciues aggere aut cespibus circumdare instituisse eam pro certo ferebatur: quod tamen Maurorum & Nigritarum fugitiuorum potius quam Gallorum metu facere velle videbantur.

I Quum inuentis nouis Insulis & mox continentis facile appareret re operosam & magnam molis suo proprio egere consilio & magistratu, cui regiorum vectigalium & reddituum cura, cui prouincialium causarum arbitrium, omnium denique expeditionum rerumque Indicarum regimen & cognitio subiiceretur: iā inde ab initio Ferdinandus & Isabella Catholici reges, Cameram seu collegium Hispali delectorum hominū instituere, quo rū opera & autoritate colonorum & militum supplēta, commeatus, ceteraque ad classes instruendas necessaria, Praefectis ac Prætoribus, regijs auspiciis in Indian Occid. nauigantibus, suppeditarentur. Tum etiam apud eos negotiatores omnes, mercium, quas ex Hispania in Indian portabat, genus & summā professi: inde quoque reuersi, an-

ri aduegli, unionum ceterarumque rerum quas ex India reportarent, rationem redderent. Eam Cameram, Indicæ contractationis domum vulgo vocabant. Postea anno M. D. XXIIII. Carolus V. Cæsar Indicum senatum, statum & sollemnem, publica scriptura & sigillo regio instructum, constituit: atque omnium Indicarum causarum supremam cognitionem, criminum animaduersiōnem, pœnarum & venie discrimen: denique omnium rerum quæ ex India in Hispaniam ferrentur, ius atque arbitrium sub eius magistratus ditione esse voluit.



Anzulles Hispanus prælio nauali à Gallis funditur. Galli ab Hispanis capti Asana Cubæ insulæ colonia à Gallis diripitur.

C A P V T I I I .

ANNO M.D.XLIIII. Petrus Anzulles tribun. mil. è colonia Nominis-dei duabus nauibus & carauella vna ve- la in Dominicam fecit, cum opibus quæ centum millium ducatorum pretium æquarent. In itinere quum ad Iaquannam applicuisset, comperit vix sex antè horis inde Gallicam nauim soluisse, quæ depopulata ci- Hispani à uitate igneim tectis iniecerat. Petrus qui glo- Gallis fusi. riæ impensè audius esset, omni auro & argen- to in eo portu deposito, sublatis dolonibus altum petere intendit, & Gallicam nauim que- rere

rere. Quam vbi adeptus est, expediere arma
vtrique, & magna vi infestis rastris concur-
rére. Äquo marte & paribus vtrinque animis
per quadrantem horæ pugnabatur, quum
ecce in medio æstu certaminis Petrus cum
nauticis aliquot iœtu tormenti percutitur. Hi-
spani, fractis duce ipso cæso animis, fugam
arripiunt, breuique in Dominicæ portum se
condunt. Gallicæ nauis Prætor insequi fusos
negligens, cœptum iter peragere instituit.

A N N O supradicto, Gallicæ naues duæ
vsque ad Dominicæ viciniam proiectæ, ca-
ravella vna capta quæ onusta mercibus ad
Caput-veli tendebat, ad orientale Monæ in-
sulæ latus ancoras iecere prædam aliquam
exspectantes. In earum vna Cantabri aliquot
(Biscainos vulgò vocant) vchebantur. Post-
quam eius rei certus nuncius ad regios Præsi-
des, qui iuri dicundo in Dominicæ præerant,
allatus est, liburnicas duas, qnæ in portu stâtes
onera & discessum in Hispaniam parabant, ce-
loces duas, & myoparonem vnum armant, ei-
que classiculæ Carionem Trianam præficiunt.
Ille soluit: Galli sequenti die Prætoriam na-
uim, cum celoce vna ceteræ classi præeun-
tem, prospectantes, ratique nauim aliquam
onerariam esse quæ in Hispaniam commea-
ret, leti admodum sese ad pugnam compa-
rant.

Verùm vbi mox propinquior conspectus
duas alias nauis & myoparonem aperuit,
videruntque eas nauis rectâ ad se tendere:

*Hispani,
Galli ducis
socordia,
Gallos vin-
cunt.*

tum Cantabri, qui in Gallicarum altera erant, veriti ne de se captis, tanquam subditis Regis Hispanie & perduellionis proditionisque manifestis, graue supplicium sumeretur: quod miliari amplius adhuc ab hoste abessent, & commodiore nauigationis cursu vterentur, omisso omni sociorum respectu curaque, vela subrigunt & fugiunt.

ALTERIVS nauis Prætor vbi se desertu ab sociis videt, & iamiam sibi imminere Hispanam nauim prætoriam cum celoce, neque alias superuenientes procul, neque ullam fugae viam patere, penitus consternatus deditio nem facere instituit. Itaque milites ponere arma iubet, quippe amentiae fore non prudentie dimicare velle: quando nulla spes esset, se solum aduersus quintuplicem hostium aciem pugnantem posse vincere: deditis vero (sicut ipſi, quum vincerent, solerent) Hispanos clementer vſuros ex mutuis belli commerciis. Hæc Prætoris verba iracundè repulit Tor mentarius quidam, Enim uero sibi quidem, inquiens, dditionem non esse faciendam, sed pugnandum videri: & eundem, suo iudicio, ceteris esse animū. Evidem malle fortiter dimicando morte honeste oppetere, quam tridentem se vltro in manus inimicorum vitam inglorium trahere. Si paueret Prætor, cur ad bellum iret? etiā si quintuplices hostes essent, & ipse solus, se tamen ipsos ne pili quidem facere. quippe Hispanos in iis oris militarium artium, maximè in navalibus præliis, planè rudes atque imperitos esse: in primis tractandarum

darum machinarum haud satis gnaros. Itaque fidenter spondere se quatuor tormentorum iictibus Prætoriam eorum nauim perfractam demersurū: neque dubium quin, ea depressa ceteræ fugam caperent. Certè si Prætor huic Tormentario fidei atque autoritatis aliquantum præstare sustinuisset, ipsorum rebus melius consultum foret. Quum enim iudicassent omnes magnifica hæc eius verba rebus ipsis & factis comprobanda esse, iamque Gallicæ nauī imminens Hispana, disploso tormento, clamaret, Adhuc adhuc pro Imperatore, veluti iam captæ insultans: illi exemplò tam horrendo tormenti fulmine responsum est, ut parum abfuerit quin perfringeretur.

G A L L I C A E prætor, à pugnandi animo alienus, confestim è foris desiliens, ignem è tormentarij manu abripit, alterum falmen iam displodere parantis. Evidem si tum ignem tormento ille immisisset, globumque perinde periculoſo hostilis nauis loco, ut primum, intulisset, Hispana præatoria, vti dixerat, hauddubiè demergebatur. Immò nisi & ipse Hispanus præfectus mouendis scriniis aliquisque oneribus intentus, foramen à globo factum stipare atque explere properasset, credo vel vno eo iictu perituram fuisse, multa iā accepta aqua. Itaq; sine certamine capitur nauis Gallica, & Dominicam abducitur, tam effusa ciuitatis lætitia vt si ipsa Gallia capta esset. Galli in custodiam traduntur, maximè qui rerum maritimarum periti erant: Prætor ipse in Almirantis domo propè assiduus erat: nauim

Hispani
de captis
aliquot
Gallis tri-
umphant.

tormentis, rudentibus, velis, ancoris ceterisque armamentis spoliatam & prouectam in altum, Hispani iniecto igni cremarunt. Ipsi mihi quum amicum quendam meum qui in vinculis erat inuiserem, cum Gallis illis saepe sermo erat. Illi vero Prætorem suum probris & diris lacerabant, qui turpem adeo detractionem fecisset: unde duriter & inclementer habitus grauissima incommoda paterentur. Paulò post diuisi in nauis quæ ex India soluebant, in Hispaniam missi sunt: in itinere quinque eorum qui carauella vna vehebantur coniurant in Hispanos, eosque de improviso adorti in altum præcipitant. Ita potiti carauella, onusta saccharo & quindecim millibus ducatorum ex vestigalibus regiis, cum tam opima præda in Galliam aufugiunt.

Hispani
coloniarū
suarum in
columitatē
à Gal.
lis pecu-
nia redi-
munt.

ANNO M. D. X X X V I. in Cuba insula, portum aquæ inuestitus myoparo unus Gallicus peregrinus (à Gallis vulgo dicitur *Patax*) qui tempestate à Prætoria naui disiectus & eò delatus fuerat, oppidum ipsum cepit. Hispani quod eius oppidi domus ferè ligneæ & palea tantum tectæ essent, metuentes ne id Galli incenderent, septingentis aureis ducatis, in columitatem municipij ab illis pacti sunt. Galli eo pretio cotenti, abeunt. Postridie quum tres maiores naues à noua Hispania profectæ eò appulissent, Ioannes de Rojas Præfectus eius oppidi, eas aurum, argentum & quæcumque alicuius pretij essent, in terram exponere, Gallorumque vestigia subsequi iubet. Illæ confestim singulæ ordine portu egressæ, præeunte Prætoria, scaphis ad pup-

pes religatis, haud procul oppido, in flexu promontorij cuiusdam, ad ostium vicini fluminis Gallos assequuntur. Prætoria nauis in Gallicum myoparoneum sola inuehi non ausa, impetum sustinebat donec ceteræ naues adessent. Galli vbi hostem cunctari vident, neque illi satis esse ad lacestandam pugnam animi, aliquot tormentorum globos displodere incipiunt. Inde Hispanis tantus terror iniici, ut nulla defensione tetata, turpiter in fugam versi, & scapha etiā amissa, milites permisisti nautis ingenti cum tumultu in terram euaderent. Aliarum nauium vna, quæ non procul sequebatur, vbi à Prætoriæ nauis militibus effusam fugam fieri videt, proram vertit & ipsa, & qui in vltima erant deinceps fugiendi exemplum sequuti sunt. Ita Galli primò territi ac propè certi captiuitatis, repente fusis præter spem Hispanis, summa cum voluptate tres eorum naues corripiunt: ac denuo ad Auanam regresfi, quum nummorum aliquot tantum, quantum prius, ut parcerent oppido, à ciuibus extorsissent, inde porrò abiere.

Ex eo Hispani domus è lapide struere cœperunt, arcemque imponere portus littori, aduersus incursionses Gallorum bombardis & ^{Auanæ li-} machinis ingentibus munitam. Situm est id oppidum in planicie mari vicina quâ oriëtem spectat: domus instar, cuius porta optimè clausa, cetera omnia circum nuda atque aperta sint, nullis cinctum muris, ut cuilibet quacumque velit eò pateat aditus. Itaq; eius arcis quâ Hispani in ore ipsius portus immoliti erant,

152 HIST. NOVI ORBIS
certiores facti Galli, ad ostium Chioreræ flu-
minis (id sex millibus pass. ab urbe abest) ap-
plicant : & circiter medium noctem in terram
egressi , de improviso sub primam auroram
magno tumultu urbem inuadunt . Hispani nec
opinato hostium aduentu & fremitu excitati,
desilire è cubilibus & quæ quisque poterat a-
lius alia porta in siluas diffugere . Ita Galli æ-
dificatam ab Hispanis in ea insula coloniam
diripuerunt .

1 MONA insula inter Hispaniolam & insu-
lam S. Iaonnis - de Portu - dinitate, 17. gradibus ab
Æquinoctiali linea Septentrionem versus, abest:
exigua, depressa & plana : sex millibus pass. id est
tribus leucis, circiter in circuitu patet . Paucis Chri-
stianis & Indis habitatur . Piscinis abundat, aqua
dulci & cancris optimis . Est & alia Mona insula
Britannie proxima .

2 Auana, Cubæ insulæ colonia & portus , in
Septentrionali eius littore sita .



Hispani per speciem colloqui Gallos circumuentos trucidant.
Galli eorum perfidiam grauißimè vlciscuntur, & Hispanicas
colonias in Cuba, San - Ioannis & Iamaica insulis diripiunt.

C A P . I I I I .

ANNO LIV. flagrantibus inter Caro-
lum v. & Henricum Galli regem bel-
lis, Gallica vna nauis ad Sā - Jacobum,
Cubæ insulæ caput, cum octoginta
mili-

militibus, appellens ciuitatem diripuit & exinaniiit. Atque inde euestigio ad Auanam tendens, expositis ad Chioreram militibus, hora vna ante lucem oppidū ingressi Galli, aliquot Hispanos spoliarunt: alij fuga se proripuere. Galli singulas municipij domus irrumpentes, opimam se praedam inuenturos rati, manibus propè vacuis reuersi sunt. Quippe Hispani quum saepius iam Gallorum populationibus vexati essent, veriti ne idem quoque deinceps accideret, facultates omnes suas in praediis & villis habebant. Interea verò, dum Galli scrutandis & exhauriendis domibus intenti sunt, duo Hispani à senatu Coloniæ ad eorum Prætorem mittuntur: primùm qui quām multi illi essent, per speciem legationis proprius explorarent: deinde pretio cum illis paciscerentur ne oppido ignem iniicerent. Quum de redimenda colonia & captiuis qui in Gallorum manus venerant inter eos ageretur, Gallus prætor sex millia ducatorum pretium statuit & flagitat. Hispani se inopes esse dicere, & omnes suas facultates eius summæ pretium æquare non posse. Itaque ea de re sibi ad-eundos & docēdos esse magistratus, sine quo-rum & senatus ipsius sententia nihil translige-re ipsis per se licitum esset. Quare potestate abeundi à Prætore impetrata, fidéque data se postera die cum certo responso reuersuros, vrbe excedunt.

LEGATI ad suos reuersi, rem ad Ioannem d'Ories ceterosque ciuitatis gubernatores re-ferunt. Illi multitudine hostium cognita &

*Hispani
per simu-
lationem
cōpositio-
nis Gallos
circunue-
niunt.*

quantam pecuniæ summam peteret, in diuer-
fas sentētias abiēre. Maior pars, enim uero pa-
ctionem omnem cum eo hoste abnuere: Gal-
los ferro potius quām auro arcendos: nec pe-
cunia, sed hastarum & tormentorum iictibus
explendos esse prædones istos pridem nouis-
sima exempla meritos, qui latrociniis tantūm
& rapto viuerent. Neque multitudine formi-
dabiles esse, neque ut altero tāto plures essent,
vel teruncio esse æstimandos: ac vel paucos il-
los equos, qui sibi superessent, ad eos proterē-
dos sufficere. Alij contrā sentiebant, Tutius
videlicet esse, sœuenti necessitati summittere
animos & seruire tempori, quām se se ac sua
omnia fortunæ arbitrio permettere: qui aliter
censerent, facile eo imprudentiam suam pro-
dere, quòd hostem contemnerent. Quamob-
rem placere iterum mitti legatos ad Gallum
prætorem, qui certius de pecunia ipsius vo-
luntatem explorent: quòd si de pecuniæ impe-
ratæ summa nihil prorsus remittere velit, at-
tamen obligatæ fidei liberatione vtique illi
satisfactum iri. Postremò vbi hæc ita præsti-
tissent, nisi conditiones placerent, tum alio
consilio, quodcumque optimum visum esset,
non intempestiuè vsuros. Sed multorum in-
consulta opinio plus quām paucorum pru-
dens consilium valuit. Itaque aciem instruunt,
& familias, id est Numidica seruitia, armant
Hispani, centūmque & quinquaginta circiter
militum manu collecta, noctu apud Gallos
omnia soluta & sopita inuenturos rati, in vr-
bem irrumpunt, vociferantes San-Jacobus,

San-

San-Iacobus, & emissis pilulis plumbeis , qua-
tuor Gallos interimunt , in iis Prætoris ipsius
nepotem. At ceteri Galli, nihil defixis aut per-
culsis pauore animis , stratis excussi pedibus
sese excipiunt , & raptis cofestim armis ani-
mosè propugnant. Nec tulere impressionem
ex aduerso factam Hispani , sed ad primum
glandium plumborum nimbum, quem Galli
effudere , turbati vertunt terga & siluarum la-
tebris sese sepiunt.

P R A E T O R ipse Gallus totam eam no-
ctem, statione circa urbem disposita , in excu-
biis pernoctauit , ira supra modum incensus
propter cædem suorum ac sui maximè nepo-
tis , semet ipse vltro incusans , quòd Hispano-
rum fidei & promissis credidisset. Vt illuxit,
à militum suorum parte , quidquid picis reperiri
posset , colligi iubet (erant autem in oppido
multæ picis capsulæ cò ex Hispania conuectæ
ad ferruminandos nauiū textus) eaque inungi
domuum portas, fenestras, laquearia, denique
vbicunque materiæ & lignei operis aliquid
esset: inox ignem tectis iniici, & parietes ipsos
solo æquari, atque à fundamentis erui. Iamque
domus conflagrare cœperant , quum ipse ad
templum profectus, ne ei quidem pepercit. Id
spectaculum flagrantis vrbis eminus è pro-
pinqua filua Hispanus quidam conspicatus,
equo vtique fretus , Gallorum ducem suppli-
citer ac demissè adiens , Fortissime Prætor, “
inquit, non te satis habuisse ad explénum ani-
mum tuum vniuersam ciuitatem solo æquasse, “
nisi templo Dei etiam ignem iniiceres? Ad “

Galii per-
fidiam Hi-
spanorum
atrocissi-
mè vlcif-
cuntur.

Frustra pietatem vendit, qui fide so-
ciali caret. hæc verba Prætor arroganter respondit, Ho-
mines, inquit, quibus nulla fides est, ne templo
quidem indigent. Tandem verò dirutis do-
mibus omnibus, arcem quoque ipsam direptā
solo tenuis deiiciunt: & dux, nauem portum in-
uehi, omnēmque egestam ex vrbe prædam eò-
stipari iubens, ferociterque Hispanis pestem
minitās, inde excessit. Paucos post dies quām
hæc acciderat, ipse eum portuni ingressus, de-
formeis adeo ruinas illas conspexi, vt vix vlla
tectorum vestigia & situs dignosci posset.

S A N G E R M A N V M colonia est in insula
S. Ioānis de portu-diuite extructa. eam quum
mari vicinam Galli s̄epe diripiūsſent, Hispani
translatam ex eo loco in siluam quandam sex
mill. pas. procul à littore introrsus in mediter-
ranea retraxerunt, ita se nimirum tutiores &
extra periculum futuros rati. Sed ne sic qui-
dem ipsi satis delituerunt. Id enim vbi resci-
uissent Galli, ad siluestrem vsque illum nidum
progressi sunt. In 2 Iamaica insula Hispalim
seu Seuilliam, viginti quatuor fermè tecto-
rum oppidum, octo passuum mill. distantem
à mari, diripuerunt.

P E R eadem hæc tempora Carthaginē (ea
est vrbs & prouincia Indicæ cōtinētis) Iudex
Carthago noua, Hispano du-
ce prævē-
te, à Gallis
ēcipitur.
quidam fortè nautam, cui aliqua de causa in-
fensus esset, virgis cædi iussit. Ille mox libera-
tus in Hispaniam atque inde in Galliam trans-
gressus, contractis quinque nauibus postmo-
dum Indiam repetiit. Iactisque in Carthagi-
niensis portus ostio ancoris, centum milites
in

in scaphas nauium transgressos in littus expōnit. Illi vna ante lucem hora egressi in terram, Hispanos omnes sōpitos opprimunt, domōsque vi irrumpentes, quāe partim ligneāe, partim ex arundinibus contextāe sunt, omnes palmarum foliis coniectāe, omnia tumultu & clamore miscent. Nauta cum aliquot Gallis Iudicis domum ingressus, qui ipsum virgis cædi iussérat, eum repetitis sicāe ictibus confodit: alij aliò ad prædam discurrunt. Hispanorum maxima pars fuga sese proripuit, nonnulli interemti, alij captiui facti sunt. Ita direpta est & incensa Carthago noua, vnde Galli ex manubīs & pretiis captiuorum amplius centum & quinquaginta millia ducatorum tulerunt.

A L I A E naues Gallicāe ante & post hæc omnem illam oram præterlegentes, San-Marthāe & Capitis-veli colonias, & alia loca, diripuerunt. Postremò, vt aliquando de his Galiorum gestis agere desinam, quo tempore in Cubagua vniōnum pīscatus florebat, Gallica vna nauis eò fortè applicuit. Hispani, ea prospecta & agnita, līntres duos patrios quinquaginta Indis onerant, eosque arcubus & sagittis armatos, aduersus eam nauim mittunt, persuadēntque qui in ea erāt pædicones esse, quos nisi perdere occuparēt, egressuros in terram, multisque eorū captis, tanquam fœminis, ad nefandam venerem abusuros. Indi prorsus ita esse rati, nihil intermittunt donec nauim assequantur.

G A L L I sine vlla periculi suspitione aut

Hispani-
cum stra-
tegema in
Gallos.

metu, nudos homines otiosè cōtuebantur, rati forte, opinor, illos spectatum eò & sui vivendi gratia confluere, aut ad commercium vniōnum. Sed ut nauī propinquarunt barbari, pro margaritis sagittas in Gallos emittere, & eorum aliquos transfigere. Galli qui vniōnum, qui ibi capiuntur, peritiores esent quam venenatae illius herbae, cuius succo indi sagittarum aculeos tingunt, postquam se saucios & lethales esse eas sagittas animaduertunt, nulla interposita mora sublatis velis abeunt. Neque deinceps, quantum intelligere potui, nauis vlla Gallica eò applicuit. Ea arte atque astu Hispani iam pleni formidinis infestas Gallorum manus effugerunt.

1 SAN-IACOBVS, primaria Cuba insula colonia & Episcopatus sedes: tuto & tranquillo portu nobilis.

2 IAMAICA insula, ad Orientem Hispaniola, xxv. ab ea leucarum interuallo discreta, xvii. gradibus ab Aequinoctiali limite distat. Eius caput noua Hispania, & titulo Abbatie primaria sedes: cuius primus Abbas fuit Petrus Martyr Mediolanensis, is cuius exstant tres de rebus Oceanicis Decades.

Cártha-



¶ Carthaginensium & San-Marthenium Indorum mores, & commercia. Hispani smaragdos & aurum ab illis extorquent: & pro beneficio, bella, seruitutem & rapinas reponunt.

C A P. V.

NDECIMO post aduentum meum in Hispiolam mensē, nauim in Indicam continentem vela facere parantem cōscendens, è San-Domini-
ci vrbe solui. Sexto post discessum die, ¹ niuosi San-Marthæ montes nobis sese aperuere, breuique inde ad Carthaginem appulimus, quam ² quòd insulam ipsis portus faucibus obiectam habeat, vt Carthago noua in Hispania, ita Hispani nuncuparunt. Hęc insula, octo millia pasl. in longitudinem, tria in latitudinē patens, quo primū tempore Hispani eas prouincias attigerunt: tota Indicis pescatori-
bus habitabatur: nunc verò vix vlla mapalium reliqua vestigia extant. Neque id mirum vlli esse debet, quando & aliis omnibus in prouin-
ciis tum maritimis tum mediterraneis, quas Hispani transcurrerunt, vix miseræ vllæ Indi-
carum gentium reliquiae reperiuntur. Tanti
mali causa est, quòd illi populi, quandiu vires ^{Indi Hispanorum amicitiam respuant,} suppeditarunt, Hispanorum amicitiam acci-
pere nunquam sustinuere, propter intolerabi-
leum eorum sœvitiam atque atroces iniurias in se ac suos ab istis editas.

F R V C T V V M , piscium , rerūmque alia-
rum vitæ tuendæ necessiarum copiam ha-

bent. Pudenda bombycino velo contegunt. In bellis nō minus fœminē quām viri prælian-
tur: sagittæ venenatæ, tela sunt: hostes captos
& cæsos mandunt, & multos quidem Hispanos
eo modo carnes & frusta fecere, ceteris-
que omnibus ita, si possint, vtantur. Sollennia
sua olim celebrantes, quām maximè festo &
pulcherrimo cultu poterant corpus ornantes,
bullis armillisque ex auro, vnionibus & sma-
ragdis, brachia, crura, faciem, reliquāsque om-
nes corporis partes impediebant.

P R A E C I P V A E eorum merces, sal, pisces,
piper &c, quæ in ea continentis loca deferunt,
vbi ea deficiūt, & aliis rebus permutant. Pro-
speris suis quōdam temporibus pulcherrimos
& nobilissimos frugum, fructuum, bombycis
seu goffipij, pennarum, monilium, auri, multi-
plicium vnionum, smaragdorum, mancipio-
rum, aliorūmque suæ terræ coimmodorum,
mercatus instituebant: ac mutuo inter se coim-
Indica in
mutuis cō
merciis
simplici-
tas.
mercio quibus quisque egebat ea capiebat si-
ne vlla cupiditate aut auaritia, &c, Cape, aiebat
alteri, hoc, & tu inuicem mihi istuc dato. Ne-
que quidquam ferè magis apud eos in pretio
est quām esculenta & cibi: quamquam hodie
maior pars earum gentium, quod à nobis hau-
sit, iam temporalia quoque hæc bona carissima
habere & venerari didicit. Sed vel in hac cor-
ruptela non pauci reperiuntur, & qui non ea
tanti nunc, quanti paulo antè, faciant.

H i c quod mihi aliquando vñuenit refé-
ram. Quidam fortè esuriens in domum cuius-
dam Indi incidisem, petiissimumque ab eo an
pullum

pullum gallinaceum venalē haberet: respon-
dit ille, Se verò habere, sed quid vellem contrà
ipsi dare, petiit. Ego monetē nummum vnum
offerō (Regalem seu Realem vulgò vocant)
ille nummo è manu mea sumpto, querit quid
pullo facere vellem: Comedere, inquam. In-
dus me contrà in faciem intuens, Regalem-
que inter dentes tenens, velut demorsurus,
Christiane(inquit) si tu me vis dare tibi quod
edas, prebe tu mihi vicissim quo ipse vescar:
nam quod tu hīc mihi das, nullius v̄sus est.
Quod si nolis, recipe tuum Regalem, ego ve-
rò pullum meum comedam. Ita elusus ab isto,
alterius domum me contuli, qui mihi pul-
lum dedit.

Pecuniatū
cōtemtus
apud In-
dos.

IN T E R Carthaginem & S. Martham in-
gens & rapidum flumen occurrit, quod tanto
impetu instar torrentis in mare deuoluitur,
hieme pr̄sertim, vt retroacto ēstu pr̄terla-
bentes illac naues, facile inde aquam dulcem
capere possint. Gonzallus Ximenez doctor,
Petri Lugi eius prouincię pr̄fecti legatus,
quum ditescere cuperet, cum x l v. Hispanis
& myoparonibus duobus flumen illud subire
aduersum aggressus, dum per circumiectas
tipę gentes vagatur, smaragdos aliquos repe-
rit: quimq; ex ipsis intellexisset vnde illos su-
merent, progredi vltierius statuit, neque prius
finem facere quam cautes aut fodinas repe-
risset, que eas opes gignerent. Tandem quum
aliquot prouincias peragrando emensus, in
Bagotam principē ditissimum (ex falso vulgi
Hispanorum iudicio) incidisset Doctor, partim

Smaragdi
apud In-
dos Occid.
inuerti no-
uani au-
titat Hisp.
materiem
& flammā
subdunt,

gratia, partim rapina magnam auri vim ab eo extorsit, mox petuit vnde smaragdos sumerent. Bagotta Christianorum immodicam avaritiam deprehendens, ut eos suis finibus expelleret, illisque à se amoliretur, in valle Tunia effodi eas respondit. Hoc audito Doctor cum suis ab eo digressus, superatis montibus quibusdam quos Indi obtinebant, in vallem Tessucam peruenit. Eius prouinciae regulus erat Simandoca. Is quum Hispanos modestè & sine ullo detrimento per fineis suos iter facientes videret (quippe vetuerat Doctor seuerè ne quis quidquam sine permisso indigena-
Barbari necessaria pulchris anteponunt.
 rum capere aut attingere auderet, idque ut gratiam & bonam famam inter eas gentes si-
 bi conciliaret) ille, inquam, eos nihil transitu prohibere conatus, hospitaliter etiam & co-
 miter exceptit. In primis verò Doctor ab eo de smaragdorum fodinis sciscitatus est. Regu-
 lus peramicè eum ad locum deduxit. Viginti-
 quinque circiter millia pass. ab ipsius ditione aberat tumulus editus, arido & nudo herbis atque arboribus solo. Ibi magnam vim gemmarum à suis subditis effodi iubet, easque cum aliis opibus atque auro Doctori largitur, nempe qui ea parui faceret, plurisque duceret salis lancem vnam quam aurum omne & totum illum smaragdorum montem.

Cum hoc pulcherrimo & ditissimo munere ad San-marthanam coloniam Doctor reu-
 sus, nuper inuentæ prouinciae famam spargit,
qua

quæ adeo auro & smaragdis abundaret. Omnes visendi cupido incessit: in primis Petrus Lugus ceteris audior, arma, nauigia, equos, ceteraque ad eam expeditionem necessaria comparat: quumque paucos circa se haberet milites, Carthaginem ad delectum habendum mittit. Ut libitum instructus, quum ad Bagottæ finium limites peruenisset, & ad illum vicinósque regulos Christianorum adventus fama perlata esset, scelerumque ac facinorum quæ vbique nefanda ederent, sumptis armis illi arcere vini aduenarum & libertatem suam propugnare properant. Sed ubi ventum ad manus, barbari omnibus ferè præliis vincebantur. Itaque quum & iam multis ipsorum cæsis res ad internecionem gentis spectare videretur: Christianis verò noua subinde auxilia Carthagine & San-martha summitterentur, fessisque ac fauciis recentes succederent: spem omnem pellendi eos à suis finibus exuunt, victique metu ne cladibus attriti ad vastitatem tandem redigeretur, abiiciunt arma & pacem exposcunt. His artibus Hispani maximam eius prouinciae partem subegere.

P E T R V S Lugus leuibus aliquot præliis Indos expertus, & transcurvis gentibus multis omnia igni, ferro, latrociniis, quacumque ibat infesta faciendo, cù magna auri & smaragdoru copia San-martham reuersus est. Hec prouincia ab Hispanis Granatæ-nouæ regnum dicta est, & Georgius Robledus Trib. mil. quum

Divitiarū
admiratio
auaritiam,
auaritia
bella & cę
des giznit.

ibi coloniam condidisset, Carthaginem eam nuncupauit, propterea quod omnes ferè eius oræ perdomitores ac coloni, qui ibi erant quum ipse eò applicuit, Carthagine noua Hispaniæ vrbe orti erant. Illi magnam inde smaragdorum copiam effoderunt, & porrò etiam nunc effodiunt.

1 SAN-MARTHAE portus in continentis Indiae, undecim tantum gradibus ab Aequinoctiali linea in Septentrionem distat, sub altissimis montibus, qui (mirum dictu) inter tantos ardores, opaci fidique niubus, primi nautis ex alto prospexitantibus ea littora aperiunt.

2 Mox sub finem huins capitinis aliam eius nuncupationis rationem videtur reddere. Sed hic loquitur de ipso portu seu tota ea ora, quam obiectu insulae situm Carthaginis nouæ, quæ in Hispania est, referentem, sic vel Columbus vel primi Hispani nominarunt. Illic verò agit de colonia, quæ à Carthaginis Hispanica ciuibus, in nouæ Granatæ prouincia x L. pass. millibus à San-marthensi portu condita est. Porro obiectam Carthag. portui insulam Barbari indigenæ vocant Codego, uti Carthaginenses Hispani suam Scombriam appellant. De cuius situ vide T. Linium Annal. lib. 26.

3 ANNO M.D.IX. Martinus Ancifus aduersus Zenenses eiusdem oræ accolas bellum gerens, unam cepit 20. annos natam, quæ virgini octo Christianos sua manu interfecerat. Gomara Hist. Gen. lib. 2.

4 TOTI continentis tractu in quo Noua Carthago,

Carthago, etiam in Nouo regno, magnus est usus
piperis cuiusdam oblongi, quod maiore acrimoniam
praeditum Orientali, magisque aromaticum & in-
cendiorem odorem spirat quam Axis seu Capsi-
cum, id est Piper Indicum vulgare. Nic. Mon-
nard. de simpl. medicam. Indie Occid.

4 Qv o liquidius appareat quanto in con-
tentu diuitiarum viuant Occidentales Indi, hic ex
Joannis Lerij, amici mei, libro quem nuper Gal-
licè de suis peregrinationibus edidit, bona fide
transcribam ipsius cum Brasiliensi barbaro collo-
quium: Mirantur (inquit) non mediocriter nostri &
Tououpinambaultij (de quadam Brasiliæ gente &
agit, quicum Gallis societas erat) quum vident &
Gallos aliosque aduenas è procul remotis terris &
venientes, tantum laboris sumere ut Araboutano &
suo (id est Brasilio seu coccineo ligno) naues onu-
stas reuehāt. Itaque magno natu quidam ex bar-
baris hūc in modum me super eare aliquando in-
terrogauit: Quid sibi vult, inquit, quod vos Mair
& Peros (id est Galli & Portugalli) tam procul &
petitum ligna veniatis? Nullane vobis ligna ad &
focum tellus vestra suppeditat? Tum ego: Sup-
peditat verò, inquam, & quidem magna copia: sed &
non ex eo genere arborū quales vestrae sunt: Bra-
siliū in primis, quod hinc nostri non ad vrendum,
ut tu existimas, sed ad tingendum exportat: sicuti &
vos eo funiculos vestros bombycinos, pennas,
aliaque rerū inficitis. Hic ille protinus excipiēs:
Verū tantane eius ligni copia vobis opus est?
Enim uero inquam, quum enim (ut hominis ani-
mū admiratione suspederem) apud nos vel unus &

» mercator plures coccineos pannos , plures cul-
 » tellos, & forfices (nota ipsi & familiaria exempla
 » subiiciens) plura specula possideat, quām quanta
 » hic ad vos unquam allata sunt : solus ille omne
 » Brasilium coemet, quo plures hinc naues nūstæ
 » redeunt. Ah! (inquit Barbarus) mira planè
 » mihi narras. Mox eorum quæ audiuerat memor,
 » percontari ultrà perrexit : At, inquit, vir ille
 » adeo locuples, quem tñ refers, non moritur? Mo-
 » ritur, moritur (inquam) ut & alij homines. Ibi
 » tum ille (ut isti Barbari commentari amant, &
 » cæptum sermonem nullis interruptum diuerticu-
 » lis, ad finem usque hanc absurdè pertexunt) quæ-
 » rere ex me : Ergo, inquit, eorum quæ iste moriens
 » bona relinquit, quis heres est? Liberi eius, in-
 » quam, si habet: si non habet, fratres, sorores, aut
 » proximi eius adgnati. Quum hac dixisset, Equi-
 » dem (inquit meus ille hanc sanè ineptus senex)
 » facile hinc animaderto vos Mair (id est Gallos)
 » esse insigniter fatuos. Nam quid traiicendo mari
 » tantopere vos fatigari necesse est, in quo superan-
 » do (sicuti nobis quidem hoc appulsi dicitis) tan-
 » tum malorum exauritis? Nempe ut liberis ve-
 » stris, aut superstibuscognatis, opes queratis. Tel-
 » lus quæ vos aluit, non illis quoque alendis suffi-
 » ciet? Nos quidem & liberos & propinquos habe-
 » mus, eosque, ut tu vides, summa caritate ample-
 » Etimur: sed quum confidamus fore ut post mortem
 » nostram terra quæ nos aluit, eadem & illos quoq;
 » enutriat, in eo acquiescimus. Haltenus ille.



Germani aliquot, Hispanorum exemplis edociti, Indos vexant. Illi iniuriam pertasi, quæsta morte intereunt. Valle-tunienstum religio, arma & mores.

C A P . VI.

VELZARI (id est Velzarorum, iij Germani mercatores sunt, procuratores seu mancipes) audito tam ingenti lucro oblato, è Valentiola profecti & ipsi, ac terrestri itinere asperrima loca & niuofos San-marthæ montes, ducibus Indis gnaris locorum prætergressi, tandem in Smaragdorum prouinciam perueniunt. Inde excursionibus factis & direptis aliquot gentibus, spoliis onusti in suam prouinciam remeant. Sed Indi ^{Indi vitam fugere.} vbi se assiduis iniuriis vexari & vndique opprimi à peregrina gente animaduertunt, pertasi tot laborum miseriarum, diris exfescrantes & blasphemantes Christianum nomen, vulgo siluas ingressi informiem exitum deligebant. Fœminæ pariter ac viri certatim eò confluentes suspendia quærebant, & quibus frangendæ gulæ laquei deerant, vt in gente plerumque nuda, alij alios adiuuantes, diligatis ad ramos arborum comis, iactoque in præceps corpore, acerbissimis lamentis horrendo cum stridore atque ululatu cœlum ac terras implebant, donec miserrimæ vitæ finem tandem inuenirent.

^{Sup. huius lib. cap. 5.}

^{quæm Hispanicam tyrannide perferrere malunt.}

VALLIS Tuniae & finitimarum locorum
incolæ Solem ut præcipuum numen colunt.
 Barbari etiam claram virosum exemplum ad virum exemplis accepuntur. In bellicis expeditionibus, pro vexillis & signis, clarorum hominum & bellico aliquo fastigio illustrium ossa arundinibus alligata circumferunt, quo ceteri ad eorum virtutem imitandam, & pugnam cum hoste alacriter capessendam, accendantur. Arma eorum & tela, lanceæ è ramis palmarum, & enses lapidei. Regulos suos cum aureis monilibus, smaragdis, pane & vino sepeliunt: & in multa eiusmodi ditissima sepulchra incidere Hispani. Accolæ ingentis illius suprà memorati fluminis, Caribes sunt, sicut & San-marthenis oræ indigenæ. Herbarum succo venenato sagittas inficiunt: & ante aduentum Hispanorum capitales cum Bagotta inimicitias & affidua bella exercebant. Strenui sunt, feroce, vltionis cupidi: ad bella Chiappem numen suum, velut victoriæ arbitrum, secum deferebant, ei-victimis libertate sibi cogit Barbares Princeptes huius mundi. que priusquam expeditionem inirent, lectas humanas victimas vel ex captiuis alicuius fœminæ liberis, vel ex hostibus captis, mactantes, pluribus sacrificiis litabant: totumque ipsius simulacrum sanguine oblinentes, carnes inter se ipsi epulabantur.

Sed victoriam domum referrent, effusa cum lætitia cantantes, saltantes, & sese ad ebrietatem usque potu inuitantes, hostium sanguine quos bello captos adducerent, Idolum simili-ter vngembat. Victi verò, moesti & confusi nouis sacrificiis Chiappem placare studebant,

ut deinceps propitius ac volens adesset ipsis
& victoriam daret. Multa præterea alia à me
de carum gentium moribus referri possent:
sed ne fastidium legētibus parian, ad sequen-
tia propero.

1 *Solem usque adeo venerantur, ut eum
contrà intueri non audeant. Lunæ verò etiam, ut
Soli, diuinos honores tribuunt. Gomara Hist. gen.
lib.2.cap.72.*

2 *Caribes propriè dicebantur quondam, Bori-
quenæ, Dominicæ, Matitini, Cibucheiræ (hodie
S. Crucis) insularū incolæ: qui canoīs, id est lintri-
bus monoxylis, vecti, Hispaniolensisibus Indis bellū
inferebant. Creduntur Caribes illi insulares ori-
ginem duxisse è Caribana, Vraberis sinus orien-
talis ora, in continentis Indiae Occid. Caribes au-
tem homines strenui & fortes, Indico idiomate
appellantur. Vulgo hodie omnes arcu & sagutis
infestos Barbaros ñdice continentis accolas, ita
nuncupant. Caraibes verò apud Brasilienses, sa-
cerdotes seu vates, dicuntur.*



*Indie continens multis locis desolatur. Indi Hispanicam ser-
nitatem præsidio & difficultate locorum effugiant.*

*Hispanis agrè commeatus præbent. Pecu-
niā aspernantur.*

C A P . V I I .

AM, ut ad meam peregrinationem
reuertar, quum ad Carthaginem
applicuisse: quòd nauis qua vectus
eram, multam aquam acciperet, nec

inde solucre maturè posset, necesse me fuit aliam opportunitatem ad traiiciendum expectare. Quadragesimo quarto demū die myoparonem ad Nomen-dei tendentem consendi. Nos oram semper præterlegentes priuūm in Vrabensem finum, mox in portum Achlæ inuesti sumus. Oppidum id est, tantum à mari remotum quantum ballistæ telo bis adigi potest, ac tum ibi fortè octo erant domus Hispanis habitatæ: quamquam initio quum ibi condita colonia est, plures viginti erant: sed ut res eorum semper in peius lapsæ sunt, atque etiam num labuntur, quod mutuis cladibus & Indos & seipso attruerint: maior ferè pars ad meliores sedes querendas aliud dilapsi sunt.

Vide sup.
pag. 91.

Ac propè idem Antiquæ Darienis & aliis eius orç coloniis accidit, vnde ab Hispanis vulgo demigratum est.

OCTO antequam portum illum Achlensem attingerem, diebus, eò appulerat una nauis, quę onusta mulibus San-dominica ad Nomen dei-vela fecerat. Ea quum ad oram continentis applicuisset, nec regionem calleret nauis Gubernator, pro certo habens se inferiùs ad fines Veraguæ esse, signum soluendi dedit, Quumque ratus se Nomen-dei versus nauigare Carthaginem tenderet, ad os portus Achlensis applicuit. Gubernator quum nec quò iret neque ubi esset sciret, & suspensus animi terram prospectaret, fortè accidit ut Hispanus quidam illac propter littus inambulans, nauimque in portus fauibus stantem

conspic

Achla, por
eus & co-
lonia.

conspicatus, aberrasse eam à cursu regionis ignorantia suspectaret. Itaque confessim dominum recurrens arreptum mantile hastæque alligatum è littore sublimè erigit. Qui in nauicrancis signo conspecto, portum intrant mulasque in littus exponunt.

C E T E R V M mercatores, si eas rursum in nauim imponerent, penuria pabuli & incultu haud dubiè perituras rati, nauem ad Nomen-dei mittere, & ipsi mulas terrestri itinere Panamam deducere instituunt. Ergo sese comparant, commeatus prouident quantum ad inter sufficere videbatur. Interea me rogant ut comitari se yellem: discedimus præente nobis Hispano quodam non admodum perito duce itineris, & viginti Æthiopicis mancipiis quæ ex mercatorum familia erant. Singulis securis in manu aperiendo itineri erat: quippe absque eo nulla transeundi spes, quum densarum arborum rami alias alio implicati & coeuntes ut perpetuam sepem obiicerent.

I A M X I V. dierum spatium emensi eramus, vixdū dimidia itineris parte & paulo amplius confecta, neque vlla earum gentiū vestigia cōparebant quibus eæ terræ antea frequentibus habitari consueuerant, quum prosperis rebus vteretur. Iámque mercatores, deficiēte annona, mulam vnam ad vescendum mactare constituerant, quum ecce vesperi sub occasum solis è vertice montis cuiusdam, summa cum omnium voluptate, ingentem fumum euolui prospicimus: dux viæ Indici alicuius mapalis id signum esse monuit: sibi tamen haud festinandum videri: sed secundam noctis

Hispani
cōmeatus
& hospiti-
tia non re-
periūt vbi
ipsi foli-
tudinem
fecere.

vigiliam exspectandam esse, qua Barbari nec opinantes & sumpiti opprimi possent. quippe faciebat, optima ratione quod dixerat confirmans) si nos evestigio rectâ ad illos iter capessemus, simulac nos conspexerint, nihil ulterius cogitâtes quâm nos èò venisse ut ipsos in servitatem redigamus (vti fieri solebat priusquam ex Hispania Edictum Cæsaris de eorum libertate allatum esset) fuga se proripient in silvas: nos verò unde commeatus inopiam subleuemus ad peragendum iter non habebimus. Sic dictum, sic factum: atque vt tutius lateremus, digressi è summis iugis usque ad medium montis, magnam ibi noctis partem substituimus.

Hispani Christia- num no- men in tam- cum con- temptum addux- sunt apud Indos, ut feris com- parentur. Mox egressi latebris ad mapalia tendimus. Quatuor erant, & quidem permodicæ quæ vt ingressi sumus, & Indi tumultu irrumpentium excitati nos agnouerunt, horribili cum vulnitu vociferari incipiunt, *Guacci, Guaci-* ci. Id genus quadrupedis est apud eos, quod noctu illic vagari & rapto viuere assueuit. Eo nomine Christianos scilicet vocant.

No s interea ingressi omnes ferè qui in mapalibus erant comprehendimus, & ibidem perpetem eam noctem pernoctauimus. Id verò mihi affirmare licet, nunquam me talem planetum vidisse, aut audiisse, qualis ea nocte ab illis, maximè à fœminis, editus est. Quum e-

Seruitus etiam bar- baris odio fa- nim pro certo haberent nos èò venisse ut omnines in seruitutem abduceremus, desperabundos caput Mænadum ritu agitantes cer- neres, tum inter se flebiles voces & questus niscentes: mox capita terræ allidere, ferire manibus

manibus: dentibus etiam, instar ferarum fren-
dentes morsu pannos appetere, ac despovere in
faciem. Denique, nisi furorem eorum cohi-
buissimus, haud dubiè nonnulli sibi vim attu-
lissent.

T A N D E M luce orta & finitis horrendis
illis clamoribus, quām commodissimē fieri
potuit spiritus eorum mitigauimus, signif-
que & nutibus docuimus, non aliam ob cau-
sam ad eorum mapalia venisse, quām vt ali-
mentis repertis ad alterum mare cum mulis
perueniremus. Neque verò etiam in poste-
rum illis de seruitute esse metuendum: siqui-
dem edicto vetusse Castellæ regem, ne ulterius pro mancipiis abduberentur. His aliisque
multis eiusmodi à nobis auditis recreati a-
liquantulum & acquiescere visi sunt, fraudem
tamen subesse aliquā semper utique suspectā-
tes. Itaque ab illis pane, piscibus, fructibus &
aprugna carne (Apri autem illi Indici, ² seu a-
grestes sues, umbilicum in dorso gerunt) do-
nati, vicissim illos cultellis aliquot, & salis
paululo, remunerati sumus: quūmque insu-
per illis nummos aliquot, ex eorum specie
quos regales vulgo vocant, dare vellemus, no-
luerunt accipere, dicentes eos sibi nulli usui
fore.

I N D E , quum dierum quatuor quiete re-
creati esseimus, abeentes nos Indus unus ulti-
comitatus, tamdiu prosequutus est, quoad nos
in rectam viam sisteret. Quum ab eo percon-
tati essemus, numquæ Indorum præterea ma-
palia aut pagi in itinere nobis occurserent,

Indi ma-
gno ani-
mo pecu-
niariam spe-
nunt.

Nulli prorsus, respondit. quippe Guacci, inquit, partim populationibus, partim cædibus omnia hæc vasta fecerunt. Hoc edito responso Indus domum suam repetit: nos octauo demum die maximis cum laboribus Panamam peruenimus.

1 E A N D E M esse hanc feram puto cum ea quam in Noua Hispania Tecoani appellant, quam tamen illius prouinciae indigenæ usque adeò non expauescunt, ut noctu ingredientem domos nil auersati, nihilque timidius ad eius conspectum eloquuti, quam Tecoani, Tecoani, diligere etiam ex omni familia, quem velut, ad pastū finant, feliçemque eum existiment quem illa corripuerit. Optimum autem maximè quinque illa & pinguissum ferè pignerari confuerit. Id ex Hispano quodam olim in Mexicana prouincia episcopo, postea vero ad veram religionem conuerso, auditum à præstantissimo viro accepi.

2 Idem confirmant qui in Noua Hispania a-
grestes sues videre. Idem de Nicaraguensibus a-
pris scribit Gomara Hist. gener. lib. 5. cap. 204.

Neque dispare Brasilienses sunt, quos Bar-
bari Taiassou vocant, de quibus

Lerius Naig. Brasil. cap.

10. agit.



Panamensis & Veneti emporij collatio. Quæ mercature ab Hispanis Indiae continentí exerceantur. Hispanorum cum Italis duellum.

C A P . V I I I .

D I C V N T

DI C V N T nonnulli eius vrbis, Panamæ videlicet, emporium & negotia-
tiones penè tantas esse quantæ sunt
inclytæ ciuitatis Venetiarum. Ab-
surdè id adeò, vt ab istis scriptoribus illustris-
simam & magnificam ciuitatem Venetiam
nunquam visam esse existimem: quæ quidem
neque opibus, neque imperij maiestate, neque
mercatu, neque diuiniis, neque iustitiae splen-
dore vlla earum ciuitatum quascunque sol
ambit, inferior est. Atque haud dubiè decem
tantum mercatores Veneti mercibus omni-
bus quotcumque toto anno Panamam impor-
tantur coemendis, ipsaque adeò solida etiam
ciuitate, facile sufficerint. Perro nequis me
id eleuandæ gloriæ Hispanorum dicere ac per
inuidiam putet, eius emporij integrum descri-
ptionem, simûlque Nominis-dei prodere vo-
lo. Sita est hæc ciuitas in “septentrionalis O-
ceani littore, vulgo mare Tramontanae nomi-
nant.
De eo ut de sup.
pag. 104.

P O R R O quotannis ferè quatuordecim
aut quindecim naues, maiores & minores, ex
Hispania ad Nomen-dei commeare solent,
Nominis-
dei em-
quarum maxima mille & octingentarum am-
porium.
phorarum est. Aliæ aliis onustæ mercibus,
quales ferè hæ sunt, vinum, farina, panis bis-
coctus, oleum, panni, sericum, denique aliæ
res quascumque tum ad usum domesticum,
tum ad tuendam vitam, ferre solet Hispania.
Ac nonnunquam usuerit tantam earum co-
piam eò importari, vt vel maior in ipsa Hispa-
nia non reperiatur. Ipse quidé vidi nonnullos

376 HIST. NOVI ORBIS
qui conuectas eò merces, vt oliuas, fucus, vuas
passas & alia eiusdemmodi, quum nullum ea-
rum pretium reperirent, pro nauo & vectura
Magistro nauis relinquerent. Sæpen numero
contrà tantam rerum omnium penuriam ibi-
dem esse accidit, quòd naues à commeando
metu Gallorum impedirentur, vt omnia con-
tra auro æstimarentur & venderentur, vt vul-
go dici solet..

C E T E R V M appulsis ad Nomen-dei nau-
bus, Mercatores onera & merces per flumen
Chiaram exiguis lintribus mittunt in locum
cui Crux nomen est (is x v. millibus Panama
abest) ibique omnia Hispano cuidam consi-
gnant, qui rerum aduectarum custodiæ pre-
est, donec à mulionibus Panamam deuechan-
Australis
ad cuius li-
tas sita est
Panama. tur. Atque inde aliis nauibus ad alterius illius
maris oram stantibus, maior pars merces in
Peruanam prouinciam, atque in oīnes ingen-
tis illius regni ciuitates Hispanis hodie habi-
tatas, dimittunt. Si verò Panamę simul & No-
minis-dei ciuium & inquelinorum censum a-
gere numerūmque inire libeat, vix, vel vt
quum maximè abundarunt multitudine, qua-
tuor millia capitum vnquam habuere. Ex quo
Lectoribus facillimè colligere est, an meritò
Panaina emporij & mercatus amplitudine di-
tissimę & illustrissimę ciuitati Venetię equa-
re se possit.

**Hispánicæ
laetantia
censura.** S E D in iis prouinciis Hispani reperiuntur
nonnulli adeo vaniloqui & glorioſi, vt suimet
laudandi nullum finem faciant, ij præsertim
qui Italiam viderunt. Nonnulli dictitant se
hanc

hanc aut talem arcem expugnasse : se singulari certamine congressos ex hoste victo semper decus tulisse. Alij, solertia sua atque astu ingentem & celebrem ciuitatem captam ac di-reptam fuisse: Vnum Hispanum quatuor Germanis, tribus Gallis, duobus Italis contrà valere. Quingenti certè illorum haud dubiè, Venetiæ depictæ capiendæ facillimè suffecerint, perinde ut si ea casale aliquod esset è stipulis aut lignis compactum, vigintiquinque aut triginta fortè casas seu mapalia continens, quales ferè sunt maximam partem ciuitates & coloniæ ab illis in India ædificatæ. Præter hæc plerique eorum, ex Hispania transgressi non modò in has Indiae oras, sed & in alias prouincias quascumque sub imperio tenent, ventos tumidi iactant se ex stirpe Gotthorum, Guf-mannorum, & Manricorum, originem du-cere: mox verò ut patuit veritas, deprehenduntur in Hispania aut subulci aut opiliones fuisse.

Hic locus admonet ut Hispani cuiusdam (Montanesio nomē erat) insignem historiam referam. Hic quum paulo ante memorabile ad Rauennam commissum prælium, Senis, magistrifica Hetruriæ ciuitate, esset, ac fortè in circulum multorum inter se confabulantium, cùm nobilium tum ex plebe hominum, incidisset, magnificè superbèque virtutem efferre Hispanorum, ac ceteros præ illis despiceret atque obterere cœpit: inter alias quidem raras eorum dotes, non alios mortalium rotandi ensis peritia ante Hispanos esse. Hæc

*Hispanis
militaris
laudis vir-
tutem nū-
quam eri-
piam. vi-
nam cete-
ra ad hunc
modum.*

verba paulo arrogantius iacta adolescens qui-
dam Romanus (Julianum vocabant) Parionen-
si vrbis regione, in medium progreslus, exce-
» pit, Et, si libet, inquit, tibi ô Montanesi, singu-
» lari certainine & paribus armis mecum con-
» gredi, faciam ut cognoscas nullum externum
» militem, nec bello meliorē, nec valentiorem
» Italo esse. Hoc responsum generosum & mo-
destè factum oinnes qui aderant, vna voce ap-
probant.

Conuenit inter eos ut succenturiatum sibi
Hispano- quisque militem & socium legeret, & ad cer-
rum cum tamen solo gladio Hispanico & chlamyde vi-
Italis duel lum. ce clypei vterentur. Montanesius socium sibi
adlegit iuuenem quendam Cordubensem sibi
notum, qui gladiatoriæ artis & tractandi en-
sis peritissimus erat. Romano non defuit Ti-
racoscia Castellanus, adoptatus ab eo & ami-
cè inuitatus ad participandum Italici nominis
decus. Vbi dies dicta aderat, ad præclarum
illud spectaculum tota propè Heturia con-
currit. Senensis magistratus liberum certa-
mini locam concessit, celeberrimum vrbis
campum, ei rei aptum, & ad Theatri simili-
tudinem factum. Ibi tantis vtrisque animis
concursum est, tantisque huic vel illi parti fa-
uentium studiis res celebrata, ut publicum de-
cus ita præproperè ac temere in priuatorum
manibus collocasse propemodum pœniteret.
Hispani tandem, veterum gladiatorum ritu
dimicantes, priores defatigati & victos se fas-
si sunt, iam decem & septem ingentibus vul-
neribus tum in facie, tum aliis corporis
partibus

partibus acceptis, exsangues: quum Italos novum duntaxat imposuerint. Hæc ludicra pugna non lætis tantum passim vulgi sermonibus celebrata, sed & doctè à Poetis decantata est; quorum semper in Hetruria magna copia est.

1 FRANCISCVS PiZarus, qui ditissimum Peruanum regnum subegit, & Marchio fuit primum pro spurio expositus, ac vix tandem à patre agnitus, sues puer quondam in Hispania pauit: Almagri verò, eius socij, natales adeo obscuri fuere, ut eius adhuc ignoretur pater. An autem hic Benso falsò vanitatem ementiendæ stirpis & nobilitatis in Hispanis reprehendat, testari possunt, qui in regno Siculo & Neapolitano primum aduentantes Hispanos videre, cum calceis, aunc sculponeis è sparto, reticulato opere consutis, senios, squalidos, & planè albis, ut inquit ille, pedibus. Postquam enim degustati Italiae delicijs & vestiti serico, repente velut Circeo poculo in alios mutati, se subulcos aut opiliones fuisse oblitii sunt, quæsitis tilulis, Dom-
Diego & Dom-Fernan-
do vocari se
invent.
* * *



Panamæ & Nominis-dei Hispanicarum coloniarum situs.
Aethiopes fugitiui, Hispanorum negotia-
tiones infestant.

C A P. I X.

NVNC ut Panamam, vnde deflexe-
rā reuertar, sita est ea ciuitas in pla-
nicie permodica ad Australis Ocea-
ni orā, mari adeo vicina, vt plēnilu-
niis æstus in domos quæ in eam partem versæ
Panamæ
situs. sunt facillimè restagnet. Ex ferè partim arun-
dinibus, partim materia compactæ, & propè
omnes tegulis compactæ, quum ibi esse cen-
tum & viginti numerū non superabant. Com-
modum & tutum portum habet, sed exiguum:
æstu affluente, naues portum ingrediuntur:
remeante exeunt, leuius tamen onustæ, ne vi-
delicet tenuiori aqua destitutæ in vadis hæ-
reant. Ceterùm ita mare reciprocalat, aquis in
suum fretum recurrentibus, vt duorum am-
plius milliarium spatio paulo antè profundo
falo mersa æstuaria reddat detegatque, & cre-
bras tantùm alluuiæ & stagna relinquat. Pau-
lo longius naues tutæ in ancoris stant, & sca-
pharum ministerio ad merces accipiendas aut
exonerandas vtuntur.

I L L ò autem mari ea ferè Panamam ad-
uehuntur: Maizium, farinæ nonnihil, quod ex
Peruanis prouinciis è deportatur: gallinæ
& mel. Vaccarum verò, suum, aurantiorum
malorum, limonum, brassicarum, ceparum,
lactuca-

lactucarum, melonum, aliarumque hortensium herbarum ibi summa copia est. Hæc prouincia Panamensis multis Indicis populis habitari & frequentari quondam solebat, eiisque omnia flumina aureas arenas voluebant: sed omnia ab Hispanis exhausta & consumpta sunt.

E Panama ad Nonien-dei usque terrestri itinere L.milliarium spatium est. Primo die inter satis facile & coeniodum reperias: mox verò excipiunt siluae, quæ usque ad Nomen-dei pertinent. Medio fermè viæ interuallo flumen intercedit, quod propter multiplices mæandros & tortuosos flexus vix trium horarum spatio traiicitur. Hispanis verò etiam aliquot euenit ut hyberno tempore deprehensi in medio eius fluminis alueo, quum repente fuso ingentibus procellis imbre excreuisset, neque illi locum opportunum quod se recipere rent haberent, aquis haurirentur. Hispanum quendam ipse cognoui, qui in traiectu illius amnis, quum iam imbre auctus intumesceret, neque illi quidquam ad traiiciendum superesset præter ultimum euripum, seu brachium fluminis, mulam inequitans & auro monilibusque quatuor millium ducatorum pretij onustus, prærapida profluentis celeritate abreptus est. Fortè tamen cum ad ramum arboris adhæsisset, ipse incolumis ad terram euasit, rebus omnibus amissis, & solo thorace vestitus Nomen-dei venit.

HÆC ciuitas, porrecta ab ortu in occasum longitudine, ad mare posita est, in umbi-

lico ingentis siluæ: insalubri & pestilentilio-
co, hyeme præfertim, tum ob ingentem calo-
rem & humorem terræ, tum ob paludem qua
ab occidentali parte cingitur. Ergo colono-

Nomen-
dei cælo
& solo gra
ui colonia rum ibi crebra funera: domus quales Panamæ,
quinque in ea prouincia essem, in ea vrbe ha-
bitabant quindecim aut viginti negotiatores
magnarij, qui mercimonia in solidum ven-
debant: ceteræ domus & tabernæ propolis,
aromatariis, nauticis, cauponibus aliarumque
aliquot artium necessiarum opificibus, oc-
cupabatur. Omnes mercatores qui Nomine-
dei domum habent, habent etiam Panamæ,
ibique tandem commorantur quoad diuites e-
uaferint.

In Septentrionali eius vrbis parte portus
est multarum nauium capax. E rebus ex His-
pania è translatis pestilens illud solum has
producit: limones videlicet paucos, aurantia
mala, raphanos caudæ muris crassitudine,
brassicas, lactucas, sed eas perexigas, perpau-
cas, nec admodum bonas. Cetera ex Hispanio-
la, è Cuba, Nicaraguæ prouincia, è impor-
tantur, Maizium nempe, Cazabi panis, caro
salita, porci, battatae radices: è Panama vaccæ,
quum non ferè aliunde carnis recentis illis
copia sit. cetera, vti antè dixi, ab Hispania
subuehuntur.

Vt Hispani seruos,
sic serui Hispanos
vexant.

No n procul Nomine-dei, ad Orientem,
siluas tenent aliquot fugitiuorum Æthiopum
populi, qui multos Hispanos à Præfectis pro-
uinciæ in suam perniciem missos trucidarunt
Illi quum ad ripas fluminum, quæ siluas illas
interflu-

interfluunt, mapalia Indis habitata fortè reperissent, cum illis fœdus atque amicitiam pepigere. Veneno tinctis & ipsi sagittis vtuntur, multique eorum iter quod Panamam fert ob-sidentes, quoscūque Hispanos capere possunt, omnes barbarum in morem lacerant & necant. Adhæc quium hyberno tempore propter reflantes ventos, lintres quibus merces per flumen Chiaram deuehi solent, ad <sup>‘ Supra.
pag. 176.</sup> Crucis stationem tardius sæpe perueniant, mercatores moram pertæsi, terrestri itinere mercimonia aliqua mittunt: vbi si obtigerit (vt sæpe fit) agafones in Æthiopas illos fugitiuos incidere, tum illi, mercibus omnibus eruptis, Numidas seruos, qui mulas agunt, intactos abire sinunt, si sese ipsis adiungere noluerint. Hæc in summa negotiatio est, hoc commercium emporij Panamæ & Nominis-Dei.

I AM verò quum superius asperrimi & sœuif-<sup>lib. I. cap.
21.</sup> simi soli Veraguæ prouinciæ descriptionem exequi promiserim, reddi commodè hoc loco puto: idque vt iudicent Lectores quantum intersit aliqua de re ex ore & iudicio alieno, an propria experientia, differere.

I *ÆTHIOPICOS* seruos designat, quos Hispani è Nigritarum prouincia in Indianum deuexere. Ii enim iniquis laboribus & intoleranda Hispanorum sœnitia oppressi, tum in Hispaniola aliisque Insulis, tum in Continenti tumultus aduersus Hispanos mouent. Nonnulli etiam Barbaris iuncti, in totum Hispanicum iugum excusere. Vide suprà huius lib. cap. I.

Veragua asperrimæ prouinciae descriptio. Did. Gottierez
Præfectus eā inire audet. Eius regulos beneficiis demulces.
A militibus famelicis deseritur: alios Nomen-dei ar-
ceſi curat.

C A P. X.

No Salutis nostræ M.D.XL. Didac-
cus Gottierez Mantue Carpetanæ ci-
uis (Madritium vulgò vocant) à Cæ-
sare Carthaginis nouæ prouincie di-
tissimæ, Gubernator dictus, ex Hispania sol-
uit. Appulsus ad Nomen-dei, phaselo per re-
missarium seu alueum lacus Nicaraguam pe-
tit ad delectum militum habendum, quibus
stipatus prouinciam suam iniret. Eius orę Præ-
fectus erat Rodericus quidam Contreras: ibi
propter similitates inter eos exortas Didacus
duos circiter annos tempus frustra terit. Tan-
dem interuentu Episcopi reconciliata inter
eos amicitia, quum Roderico sermo apud Di-
dacum institutus esset de ipsius Præfectura,
monet horribilem illam regionem propter
asperrimas silvas & inaccessos mōtes nulla ra-
tione posse subigi: neque equis tātū imper-
uiam esse, sed pedites quoque ipsos intolera-
bili cum labore vix eā iter facere posse. Om-
nes porro duces ac præfectos, qui eam intrare
ausi essent, partim fame absuntos, partim ab
Indis trucidatos, onines ferè Hispanos qui eo-
rum auspicia sequuti essent destituisse. Itaque
si eò ire sententia ipsi staret, consulere se ut c.
Hispani statuīs ad māre positis ter quatérve
in anno per æstatem modò in hanc, modò in
illam

Veragua
asperrima
regio.

illam partem populabundi excurrerent, prædásque agerent ex iis populis qui omnes auro abundarent. Se verò fidem suam iureiurando obligare, si in manubiarum partem veniret, ipsi exercituq; eius res omnes ad victum necessarias suppeditaturum, qualis in India institui solet. Ad hæc verba Didacus respondet, Enimuero eam prouinciam à Cæfare non ea lege sibi attributam, vt eam exinaniret latrociniis, sed vt coloniis impleret: quod si aliis fortuna aduersa fuisset, sperare, Deo fauente, eam sibi fore propitiam: inceptum quidem onittere non esse sui animi, multo verò etiam minus cum quoquam labores participare aut societatem coire velle.

H i s ita constitutis, iter apparat: Maizium, salem, suillas carnes, mel, gallinas, & alia coemit: rebúsque omnibus satis instruētus cum sexaginta Hispanis, duabus myoparonibus Granata soluit, & secundo emissarij lacus alueo per quem venerat defluens, breui ad mare peruenit. Inde L. millium spatio oram præteriectus ad orientem, Suere flumine aduerso subiens, prouinciam suam ingreditur. Sex milia progressus inde à mari, ad eius ripā fluminis mapalia aliquot desolata & semiruta prospiciens in terram egreditur, & vt eius loci ac temporis necessitas ferebat, præsidium & hospitium sibi molitur.

H v c obuiam ei progressi Indorum reguli, ignobilioris notæ aurum quod septingenitorum ducatorum pretium æquaret, offerunt. Gubernator eos multa cum comitate & be-

nigno vultu excipit : quāmque neutri alteros intelligerēt, variis nutibus significat, se eō ve-

Hisp. ini- nisse ut Salutis animarum iter rationēmque
cio à salu- ipsos doceret. Mox illos sphærularū pre-
te anima- rūm factō toriarum ex vitro linea vna seu seruo, crotalis,
en aurum tintinnabulis , & aliis eiuscēmodi minutiis,
dēfinit.

muneratur. Inde sciscitando exsequitur vnde aurum peterent : illi longinquis è regionibus sibi peti respondent , ibique inter arenas fluminum ex asperrimis montibus decurrentium legi. Hoc edito responso dimissi & ad suos reuersi, subditorum aliquos interdum cum pisci- bus, fructibus, carne aprugna fumo durata, ad Gubernatorem mittebant.

I P S E multis iam diebus clapsis, quum propter incommodum anni tempus (hyems enim erat) vterius progredi non posset , & Nicaragua subiecti commeatus iam deficerent, cœpit à Cacicis illis petere , vt se Maizio ad dies paucos iuuare vellent : se enim propediem vterius progressurum. Illi quamquam nihil vehementius cuperent, quum cogitarent non alia re magis Christianos quām alimentorum penuria & fame è suis finibus eiici posse : amicitiam tamen Gubernatoris sibi cordi esse simulantcs , Maizium , sed quamparcissimè , ei summittebant. At milites quibus suo arbitrio deserunt. vesci non licebat, tam anxiæ & miseræ vitæ pertæsi , noctu omnes ex composito fugiunt, quīnq; terrestri itinere ppter littus ad einis- farium lacus Nicaraguensis peruenissent , post biduum phaselos fortè repertos , qui à Noi- ne-dei veniebant, cōscendunt, & Nicaraguam repetunt.

G v-

Milites

Hisp. præ-
fectum
deserunt.

G V B E R N A T O R desertus à suis militibus, nec quoquam comitatus præterquā vno suo nepote, quatuor famulis & remige vno, cauo in terram factō, defosſa ibi vasa salis & mellis plena superaggesta humo obruit. Mox phaselum concendens ad mare peruenit, Nicaraguam petendi animo: iamque oram soluebat, quum ecce trib. Bariantus myoparone vno commeatu virisque onusto inuehitur, qui ē Nicaragua in ipsius subsidiū veniebat. Hoc nouo supplémento auctus Gubernator restitit: myoparonem verò Nomen-dei petere iubēs, eī Alphonsum Pisanum nepotem suum preſicit: cui traditis muncribus quæ à Cacicis acceperat, mandat vt quammaximè multos milites conscribat & adducat.

I L L E, vt ad Nomen-dei peruenit, de eius prouinciæ diuiniis dispersa illico fama, viginti septem milites conscribit: quumque per eos dies fortè in ea vrbe essem, eorum vnu esse volui, quamquam ab Hispano quodam iam prouectæ ætatis viro ea de re correptus. Is quuin Carthaginēsem prouinciam, S. Marthā & alia eius oræ loca permēsus quindecim annorum vnu calleret, monebat ne ad eam expeditionem vlo modo abduci me finerē: neque ipsius adeò Præfecti verbis ac pollicitis persuaderi: quippe illis mētiti & fallere nihil pensi esse dū res suas agāt. Sin mihi eundi staret animus, saltē in aliud tēpus differrē: interea rebus ipsis patefactū iri, quorsū ea incepta euaderēt. Spes diuinarum eęca. Apud me, qui tū iuuenis & viuido ingētis animi vigore plenuseſſem, tū diteſcendi cupidus,

Salubre
& senile
consilium

paruin fidei atque autoritatis ea verba habuerre: itaque proficisci statui. Abimus, & quarto inde die ad ostium Sueris fluminis appellimus. Sed quum mare intumescens subire nos alueum fluuij sine praesenti periculo non sine-ret, retrorsum vela dantes Zorobarenses insulas perlegimus, quæ in confiniis Carthaginis nouæ & Veraguæ prouinciæ iacent. Quum verò illa prouincia informis & aspera solo sit, hæc multo etiam peior est. Hæc insulæ exiguæ sunt & desertæ ab Indis incolis, qui in montes ex aduerso in Continenti sitos profugerunt.

I B I propter contrarios ventos (quippe tum mensis erat Iunius, iis locis initium hemicis) septuaginta duos dies morati, toto illo tempore vix quatuor horas Solem conspeximus: quum assidui ferè & maximi imbræ, tonitrua, fulgura, aerem adeo perturbarent, ut cælum ac terras misceri ac ruere crederes. Fulgetri radius in myoparonem delapsus, Æthiopem vnum & duos Hispanos exanimavit, ceteri afflati & attoniti restitere. Prætor myoparone ad continentis littus applicari iusso, tantisper progredi statuit, quoad in loca Indis culta & habitata peruenisset, vnde alimenta expediri possent. Sed quum totos octo dies per silvas, paludes & montes adeo præruptos, vt vel solo aspectu horrorem incutarent, absumisset, peractum iam spatium relegens, terreftri itinere propter littus ipsum ire instituit. Ea via summis cum laboribus (quum nullo cibo propè vesceremur, præter-

quam

quam cochleis, & agrestibus pomis, quibus cercopitheci aluntur, assidue in illis siluis ex arbore in arborem desultantes) tandem nos ad eum locum tulit ubi erat Gubernator.

V I C E S I M O die postquam eò veneramus, myoparo noster portum subi: eum Gubernator illico in Nomen-dei remittit ad plures milites aduehendos : nos interea aliquot dierum quiete corpora refecimus. Inter hæc multas testudines inusitatæ magnitudinis ce-
Testudi-
nes inusi-
tatæ ma-
gnitudi-
nis.
 pimus, quarum ingens copia quatuor mensium spatio per ea littora diffusa est. quippe il-
 læ in terram egressæ in arenis pariunt oua, vt
 crocodili solent: quæ mox vehementi solis ca-
 lone maturantur. Nos detracto earum cortice & sublato adipe, quum eo ingentia fictilia
 vasa implesemus, carnis quoque aliquantulum saliuimus: sed ea breui corrumpebatur:
 quum recens quidein saluberrima & esui iucundissima esset.

I N I C A R A G V E N S I S lacus ab Australi oceano x. aut XII. tantum pass. millibus di-
 stas, in mare Septentrionale, à quo c. leucarum spa-
 tio abest, nauigabili alueo se se exonerat. Quidam
 ex voce Hispanica Desaguadero, qua Emissarium sonat, fluum vel solo nomine terribilem,
 Xaguatorem, fecit.

2 N I Q V E S A primus infeliciter eam tenta-
 nit, de quo lib. I. Philippus Gutierrez Madricie-
 sis, quum eam prouinciam cum quadringentis am-
 plius militibus inisset, anno M.D.XXXVI. omnes
 partim fame, partim venenatis herbarum succi,

cōsumptos amisi. In quibus agri & semiuiti duo à socijs, fame in rabiem versis, mælati & comestii sunt. Anno M. D. X L V I. Christophorus Pega à Lod. Columbo Almirante, ad deducendas colomas eodem missus, nihilominorem exitum habuit. Itaque Hispani eam prouinciam ut infaustam & indomitam reliquere. Gomar. Histor. gen. lib. 2. cap. 56.



Pid Gottierez regulos Suerensis prouinciae primò verbis delinit, mox vinculis onerat, & aurum ab iis extorquere nititur. Cacicus vnius custodia elabitur.

C A P. X I.



Vo primùm die portum ingressi sumus, Gubernator benignè memēse suæ adhibuit: quinque summa cum voluptate mecum confabularetur, maxima pars ipsius sermonum de auro & argento erat: tum de bellis ac cladibus quibus misera Italia attrita fuerat, ac Mediolanensis ciuitas maximè: sed quum deprehendisset me haud satis libenter hæc audire, ex eo me adeo abhorruit, vt conspectum meum ferre non posset. Ceterūm his quæ antè dixi prouisiss, Gubernator inde soluens cum omnib. militib. phasculo suo, & quatuor Indicis lintrib. aduerso flumine subiectus, circiter xx. millia procul à portu, breui in Sueri fluminis fines progressus est. Hospitium ei præbuit casa, quam eius

eius prouinciæ Regulus amœnitati dicauerat, quum piscatum ad illud flumen ventitaret. Hæc casa cui figuram referens, longitudine in x L. passus patebat, circumplexa arundinib. & palmarum foliis cōtecta, quæ singulari ope- re nodis in semetipſos implicatis intexta erāt. Erant & alia ibi mapalia, verūm haud sanè à vilioribus vulgatisque abhorrentia. Gubernator hunc locum Ciuitatem S. Francisci nomi- nat, quòd eo die fortè illò appulisset.

Mox ei obuiam venere Sueræ & Chiuppæ Cacicuſ, aliique minores reguli, & fructus tantum nonnullos ei obtulerunt. Ipſe comi- ter eos excipit, multum tamen demiratus quòd nihil auri attulissent: ac per interpre- tem Hispanum, qui cum Indis aliquamdiu versatus erat, & eorum linguam mediocriter didicerat, significat se eò venisse ut rem sum- mæ ipſis consolationi futuram aperiret. Porro quum prandij hora adesset, eosque vesci secum vellet, mensæ adhibentur cum sacerdote & interprete. Sed quum ibi nihil appositum effet præter gallinas & suillam salitam, neque Indorum regulis is cibus satis gratus effet, parcè admodum comedetur: ac plerique co- rum cibaria, vt apposita erant, seruis suis hu- mi recubantibus porrigentes aspernari: quæ mox & ipſi per ludibrium obiiciebant ca- nibus.

P E R A C T O conuiuio, Gubernator ser- monem de fidei rebus iniiciens, in hunc ferè modum exorsus est: IN has terras vestras, « fratres & amici mihi carissimi, veni, vt «

Egregia verba, nisi Avaritia omnia fœdaret, quæ & ipsa lido luteum animarum vestrarum ferens iter perspiciat. Idolatria cuè vobis exponerem. Nempe Iesum Christum Dei Filium descendisse è cælis in terras, vt genus humanum redimeret. Neque aliam ob causam euidem sacerdos hic tecum usq; ab Hispania profectus est, nisi vt vos Christianæ religionis rudimentis imbueret. Quam obrem vt Diuinæ legis obsequium, & Caroli Quinti Cæsaris, Hispaniæ regis ac totius orbis Monarchæ, imperium subeatis, animos & studia parate. Indici Reguli hac oratione audita, ne verbum quidem respondere, sed demittere caput, quasi ad omnia tacitè se assentiri annuerent. Ita è mensa confusgentes, domos quisque suas repetunt.

S E Q U E N T I die Gubernator Hispanum vnum duobus stipatum Indis mittit ad duos Cacicos, qui in aduersa fluminis ripa manebant, vt illico fide ipsius freti, sine villa formidine ad se venirent. Ut illi, quanquam ægrè, venerant, Gubernator in cellam penariam intromissos, catena quemque propria onerat: mox in cubiculum deductos ad lectum suum properè alligari iubet: vbi humo substratis foliis cubile, ligneo truncō puluini usum præbente, vt ipsis mos est, somnum caperent. Hi duo Cacici, illi ipsi erant, qui quo tempore primùm Gubernator prouinciam inierat, septingentos ducatos aureos ipsi obtulerant, vti superiùs diximus. Inde ab illis sciscitando exequitur

**Hoc scili-
cerat In
dos con-
uertere.**

quæ ad mare descendens defossa reliquerat. Quippe quum misisset qui quereret, vacuum locum repererat. Illi se nescire respondent, neque iis certè indigere quibus ipsi abundant. Sed Gubernator hoc responso nequam acquiescere, immo utriusque minari malum, ni prorsus ipsi satisfacerent. Itaque iunior (Camachiren vocabant) ei amplius duo millia ducatorum, nempe auri massas, quamquam ignobilioris notæ, in formam suum, tigrum, piscium, auium, & aliorum animalium elaboratas dedit.

G U B E R N A T O R paruam auri copiam cernens præ ea quam spe ac cupiditate præcepit, ingentem ignem accendi iubet, addu-
ctoque in conspectum solo Camachire, grande cistam ante pedes poni. Mox illi seuerè interminatus, ni quatuor intra dies tantum auri adferret, quantum sexies implendæ cistæ sufficeret, fore ut igni cremaretur: à misero illo regulo, oblato præsentis mortis metu, promissum extorquet. Is ergo quum id se facturum recepisset, seruos suos ad comparandum pretium dimittit. Ceterū per omnem Indiam indigenis bis tērve in die ablui aqua mos est: quem morem quum quotidie seruaret Regulus captiuus, fortè accidit ut Gubernatoris famulus, cui deducendi illius ad flumen locum cura incumbebat, domum reductum non satis fideli custodia includeret. itaque noctu quæ eum diem sequuta est evadit. Hinc Gubernator doloris veheimentia ægri-

Avaritia
inexpli-
bilis.

tudinem contrahit: & quoties cistam illam videbat, dicere confueuerat, vice auri, quod sperratur, stercore implendam & percacandam esse.

A L I I Cacici Sucræ & Chiuppæ , quum captiuos socios ita male accipi à Gubernatore intelligunt, mapalibus ignem iniiciunt, frugiferas arbores fruticésque cædunt, fruges & grana è campis in tuta loca deferunt, & vastatis agris ut hosti solitudinē facerent, in montes perfugiunt.

In hoc rerum statu, Gubernator, et si morbo aliquantum impediretur, nihil tamen propterea intermittere quominus alterum Cacicū, qui adhuc in vinculis supererat, flagitando vrgeret, dictitans se ab illo certam auri sumimam expectare. Sed quamvis illum diu multūmque omnibus machinis oppugnasset, minareturque s̄pē numero se occisurum, ni ab eo aurum acciperet, Cacus tamen quum sibi aurum non esse affirmasset, in eo ad extremum usque constanter perseuerauit. Tandem Gubernator ita incensus, nisi aurum adferri sibi mature procuraret, raptari se illum & canibus obiici iussurum, aperte denunciat. Ad hæc Cacus intrepidè, Mirari se ait, Gubernatorem adeo vaniloquum & mendacem: quando toties cædem ipsi minatus, re ipsa nondum patrasset. Sibi quidem mori optabilius esse, quam ita vinculis anxiam vitam trahere. Se fidei eius credentem, vltro in potestatem eius venisse, quum ab eo comiter se acceptum iri, nihil verò minus quam ita fœdere cruciari,

*Auaritia
ne malis
quidem
minuitur.*

*Ingenuæ
& magnanimitati
liber
tatis in
Barbaro
exemplū.*

posse imaginari quod genus hominum Christiani isti essent, qui tot ac tam nefanda scelerata per omnia quæcumque adiissent loca ederent: mirari se, quomodo tellus adeo patienter tam immanes belluas alere & ferre sustineret. His verbis Gubernator percussus, & ab ingenti iracundia defixus in silentium, nihil respondit nisi, Iure captum illum à se custodia attineri, ut sublato sale & melle, furti compertum,



Did. Gottiere rebus parum ex roto fluentibus, paulatim contabescit. A Barbaris interficitur. Indus equitatus formidabilis.

C A P. X I I.

NT E R has rerum vices Gubernator sex Indos scapham ad mare misserat ad quendam suum clientem, ut ab eo ballistas, clypeos, aliisque sarcinas acceptas adueherent. Illi rebus omnibus acceptis & scaphæ impositis, cursum auertunt, neque postea aut visi, aut de iis nuntius ullus ad Gubernatorem allatus est. Ipse scapha amissa, Cacicis fuga ereptis myoparone non remeante, quum etiam penuria comeatus maior pars militum fugam spectaret, anxius mœrore & tristitia contabescebat. Postremò quum nihil iam

Indi roties ab Hispanis decepti, eos aliquando fallunt.

melioris spei aut remedij supereriset, velut amens & consilij inops in mediterranea progredi statuit. Itaque quum militibus iter prouinciari iussisset, & quidquid frugum supererat quod exiguum erat, inter omnes diuisisset, infirmos & ægros ad mare dimisit, ac cum iis vnum ex domesticis suis, qui Alphonsum Pisanum moneret, ut simulac ad portum myoparone applicuisset, ipsum sequi maturaret. Se verò, ut ille præeuntem vestigiis confessari posset, crucibus per interualla dispositis itinera signaturum.

I A M verò omnibus ad expeditionem accinctis, Cacicus vbi intellexit se cum aliis suis Indis & impedimentorum parte à Gubernatore abduci onustum ludibrio atque ostentui: tantum ex ea re mœrorem animo accepit, ut puerilem in modum crebros gemitus & planctus ederet. Tandem à Gubernatore pretium pro libertate paciscens, si solueretur, intra quatriduum magnam auri copiam pollicetur. Gubernator ei libenter vincula excisisset, nisi à familiaribus quibusdam prohibitus esset: quum illi dicerent eum ab Indo deludi & pollicitationibus vanis lactari: ac si quatuor præterea dies discessum differret, commeatus ad iter defore. Semper illi fore sui redimendi copiam, in præsentia verò præstare expeditos milites, hac ipsa nocte ad diripiendum eius populum mittere, quam promissorum eius fidem opperiri. quippe ita & alimenta exercitui prouisurum, & Indicamancipia

inancipia immitteris apta capturam. Id con-
siliū Gubernatori displicuit, metuenti vide-
licet ne Hispani, si quos mitteret, eo deserto
aufugerent.

ERGO iter ingredimur, vixque ē taberna-
culis egressi eramus quum præfigiens ego,
quid nobis tandem fieret, Hispanum quen-
dam his verbis affatus sum : Nos ad lanie-
nam proficiemur. Ille verò mihi respon-
dens : Tu, inquit, vñus eorum es, qui vole-
bamus isti vel inuito Principatum vnum ac-
quirere. Quim quinque aut sex dierum iter
emensi per silvas & montes essemus, nullo
humani cultus vestigio nec tugurio reperto:
atque inter ceteros montem vnum superasse-
mus xv. millia pass. admodum in altitudinem,
in descensu abruptum, adeo ini quis & arre-
ctis saxis, vt virgulta & radices arborum cir-
cā eminentes sēpe retinere necesse esset, ne
fallente instabili gradu in præceps deuoluere-
mur: tandem ad ingentem amnem perueni-
mus, & ad eius ripam casas aliquot desertas
inuenimus, quas venatoribus hospitium præ-
bere consueisse, repertis intus ossibus & ca-
pitibus ceruorum, tigrium aliorūque ani-
malium, coniecumus. Ibi Gubernator biduum
moratus, ac reperta magna copia eorum fru-
ctuum quos vulgo Mamei vocant, & propter
exiguum flumen multis eiusmodi radicibus
quales sunt in Hispaniola ex, ex quibus confi-
citur secundarius ille panis quem Cazabi vo-
cant: optimi tamen illi saporis & quæ sub
prunis incoctæ stomachum non læderent:

De hoc

fructu su-
prā pag.
125.

his, inquam, alimentis repertis strenuè famem expulimus.

V L T E R I V S progressi, post triduum in biuum incidimus: quumque Gubernator in eo viarum diuortio hæreret vtram eligeret dubius, Indum vnum ex iis quos secum capti-
Indi in ter
mētis mo-
xi quām
suos pro-
dere ma-
lunt. uos ducebat interrogat, Vtra certius rectiusq; ad aliquem Indorum pagum ferret. Is quum se nescire respondisset, Gubernator eum ab *Æthiopicis* suis mancipiis abstrahi ad capitale supplicium iubet. Illi eum, vt erat imperatum, iugulant, dicendo, Malos homines hunc in modum tractari. Quum idem à Cacico percontatus esset, dixissetque & ille se nescire, ab *Æthiopibus* corripi hominem, & alterius exemplo interfici iubet. Ille vbi eos tendere ad se videt, deposito quod ferebat onere, caput mirabili cum tolerantia ad mortem inclinat. Barbari hominis constantia vietus Gubernator, pœnam ei se remittere & vitam concedere dixit.

E o loco tres Hispani fame adeo debilitati ut stare non possent, relieti, postea ab Indis trucidati sunt. Sub eius diei vesperam Gubernator animaduerso nobis nihil ad vescendum superesse, quum eorum alimentorum quæ ipse reliqua haberet, nihil cuiquam impertiri vellet, canes mactari & inter omnes diuidi iubet. Ego tamen partem meam paulo post alteri dedi, quod ex illis carnibus vermes efferuescerent. Inde Gubernatorem adij, sperans fore ut aliquid ab eo obtinere: sed

me vesci iussit. Itaque Hispanus quidam eo
responso cum aliis auditio, Domine Guber- Hisp. mili-
nator, inquit, quando prosperæ & aduersæ tis libera
fortunæ sortem nobiscum subire non vis, so- vox.
lus bellum gerito. His verbis Gubernator,
simul Tribunorum precibus pernotatus, etsi
malè libenter, casei trilibreim quadram in tri-
ginta quatuor partes dissectam inter omnes
distribuit: ita vesperam illam vtcunque trans-
egimus.

E A D E M illa nocte Gubernator coquo ^{Fames fa-}
suo mandauerat vt frustum vnum suillæ carnis
coqueret: quumque excubiarum agendarum
circa gallicinium meæ vices essent, illac for- gax.
tè præteriens, ad ignem accedo: vbi quum
dormientes omnes & sopitos offendissem, ar-
reptum confestim lignum cultello exacuo,
demersumque in ollam veruculum illud li-
gneum in suillam defigo: extraho, & in pe-
ram meam recondo. Mox ad stationem meam
& vigilias reuertor, multo lætior quam si
in ingentem aliquem thesaurum incidissem.
Gubernator vt rescivit, quamquam admodum
iratus, nihil tamen grauius eloquutus
est quam, Scilicet id tempus esse ollæ sine
custodia relinquendæ: ego verò valedicens
radicibus arborum, suillam comedi, etsi paulo
falsior esset.

B I D V O inde quuin ad syluam quandam
peruenissemus, in ipso ingressu Indum re-
pente conspicimus ponè arborem stantem.

Speculator is erat, qui simul ut nos animaduertit, mirabili pedum perniciitate ceruum æquans, ad prouinciæ regulum aduentum nostrum significatum abiit. Itaque sequentis diei summo mane Indorum agmen repente in nos ingruit. Forte Gubernator illa hora naturæ Hisp. In-
dos vexā-
tium PRÆ-
MIL. requisi is parens, ab ea parte erat quæ hostes aduenere: itaque primus ab illis imperfectus est. Ili factō vltterius gradu, horrendis cum clamoribus, simul tēribili strepitu buccinis & tympanis excitatō, omnes purpureo & nigro distincti corpora, pennisque coruscantibus insignes, & monilibus ac torquibus colla circumdati (qui mos bella ineuntibus Indis est) tumultuosè in nos erumpunt.

Ego quum ensem & clypeum arripere vellem, ad galeam cuiusdam commilitonis mei offendī, quam sub foliis latenter ille accipere non meminerat: eam casu ita repartam capiti meo impono: atque eius quidem præsidio, per Dei gratiam, illius prælij discrimini ereptus sum. Quum enim nos Indi lapidum nimbo obruerent, eam galeam crebris iictibus adeo signarunt, ut fabrili malleo contusam diceres. Quum vtrinque semiquadrantis horæ spatio æquo ferè marте pugnatum esset, tādem multis imperfectis Indis, ceteri terga vertēre. Sed quum recentes alij subsidio fessis venirent, nouus de integro labos nobis obiici: & non strūm magna pars inedia magis quām prælij labore confecti, furentiūmque hostium tantæ multitudini impares, brcui saxis sudibūsque mactati,

transuerberati sunt. Ipse quum Tribuni nostri lateri hærens, eum saxe percussum extra siluam & moribundum ad terram collabentem vidisse, iam solus post arborem delitui. Ibi quum recenti clade confusus & consilij planè inops starem, duo Hispani cruore oppleti ad me veniunt, &, Quid hīc facis Mediolane, aiunt: quādo nostri omnes occubuerunt, quin iter quā venimus retexentes vitæ nostræ consulimus? Progredior ipse & alij, ac per medium vigintiquinque amplius Indorum agmē crumpimus. Omnes ij reguli aut primores erant, quibus lancea tātū in manu erat, amictus nodo ex humeris dependens: corpora, ut ceteris, nullis coloribus picta. Eorum vnum tellum mihi in guttur adigit: sed irrito iectu ob thoracem bombyce suffultum quo indutus eram. Tandem cuadimus, nec procul inde in vertice montis sacerdotem nostrum reperimus, qui eò cum duobus militibus sub initium pugnæ aufugerat.

D V A B V S inde pōst horis Alphonsum Pisaniū trib. mil. obuium habemus, qui cum vigintiquatuor Hispanis Gubernatorem vestigiis persequebatur. Inter hēc amplius centum Indi nec opinātibus nobis superueniunt, gladiis, clypeis & ballistis, quas nostris eripuerant, armati: circumfusique saltando ac tripudiando ex iis nonnulli Hispanica lingua clamabant, Accipe aurum, Christiane, accipe aurum. Vbi tamen nos haud spernendo numero esse viderunt, terga vertere.

Indi Hispanis aua
ritiam exprobrant.

Nos inde intolerandis cum laboribus & periculis vix tandem ad mare eremus: duo illi Hispani, qui mecum prælio excesserant, quum propter vulnera viæ laborem ferre non possent, fessi ad radices montis cuiusdam substitere. Venere postea duo adolescentes, qui in iis siluis, ubi prælium commissum fuerat, tamdiu delituerant, donec Indi abiissent. Egressi referebant se rei præsentis intuitu compertisse, Indos caput, pedes & manus Gubernatoris truncatas, simûlque duorum Æthiopum, extulisse, ceteros spoliatos nudatosque in præterlabens illac fluentum abiecisse: atque omnes manubias & spolia legisse præter saponem & oleū. E nostris xxxiiii. Hispani & duo Æthiopes cecidere, sex tantum superfuimus: ex hostib. multò plures cæsi sunt. Quatuor fermè millia Indorum erant in acie, quantum æstimari potuit: ignavi tamen illi & timidi adeo, ut si quatuor tantum equos habuissimus, nunquam nos illi aggredi ausi essent.

*Hisp. de
Indis vi-
ctoriæ, e-
quis ma-
gis quām
ipsis de-
bentur.*

Indi enim ferocissimum illud animal vehementius formidant quām omnia Hispanorum arma: neque illud occultum habent, imò palam dicunt, non Christianorum virtute, nō armis, tormentis, hastis, gladiis aut ballistis, se viētos & subactos esse, sed equorum ferocia & furore perterritos. Idque adeo experientia ipsa & præsens rerum effectus docet. Quæcumque enim loca pedestres adiere Hispani, quō equi penetrare non potuerunt, in iis semper ab Indis vieti sunt. In Mexico quidē, quū primū ea prouincia ab Hispanis tentata est, hominē equo

equo insidente vnicum & indiscretum animal esse Indi vulgo credebant.

I N D I S Occid. usque adeo formidabiles sunt equi, ut & molossi, cum videlicet metuant ne ab illis vorentur, ut mille eorum pedites à tribus equitibus in fugā vertātur. Relat. Nun. Gusmam. sect. 7. Vide sup. lib. I. cap. 24. Itaque multo post occupatam à Ferdinando Cortesio Mexicanam prouinciam, Barbari quum præterēentes illac Hispanos equites honorifice exciperent, cum maximam curandis eorum equis diligentiam studiūmq; adhibebant. Primum enim, ingenti hydria plena aquae equo adposita, nō vulgari pabulo, sed Mai-zio cum viridi tum sicco implebant præsepe: mox equili multa herba constrato, rosas desuper & alios flores spargebant: idque non tam beneuolentia quam metu, quem iam inde ab initio conceperant, quum à Cortesio domiti ingum accipere coa-eti fuerant: cuius rei ipsi precipuam causam equis magis quam Hispanis tribuerent.



Hippani quo consilio expeditiones in Indianam suscepint.

Ferdi. Sotti & Pamph. Naruaeꝝ infastē expeditiones.

Ferdi. Cortesij in Mexicanos sœnitia & perfidia.

C A P. X I I I.

IAM ex iis quę diximus colligere pos-sunt Lectores quo animo consiliove Indicas eas gētes subactas Hisp. sub imperium egerint. Etsi enim ferè in Historiis quas edidere, virtutes suas laudibus in cælū ferāt scribántq; se assiduè in illis terris pro Chri-stiana fide pugnasse: res tamen ipsa perspicuè

demonstrat eos, in illis maximè prouinciis, sola auaritia incensos tot expeditiones & bella suscepisse. Id verum esse argumento est Praefectorum & Gubernatorum, qui cò traiecerunt, varietas. Vbicunque enim aurum & opes non inuenere, ibi morari noluerunt. Eius rei exempla aliquot afferam.

Ant. Sede- PRIMVM Antonius Sedegnus sinum Pa-
gni expe- riensem inuectus cum amplius septingentis
ditio infau- Hispanis, & auri famam sequutus, postquam
Qua. diuersas prouincias per triennium peragua-
tus, diuitias pro spe ac cupiditate sua non re-
perit, ibi habitare noluit. Ad extremū aduer-
sa valetudine correptus, breui desperatione
magis quā mōrbo extinctus est: & ex tanto
militum numero quos secum circumduxerat
quinquaginta quinque tantū ad sinum re-
gressi sunt.

Ferd. Sotti FERDINANDVS Sottus cum quingen-
in Floridā tis Hispanis in Floridam cum imperio & Gu-
expeditio. bernatoris titulo missus est. Hæc prouincia à
Ioanne Pontio Legionensi primū inuenta
erat: eoque nomine ab eo insignita, quod eò
Resurrectionis die appulisset, quem vulgo
Pascha floridum appellant. At Sottus simul
vt prouinciam attigit, per varia loca discur-
rere, & incertis vagari sedibus, quum pro cer-
to haberet se ingentes gazas & thesauros re-
perturum. Ita oberranti quum aliquot Indi
aureis fortè bullis redimiti, occurrisse, sci-
ficatūisque esset vnde aurum sumerent: re-
sponderunt illi se ex longinquis regionibus
petere. Ille ratus eos ita dicere vt eum finibus
suis

suis arcerent, iam satis gnaros quid Christiani per eas oras quæsitum irent: cruciare aliquos cœpit, & tormentis fateri subigere vbinam aurariæ essent. Inter alia fæuitiæ exempla ab eo edita hoc vnum insigne est. Quindecim Cacicos captos iam in potestate habebat: nisi locum vnde aurum sumerent, indicarent, minatur se omnes crematurum: miseri illi metu mortis oblato consternati, securi de facilitate credentis: nec quid dicerent satis scientes, promittunt se intra octiduum in eum locum deducturos vnde aurum magna copia sumeret. Iam duodecim dierum iter peregerant, nec ullum auri vestigium aut indicium exstabat. Itaque elusus Gubernator & multum indignatus, truncatos manibus dimittit.

H A V D ita multo post quum unus ex principibus eius prouinciae regulis ad Gubernatorem visendum venisset, inunera ei Psittacos duos & cristas pennatas afferens, sciscitatus ex eo est, quis esset, vnde domo, quidve quærens venisset in eas terras, tot ac tam fœda facinora perpetrans. Gubernator per interpres responderet, id quod ferè alij omnes duces & Præfecti, Se Christianum esse, Filium Dei, creatoris cœli & terræ: venisse eò ut diuinæ ipsius legis notitia eas gentes imbueret. Ad hæc Regulus: Si Deus tuus (inquit) iubet vt alienas terras latrocinando, vrendo, trucidando, nec ullum sceleris genus prætermittendo, perambules, tibi in naturè denunciamus, fieri non posse vt vel ei vel ipsius legi credamus. Hoc tesponso repercuttus Gubernator abiit, & modò in hanc modò in eam partem errans,

Auraria
eradeli
exempli

Indi à
Christ. re-
ligione ob-
Hispano-
rum scele-
ra abhor-
rent.

Auaritiae
merces.

spe ditissimæ alicuius fodinæ reperiendæ omisso condendæ coloniæ cura, quinto demum anno sanguinis profluvio periit. Ita miser vitam pariter & auri sitim amisit, & quidquid è regia Attabalipæ Peruani principis gaza manubiarum collegerat.

PAMPHILVS Narvaez cum sexcentis Hispanis ad fluuium Palmarum tendens (qui in eadem Floridæ ora, centum millibus pass. septentrionalior Panuco est) cum dimidia parte exercitus in littus ignotum egressus: postquam aliò se appulsum, periti alicuius naucleri penuria, quam quò sperabat, intellexit, neque ibi ullū auri specimen inuenit: Coloniā instuere neglexit. Interea quū ad vestigandū fluuium Palmarum naues & alterā militum partem misisset, ingenti infortunio iectus est. Naues tempestate ad prominentia littorum elise: Hispani propè omnes hausti fluctibus: pauci aliquot ciecti in littus, aliquot annos per eas horas latitabundi oberrarunt. Ad extreum; duodecimi ex iis fame in rabiem versi, alij alios morsu dilacerarunt. Denique è sexcentis illis Hispanis quos duxerat, vix decem reduces annotati sunt. Isti quum Mexicum peruenissent, publicè dicebant se in ægrorum tantum ora insufflantes, plurimos sanasse, &, quod maius, tres mortuos reuocasse ad vitā. Sed mihi, quæso, ignoscat eorum sanctitas: ego facilius crediderim necatos ab illis quatuor viuos quam vel dimidium mortuum fuscitatum.

I AM quid dicemus de Ferdinando Cortesio? qui quum nouam Hispaniam subigeret,

vbi

Hisp. mor-
tuos à se
in India
fuscitatos
vendant.

vbi Mexicum regis ipsius Montezumę sponte
ac volūtate ingressus est : atque inde frangen- Fer. Cortes
dis Pamphili Narvaez conatibus obuiā ire ne- si perfidia
cessē haberet (qui cum nongentis Hispanis in suos, se-
ad Veræ-crucis coloniam appulerat : 5 Didaci
Velasquis Cubæ insulę præfecti missu & man- uitia in
dato, vt eum oppriimeret vel expelleret è pro- Barbatos
uincia , quòd Velasqui rerum à se ipsius auspi-
ciis gestarum & nuper inuentæ oræ rationem
non reddidisset , vt legatum par erat à summo
Præfecto ad eam ipsam rem suscipiendam
missum) quuum , inquam , ipsam Cortesium
Pamphilo aduentanti occurrere oporteret ,
Mexico egrediens Petro Aluarado trib. mil.
cum ducentis & quinquaginta Hispanis præ-
sidiū ciuitatis & collectarum manubriarum
custodiam committit .

Quod vix fortè incidisset , vt plures Indi &
plebeiis permisti nobiles , festo quodam in ipsis
die , canentes carmina cum tripudiis & sollenni
saltatu per urbem irent , accurrunt ad pompæ
celebris spectaculum Hispani . Ibi simulac au-
ro & variis monilibus fulgentes ciues conspi-
cati sunt , victi effreni avaritia milites , victus
& ipse Aluaradus , pudore omni pessundato ,
hostili rabie in pompam irruunt & turbam in-
ermem promiscue cædentes , multis vulnera- Impuden-
tis , multis interfectis , omnes omnibus illis or- tis & ef-
frenis aua-
namentis spoliant . Sed mox ab Indis tam in- ritiaz exé-
digno facinore ad rebellionem & vltionē ac- plum .
cēsis , maxima pars eorum Hispanorū cesa est .

Hic parum letus nuncius ad Cortesiū allat-
cus , eum , debellato Pamphilo , Mexicū properè

Auaritia
 Hisp. ab
 Indis elu-
 sa.

 reuerti coegit: vnde breui, non sine maxima Hispanorum clade, ab Indis electus est. Illi postquam Montezumam regem ipsi suum, qui Cortesij partes fouebat, lapide grauiter i-
 Etum interfecissent, regē alium nomine Qual-
 timoc creant. Cortesius postea multis exhau-
 stis laboribus, multisque subactis populis, no-
 uo Hispanorum subsidio auctus, & ingens In-
 dorum agmen secum trahens, Mexicum obsi-
 dione cingit, & tertio demum mense vrbe po-
 titur. Eminebat inter cetera, summa militum
 alacritas, pro certo habentium se ingentibus
 thesauris diutinam auri famem abundē exple-
 tueros. Sed hiantes eorum cupiditates Barbari
 elufere. Illi enim omne aurum argentūque
 ex publico priuatōque collatum, desperata
 vrbis tutela, in lacum, in quo vrbs sita est, pro-
 iecerant. Itaque Hispani spe irrita confusi &
 frendentes, plerosque ciuium, ira in rabiem
 versa, torquere crudeliter incipiunt, subinde
 quārentes vbinam aurum esset. Sed illos, non
 verbera, non ignes (quamquam multi inter
 dolores expirarent, aut dissolutis membris
 mutilarentur) periclitare quin constanter se
 scire negarent.

C O R T E S I V S ipse, nihil auri argentīve
 ac ceterarum rerum quas vrbe excedens reli-
 querat comparēre vehementer miratus: nec
 ipsam adeò regiam Montezumę gazam, quam
 ingentem esse fama tulerat, nec quæ ad orna-
 tum templorum & cultum deorum dicata
 fulserant: postquam ea vbi essent, nulla vi ex-
 primi à plebeis nobilibusve indigenarū posse
 comperit

comperit: Regem ipsum & Regium scribam
corripi ratūsque impares dolori aliquid de
thesauris certius fasturos tormentis subiici iu-
bet. Sed illi quoque tortorum manus constan-
tia fatigauere, nec quidquam ab iis extorqueri
potuit: donec ipse Scriba, quum lento igni am-
bureretur, Christianorum fæuitiam increpans,
miserabili cum gemitu sex intra horas vitam
inter cruciatus finiret.

CORTESIUS quum regem quoque ipsum
obstinato animo & superante patientia dolo-
res mortem potius oppetitum quām quid-
quam proditum cerneret, tormenta remo-
ueri iussit. Verūm haud ita multo pōst, quum
catenis onustum per varias prouincias aliquā-
diu velut ad spectaculum circumduxisset, ei la-
queo gulam frangi iussit. Proditum fama est
indicio Indi cuiusdam atque accusatum, clam
sollicitasse regulos quosdam ut manu facta
Cortesium & Hispanos omnes nec opinantes
trucidarent. Tradunt alij Cortesium ut se eius
custodiendi sollicitudine liberaret, iussisse in-
terimi: quūmque is apud Cortesium tanti cri-
minis argueretur, ille reum læsæ regiæ maie-
statis videri eum dixit & iudicauit, quòd suos
ad cædem ipsius atque Hispanorum clancu-
lum conciuisset. De tormentis verò sic apud
eum excusauit, id nimirum à se præter morem
ac naturam suam, Quæstorum regiorum po-
stulatu, factum, quòd intellexisset ei cognitum
esse ubi Montezumæ gaza asseruaretur. Et
Quæstor ipse regius qui aderat, adiecit, Id non
à se alio consilio factum quām ut regia vecti-

Indi con-
stater mo-
ri malunt
quām His-
panitiam
explere.

Perfidia
Cortesij
fæuitia &
ludibriis
cumulata.

galia augeret.

I A M , vtrum hæc quæ nunc edidi & innumerā ciusmodi alia quæ à me proferri possunt, sint hominum pro fide Christiana pugnantium officia & facinora, an non, nemo adeo hebes est quin facillimè iudicet.

1 FLORIDAM primus inuenit Joannes Pontius Legionēsis, eāmque hoc nomine insignem fecit. De cuius expeditione vide infir. in nostro *De Gallorum in Floridam navigatione libello*, cap. I.

2 Pamph. Naruaet, is est quem Didacus Velasquez, Cubæ præfetus, cum nongentis circiter Hispanis in nouam Hispaniam misit, ut inde Cortesium vel vinum vel mortuum expelleret. Anno M.D.XX. Sed is ut prouinciam attigit, fallacibus verbis à Cortesio circumuentus, & præter spem in Cempoala urbe captus, dum resisteret ac se manu defenderet, alterum oculum, & mox exercitum, amisit. Diu in custodia habitus, ac tandem liberatus, anno M.D.XXVII. ad Fluuij palmarum prouinciam expeditionem instituit, infelici exitu.

3 Fortè in ea ora adeo fœda tempestas & intoleranda vis frigoris inciderat, ut Indi quibus Hispani ad radices eruendas & piscandum vtebantur, cibaria expedire non possent. Itaque Hispani fame ad tantas angustias redigi, ut quinque eorum in Xamo eius oræ littore, consumptis omnibus alimentis alijs alios manderent. Neque ex ijs ullus, præter unū superfuit, cùm nō haberet à quo manderetur. Digni visi scriptoribus quorū nomina proderentur: Sierra, Didacus Lopez, Gonzal- lius Ruiz, Corral & Palacios: quamquam, ut tam horren-

horrendum nefas premat Gomara, suo more, ab ipsis Indis comedtos scripsiterit. Eo quidem adeò conturbatos offensosque ipsos Barbaros fuisse constat, ut si id mature cognouissent, quotquot ibi erant Hispanorum cæde tam execrabilis facinus expiaturi fuerint. Relat. Aluar. Nun.

4 Id scribit de seipso Aluarus Nunez in sua Relatione: Indum videlicet quendam, quem multis signis verè mortuum esse constaret, ab se & socijs suscitatum. Tenes autorem fides esto.

5 Didacus Velasquez, Cuba Gubernator, Ferdinandum Cortesium ad nouam Hispaniam, à Grisalua nepote suo nuper repartam, occupandam miserat. Cortesius, iam continentis parte subacta, munieris sibi commissi Velasqui rationem reddere neglexit: sed rectâ ad Cæsarem Relationem seu Commentarium prouinciae repartæ & rerum ab se gestarum cum multis & pretiosis munieribus misit. Id ubi renunciatum Velasqui, Cor-
tesio perduellionis damnato, magistratum abrogat, & Naruaen ad eum prouincia expellendum mittit.

* *

*

○ ij



¶ Oua Crocodilorum edulia. Iguānae lacertarū genus. Manati pisces. Suerensium mores. Animal gemino vtero insigne. Vespertilionum dirum genus.

C A P. X I I I.

CARTHAGINEM nouam redeo, unde in hæc oratio diuerterat. Postquam ad mare, eo quo suprà dixi modo, peruenimus, ibi nos aliquot dies aduersa tempestas & tumidum mare detinuit. Sed dum ibi moramur, parua res sed iucunda auditu, mihi cum milite quodam intercessit. Ille canem fortè ad mare relictum quum Gubernatorem in mediterranea progradientem sequeremur, inedia subactus manauerat: quimque eius partem igni torruisset, me ad prandium inuitauit, quod ipsi de quadra casei (quam ab Alphonso Pisano trib. mil. emeram) defecetam particulam liberaliter paulo antè clargitus eram. Sed quum accubuisse, eoque cibo ita iucundè vescerer, vt Fames pu-
dore ca-
ret. nihil unquam suauius edisse viderer in vita, ille repente quæ ante me posita erant tollere „ & dicere, Frater mi, tu nimiùm comedis: ego „ vetulus sum & infirmus, tu iuuenis & ætate „ integra. Abi hinc, fodes: oh nolo te meo ca- „ nc ulterius vesci. Hic ego, quamquam non sa- „ tis æquo animo, patienter tamen demissis au- „ riculis abij.

TRANQVILLATO tandem mari soluimus, & ad emissarium Nicaraguensis lacus vela fecimus,

mus, ibi Lusitanū quendā affequuturi (Francisco Calato nomen erat) quem Gubernator noster ob acceptos ab eo mutuò ter mille & quingentos ducatos aureos, legatum suum & Proprætorem designauerat. Sed per contrarios ventos, qui ad Nomen-dei nauigantibus afflabant, ibi vltra bimestre spatiū sum- oua Cro-
mis omnium rerum angustiis & fame obfessi codilorū.
substitimus: ac nisi oua Crocodilorum nobis summa copia suppeditassent, quæ ad ea littora in arenis reperiebamus, certè maxima pars nostrum inedia miserè cōtabuisset. Ea oua, anserum ouis magnitudine paria, si saxis alli-
dantur, cōtunduntur quidem, nec tamen fran-
guntur. Itaque cultello ea recludi necesse est.
Sapor eorum qualis muschi semiputridi, &
principiò quum ab eorum esu abhorrerem,
necessitas & penuria me ad aliorum exem-
plum imitandum adegit.

A N I M A L I V M præterea genus quoddam Iguanna,
quadrupes venabamur. ¹ *Iguannas* vocant, la-
certulis nostris forma haud absimiles: quibus palea quedam è mento velut barba dependet,
vertice etiam capitinis crista, instar gallinaceæ,
insigni: in dorso eminentes pinnas quasdam,
velut spinas, subrigunt. Fœminæ masculis
præstant: oua earum carnium saporem vin-
cunt: & ancipiti victu non magis terræ quam
aque afflueuerunt.

. IN Nicraguensis lacus alueo multi &
grandes pisces sunt: in iis vnum eorum genus Manati
qui ab Hispaniolæ indigenis vulgo ² *Manati* Pisces.
appellantur. Neque enim dicere possim quo

nominē eum notent cius quondam loci accōlæ Indi : omnes enim propter nefandas iniurias quas ab Hispanis perpetibantur, in vicinas silvas se abdiderunt. Hic pīscis Lutræ propè formā referēs, x x x v. pedes longus. x ii. crassus est: capite & cauda bouem referēs: exiguis oculis, pelle dura & pilosa, coloris veneti, pedes duos elephantinis similes habet: fœminæ eius generis, vt vaccæ, catulos pariunt, eosque gemino vberē alunt. Eorum pīscium aliquot ipse vidi in perexiguis quibusdam insulis, tum etiani in carectis ingentis huius fluuij: in vrbe verò Nominis-dei sāpe eorū carnisbus vsus sum, salitis videlicet: earum sapor vt

Gomara
Hist. nat. lib. i. cap. 31. suillæ est. Scribunt nonnulli carnem eius pīscis gustu vitulinę quā simillimā esse, vnde è duobus alterum existere necesse esse colligo, nempe aut Hispanum istum eam carnē tam auidè appetuisse vt multò suauior quām esset videtur: aut certè vitulinam nunquam degustasse.

Suerens.
sū mores. Q u o d ad mores Suerensium Indorum attinet, à supradictis parum differunt, nisi quod humana carne non vescuntur: eorum lingua discētibus facilis. Terram *Ischa*: homines *Cici*: morbum *Stasa*: aurum *Chiaruchla* vocant. In ea prouincia aprorum montanorū, & ferocissimorum tigrium ingens copia reperitur: leones etiam, sed timidi, qui viso homine fugiūt. Serpētibus quoque abūdat inusitatę magnitudinis, sed veneno parentibus: & cercopithecis.

Cascuij a.
animal. Aliud quoque ibi est animal (quod ab indigenis *Cascuij* dicitur) nigri porci specie, pilosum, durissimo corio, exiguis oculis, aribus

bus patulis, vngulis fissis, breui promusclide munitum, vt elephas: baritu adeo terribili, vt homines obsurdefaciat: ceterum carne ad esum suaui.

PRODIGIOSVM præterea ibi aliud animal viuit, cuius ventri natura alterum ventrem marsupij instar affinxit. quoties demigrat, catulos in eum loculum recondit & gestat. Id animal corpus & rostrum vulpis: manus ac pedes cercopitheci: aures vespertilio-nis habet. Ibi etiam pauones, phasiani, perdi-ces & alia avium genera varia visuntur, sed longè à nostris discepantia.

VE SPERTILIONVM quoque dirum genus eam prouinciam infestat, qui noctu dormientium corpora morsu appetunt & rostro pertundunt: neque usquam alibi per omnem eam oram quam longè patet usque ad sinum Pariensem, infestiores sunt eae volucres quam in ea prouincia. Mihi quidem aliquibus eius orae locis, nomine-dei præsertim usuerit, ut eiuscmodi striges nocturnæ dormientis pedum digitos adeo leniter pungerent ut nihil persentiscerem: manè vero culcitram & toralia sanguine fœdata perinde mirarer ut si ingēs aliquod vulnus accepissem: sed in hac prouincia nunquam me rostris fodérunt, quin sensu vulneris excitarer, & duabus tribusue post horis grauiter ex plaga dolerem. Quintiam alis saepe ora euerberantes, si pedibus calceatis quiescerem, manus ipsas rostro feriebat. Itaq; quū arcæ illi pesti nullā cōmodiorē opere reperire, parata seper in cubili ligamēta

Animal
geminō
vtero insi-
gne.

Vesperti-
liones dis-
si-

& fascias vulneribus habebam: & simulac rostrum desigi in me senseram, vulneratum locum fascia inuoluebam: is nullo præterea adhibito remedio, triduo aut quatriduo sanabatur. Atque hæc haec tenus de Didaci Gottieris gubernatione.

1 I G V A N N A seu Iuanna, commune terræ & aquis animal, non tantum immergit se fluuiis, sed etiam in arbores reput. Horribile visu, ijs qui eius naturam non norunt: sed adeo mite ac tacitum, ut nec stridet, nec ingemiscens, nec vinclum strepitum ullum aut clamorem edens, decem imò viginti dies, sine ullo cibo permaneat. Carne gustu & esu suauissima, ac propterea in delicis: nisi quod qui lue Indica laborarunt, si ea vescantur, recrudescentes & rebellates pristini morbi dolores sentiunt. Serrata ei in dorso pinna inest: cauda prælonga, in tenuitatem desinens, & implicans se viperinis orbibus. Oua quadragna aut quinquagena singulis fœtibus edit, rotunda & nucis crassitudine, luteo alboque intus varia qualia sunt gallinarum, eaque edulia: sed que in sartagine non oleo aut butyro, verum sola infusa aqua vice olei, frigatur. Lacerti specie habet hoc animal: itaque serpentibus annumeratur, sed innoxius. Quiedus Histor. natur. Indic. libro tertio decimo, capite tertio.

2 Manati pisces, ab Hispanis, sic in Hispaniola nuncupatus, quod pinnas ad caput & veluti binas manus habet. Animal id gemino in terris & aquis vicit, & amicum hominis, ut tali experimento patuit. Caramataxius Cacicus paruum

vnum quondam captū XXVI. annos in Guainabo lacus suis adibus vicino, velut in viuario, panis frā gmeiis aliuit. His affectis piscis adeo cicur evasit, ut Delphinis veterum scriptis celebratos vinceret. Nam quocūque diei tempore inclamatus ab reguli domesticis, Matto, Matto, (ea vox Indis magnificū aut generosum sonat) velut ad familiare signum ex imo aduolabat, pastusque ē manu præbebat ascensuro dorsum: adeò ut egressus in ripam pastum in aedes ventitaret, & cum pueris colluderet. Siqui forte animi gratia lacum transmittere vellent, decem nonnunquam dorso exceptos indefessus trāsuehebat. Et ludrico diu oblectati sūt Indi: donec iniuria fugatus, per aliquot dies hominum conspectu caruit. Quum enim Hispanus quidam, experiri volens an corio tam duro esset quam vulgo fama ferret, seu per lasciuia, iaculū in eum intorsit. Piscis etsi ab ictu imperfossus māsit, infestam tamen sensit cupidem: & ex eo simul ac barbaros homines aut vestitos more nostro ani maduerterat, frustra vocasse: nec vocatus, nec invocatus veniebat. Tandem quum forte Attribunicus fluius in insolitam altitudinem creuisset, & extra ripas effusus Guainabo lacui sese immiscuisset, eius alueum sequutus facetus ille & sociabilis Matto, mare & natales aquas repetiuit. Martyr Ocean. dec. 3. lib. 8.

3 De utroque hoc animali agit Petr. Mart. Ocean. decad. I. lib. 9.



Frac. Fernandis & Franc. Montegij in Iucatanam expeditiones. Iucatanensium de Hispanorum dominatu querelæ. Fondurenſis prouinciae desolatio, & indigenarum implacabile aduersus Hispanos odium.

C A P. X V.

Nos è Nicaraguēsis lacus alueo egredi, duabus præterea comitati cœociibus, quæ è Nicaragua onustæ commeatu decurrebant, decimoquinto die ad Nomen-dei appulimus. Ex ea ciuitate in occidētem nauigantibus & eam oram præterlegentibus, quæ tota deserta est, mille fermè milliarium spacio, prouincia Fondurenſis occurrit: & trecentis millibus vlerius, in eadem illa ipsa ora, Iucatana prouincia aperitur. Eam Hispanorum ducum primus reperit Franciscus Fernandez Cordubensis, qui vixdum in terram egressus, pessimè ab indigenis acceptus est. Ergo viginti duob. vulnerib. perfoſsus, & multis Hispanis amissis, ad Sā-Jacobū Cubæ metropolin ſpe irrita reuerſus est.

Non ita multo pōst, anno videlicet Fr. Monte
gij in Iu- M. D. x x v i i. Franciscus Montegius, audito-
catanā ex- Iucatanam ditissimam & quæſtuofissimam
peditio. esse prouinciam, è noua Hispania ſoluit, cum
titulo Gubernatoris. Is vbi primū suæ pro-
uinciae littus attigit, cum quingentis amplius
Hispanis, multis equis & copioso commeatu:
conuenere eò velut ad eum viſendum aliquot
Reguli. Illi quum amicitiam ipsius appetere
ſimula-

simularent, diu apud eum manserunt: donec occasione exsequendi facinoris oblata, eorum unus deroptū è latere armigeri Æthiopis acinacem in Gubernatorem strinxit: interfecissetque ni ille rapto properè ferro strenuè vim propulisset. illi nullo alio neque accepto neque illato damno ad suos sese proripiunt. Ab eo Gubernator instructa suorū acie, plurēsque in manus dispersa, Indos pluribus simul locis aggredi, & quæcūque caperet igni ferrōq; vastare. Indi quoque & ipsi fortiter pro focis pugnabant. Sed ad extreum, postquam continuis nouem annorum cladibus attriti, iam propè omnes regulos & duces amiserant, fractaque cum animis vires erant, tandem arbitrio & potestati Hispanorum semet permittunt. Itaque Montegius prouinciam perdomitam & pacatā, iuxta mandata regia, inter suos distribuit, & vnicuique eorum quorum ope Indos debellauerat, Indicæ vnius gentis ius ac ditionem assignat. Inde ad condendas colonias conuersus, Hispalim, Emeritam, Salmanticam & alias vrbes exstruit, quarum maxima vigintiquinque aut triginta fermè dominibus habitatur.

(His ita compositis, partim sua, partim militum opera, Gubernator quum fortè cum Cacico eius prouinciæ quodam congressus (Alquinotep is erat centū amplius ac decem annos vitæ egressus, qui tametsi baptisatus esset, saepe tamen crebris suspiriis & planctu testabatur quātum ex eo dolorem caperet quod patriam Hispanorū armis subactam cerneret)

Is ergo in familiari sermone cum Gubernatore
 re instituto: Montegi, inquit, quondam, me
 iuene, pestifera quadam lues has terras inua-
 sit adeo sœua vt vulgo homines incredibilem
 vim lumbricorum euomerent. atque eam ca-
 lamitatem tanta pestilentia exceptit, vt nemi-
 nem nostrum cladi superfuturum credere-
 mus. Præterea non multo ante aduentum
 natio In- tuum tempore, nos cum Mexicanis cruenta
 dis quauis alia cala- duo prælia commisimus, quibus amplius C.L.
 mitate gra millia hominum cecidere. Sed hæc leuia
 uior.

fuerunt præ intolerandis sœuitiæ & auaritiæ
 exemplis, quæ tu ac tui milites in nos edi-
 distis.

E A regio aspera & ferè saxosa est, fertilis
 tamen, & piscibus, fructibus Maizioque abun-
 dans. Humanis viëtimis litant, earum tamen
 carnibus non vescuntur: apud eos nullæ auri
 aut argenti fodinæ repertæ sunt: vulgo magna
 apum examina alunt: bombycis seu gossipij
 copiam habent: eo penulas sindonum aut lin-
 teorum instar texunt, & subuculas sine mani-
 cis. Id præcipuum vestigal patronis & princi-
 pibus suis pendunt: ciusque generis merces
 Hispani in Mexicum, Cubam insulam, Fon-
 durensem prouinciam, aliasque Indiæ regio-
 nes distrahendas dispertiunt.

Hispan. absuntis, aut exactis incolis ter ras inanes in India obtinent. P O R R O prouincia Fondurensis (vt pau-
 cis eam absoluam) quum primùm Hispano-
 rum armis tentata est, quadringentis amplius
 Indorum millibus habitabatur: quum verò
 ibi ego essem, vix octo mille supererant. Nam
 ab Hispanis partim cæsi in præliis, partim in
 serui-

seruitutem abducti & venditi , & intolerandis laboribus in fodinis exhauriendis consumti, & propè in solitudinem redacti sunt. Pauci quoque illi qui hodie supersunt (vt & ab aliis gentibus quæ Hispanis seruiunt ferè fit) vbi- cumque locum aliquem asperum, ad habitandum vtcunque commodum, inuenerunt , tametsi ægrè, eò trāfatis rebus suis omnes com- migrauere, vt Hispanorum declinato conspe- ctu quam minimum ipsis oculi doleant : tan- tam illi carum gentium gratiam & beneuo- lentiam sibi conciliarunt.

I N ea prouincia quinque coloniæ ab His- panis conditæ sunt, quæ omnes simul vix cen- tum & viginti domus continent , easque ma- ximam partem compactas arundinibus , sto- rea & palea coniectas , malèque & infrequen- ter habitatas , iam videlicet propè exinanitis aurifodinis, quæ colonos allicerent. Caput ea- rum Trugilium seu Turris-Iulia est , episco- patus sedes, colli modicò imposita, vicina ma- ri quâ Septentrionem spectat. Centum milli- bus inferiùs Portus est , quem vulgò Porto de Caualli appellant. Ab eo portu dici vnius iti- nere abest San-Petri ciuitas in plano sita, montibus vicino, nec procul inde flumen VI- lla , & lacus, in cuius medio tumuli quidam terrei , insularum instar , herbis & virgultis consiti , spirantium ventorum arbitrio modò huc modò illuc vagi & instabiles feruntur.

O C T O G I N T A millia pass. vltterius Co- maiaga & Gratia-dei occurrunt, duæ coloniæ à se inuicem amplius centum mill. interuallo

discretæ. Is ager frigore aliquantum temperatus, frumeti mediocriter ferax est. Inde pulcherrima & amoenissima, sed iam desolata, vallis Olanchiana sequitur : in qua Hispani San-iacobū urbem condiderūt. ea viginti circiter domus cāsq; malè habitatas cōpletebitur.

Hic ut legentium animis cogitandum subiiciam, quam æquis oculis ex gentes nos intueantur, hic rem quæ mihi cum Indis quibusdam interuenit, lubens refera. Comaiagua fortè comite uno Hispano egressus, ad modò dicta ciuitatē tendebam : iamque quatridui iter cōfeceramus, nullo humanæ habitationis aut cultus reperto vestigio : quum consumtis cibariis omnibus quæ ferebamus, ad exiguum quendam Indorum pagum peruenimus. Ibi Indi Christianos vt derestabiles, ab omni quamamicissimè fieri potest eos rogamus ut cōmeatu aliquo nos iuuarent : sed neque precebus, neque gratia, neque pecunia ab illis impetrari potuit, vt hospitaliter quidquā nobis faceret aut darent, sed diras imprecates nobis, quum etiam velut conspectum nostrum abominati in terram despuerent, vt abiremus denunciabant. Ita excepti, discessimus, & eadem die sub vesperam in urbem peruenimus. Vbi quum nullum diuersoriū esset, in ipsius coloniæ ingressu casam desertam nocti eò succedimus, & incœnati substratis pro cubili arundinibus ad capessiendam quietem vertimur.

Mos habebatur in illis regionibus (quo tempore Hispani pro arbitrio, vel potius sine arbitrio & ratione viuerent, priusquam Indis sua redditu Edicto esset libertas) Hispanos colonos

lonos triumphantes atque exultantes gaudio, quum videlicet perpetuam eam temporum ac rerum felicitatem sibi desponderent, obuiam vltro egressos viatorum aduētum opperiri: simūlque ut peregrinum aliquem aduentātem prospexerant, concurrere omnes ad eum certatim, & de eo excipiendo pugnare. Nemo erat quin eum comiter salutatum, sexcentis benevolentiae signis editis, in domum suam deducere & hospitio accipere cuperet. Nunc verò, longè alia rerū & hominum facies, quoniam non is est Indiæ status qui esse consueverat. Vbi aliquem peregrè venientem conspexerint, abdunt se in propinquas silvas: aut certè iubent dici, Se domi non esse.

Hisp. pri-
mò de 2-
steno libe-
rales, mo-
res cum
fortuna
mutant.

E N I M V E R O Hispanos quidem etiam reperias, non tantum in ea vrbe, sed & in plerisque aliis, qui quamquam clientes & vassallos sibi habeant subiectos, ad eas tamen angustias redacti sunt ut vix vel panem ad vescendum habeant. Quum enim Indi nullum vectigal pendant patronis & senioribus suis, nisi ex eorum rerum genere quas possident: si quis forte Hispanus populum suum cogere vellet, vt aliud aliquid præter ea pendat, aut subditos duriter haberet, ilico à Gubernatoribus, subditis illis suis & omni in eos iure priuaretur.

I D E M scribit *Gomara Histor. gen. lib. I. cap. 54.* nisi quod pro Alquinotep Alquinpechum vocat, & quidem eius pagi Antistitem, in quem postea ab Hispanis Emerita colonia deducta est. Porro pestifera eam luem, octoginta ante aduentum Hispanorum annis, per eas terras in homines

grassatam, tanta vi exundatibus lumbricis ut viscera ventrēmque ad exitum rumperent. Bella autem hæc quadraginta antè annis accidisse: atque ob id maxime leues illis eas calamitates vias prae Hispanorum imperio, quod eos ē suis finibus aliquando excessuros minimē sperarent.



Indus quidam mores Hispanorum depingit. Cur Hispani-
cum ingum Indi acceperint. Nicaraguensis prouincie
descriptio. Eius incolarum potus.

*Saltandi ratio, Mons
flammiuomus.*

C A P. X V I.

EGRESSIS ē prouincia Fonduren-
si, & ea via peragratis Chiulutecœ
fodinis, subit prouincia Nicaraguæ,
ad Australis Oceani oram versæ.

Eam regionem quum primū pregrinabun-
dus obij, apud vnum ē primoribus eius oræ
regulis in hospitio fui. Gonzallus is vocabatur,
annos iam septuaginta natus, & Hispanicam
linguam apprimē callens. Is matutino quo-
dama, quum ipsi fortè assiderem, defixis
in meum os oculis, his me verbis affatus est:

Indorum
de Hispa-
nis senten-
cia.
CHRISTIANE, quidnam rei sunt Christiani?
Flagitant Maizium, mel, bonibycem, penulam,
Indicam mulierem ad concubitum: aurum,
” argentū petunt. Christiani operari nolunt, lu-
dificatores sunt, aleatores, praui & blasphemati.
” Quum ad Misiam audiendam templū ineunt,
” de absentibus detrahunt: & alij aliis plagas &
vulnera

vulnera imponunt. Ad extremum eò euasit, vt
concluderet Christianos minimè esse bonos. Indi ex
His. malis
exemplis,
de omnib.
Christia-
nis iudi-
cant.

Quumque exceperissem, malos, non autem bo-
nos, ea facere: tum ille, Vbinam sunt illi boni?
inquit. quippe ipse quidem nondum vlos, ni-
si malos, cognoui.

T A N D E M finito ea de re sermone, scisci-
tari cœpi ex eo quomodo & quamobrē Chri-
stianos in suos fines ingredi passi essent. is mi-
hi in hanc sententiam respondit : Vir bone “
(inquit) de eo sic habeto : Quum sparsa de “
Christianorum sœvitia , per has prouincias fa- “
ma, qui quæcumque adissent loca, cædibus, in- “
cendiis & latrociniis infesta facerent , ad nos “
quoq; peruenisset , & eos in fines nostros ir- “
rumpere velle audiuissimus : conuocato om- “
nium amicorum nostrorum & sociorum con- “
cilio, sociatisque consiliis omnes vna voce de- “
creuimus , potius mortem strenuè pugnando “
oppetere , quām pati nos à Christianis sub iu- “
gum mitti. Eo constituto, hastas, lapides, sagit- “
tas & quæcumque alia possumus , cōparamus. “
Quumque iam Christiani finium nostrorum “
limites pulsarent , vltro illis armati obuiam “
imus , & bonam diei partem fortiter pugna- “
imus. Ad extremum tamen plerique nostrūm “
impetu equorum perterriti, in fugam vertun- “
tur. Itaque legatos duos ad Christianorum du- “
cem mittimus, veniam & pacem orātes: neque “
id tamen alio consilio , nisi vt instaurandis vi- “
ribus quies & otium suppeteret. Ille nos in a- “
micitiā accipit: nostrūm inde cōplures , dissi- “
mulato verò animo, cū cantu & tripudiis, pro “

„ iure amicitiae Christianis familiariter assuefacti, inuisere, & multa auri aliarumque rerum munera illis ferre incipimus. Inde, iis ita insatis, doinos nostras regressi, intra triduum manu facta in Christianos de improviso irruimus. Sed breui, ut primò, nostri terga vertere.

„ ITA de integro, eadem mente & consilio quo prius, pacem denuò petimus. Qua impenetrata, gentium omnium nostrarum indicto conuentu, communi consilio decernimus, Prius occumbendum esse omnibus quam ut Christianos dominos acciperemus : eiisque sine vlla veniae aut gratiae spe caput morti duouemus, qui ex acie fuderet. In huius consilij effectum rursum arma & tela aduersus Christianos comparamus & acuimus. Verum coniuges nostræ, hoc nostrò proposito auditato, lachrymis perfusæ ad nos veniunt, suppliques rogant ut Christianis seruire mallemus, quam ita foedè occumbere. Sin nobis sententia staret, consilia nostra in rem vertere, ut ipsas primùm cum parvulis suis liberis interficeremus, ne orbatæ viris in barbarorum istorum & crudelium hominum potestate inciderent.

^{Cur Indi Hispanicū} derent. Hæ vxorum nostrarum mixtæ lachrymugnū subiectæ misericordia preces fregere omnium animos. Itaque sint.

„ vieti vtrò arma ponimus, & rapacissimis Christianorum manibus nos nostraque permittimus.

„ MOX tamen propter iniurias & indigna exempla quæ in nos quotidie edebant, aliquot populi in eos rebellionem moliri ausi sunt: sed

sed tam graues eius pœnas Christiani ab ipsis
expetuerunt, vt ne infantium quidem ætati
parcerent. Neque eo contenti, alios etiam, Hisp.acer-
quanquam insontes, captiuos factos, præte- bus in In-
xentes nimirum illos quoque aduersus se re- dos domi-
bellionem cœptare, cruciabant & pro man- natus,
cipiis sub hasta vendebant. Nos per ea tem-
pora neque coniugum nostrarum, neque libe-
rorum, neque vlli rei nostræ domini ac pos-
sessores eramus. Itaque multi rerum tædio,
filios ipsi necare, alij laqueis semet suffocare,
alij abstinentia cibi vltro vitam fugere: do-
nec Edictum à rege Castellæ factum, quo nos
in libertatem restituti sumus, tot ac tam in-
tolerandis miseriis æruimnisque finem tan-
dem imponeret. Hic Cacicus ille institu-
tum sermonem clausit.

N I C A R A G V A E regio non ita ampla, sed ^{Nicarag.}
fertilis & amœna est: ceterū intolerabili æstu ^{provinciæ}
adeo flagrans, vt æstate, feruido & fabuloso
exurente vestigia solo, nemo nisi noctu iter
facere possit. Sex ibi continui menses pluuij,
à Maio pluuiarum initio facto: reliqui sex
menses planè siccii sunt, diésque æquales no-
ctibus. Mellis, ceræ, balsami, gossipij, satis
ferax tellus, & suorum fructuum: in quibus
poti quoddam genus ei regioni peculiare
est, neque Hispaniolæ, neque vlli alteri Indiæ
parti concessum. Pyri nostri specie fermè est:
ligno interiore rotundo, nucis crassitudine,
& dimidio amplius: optimi & iucundissimi sa-
poris. Arbor ei⁹ generis procera, exiguis folijs

vestitur. Paucæ vaccæ & suum copia est ex iis quæ ex Hispania propagandæ stirpi transfueruntur sunt. Multi ibi Indorum pagi sed exigui, casas arundineas stipula opertas, modicæ amplitudinis habent. Nullius illic metalli fodinæ sunt: quamquam sub primum aduentum Hispanorum indigenæ auro, sed eo ignobilioris notæ & aliis è prouinciis allato, abundarent. Incrementabilis ibi multitudo Psittacorum, seminibus infesta: ac ni Priapeia quædam terricula quæ Indi ex arundinibus fabricantur, & excussum fundis lapides absterrent eas aues, multo plus detrimenti adferrent.

H I S P A N I quum primùm eam prouinciam subegerūt, propter vberimam omnium rerum ibi repartam copiam, eam Paradisum Mahumetis nuncuparunt. Duo inter cetera fert hæc tellus, nulli præterea Indiæ regioni concessa, exceptis Guattimalæ, Fondurensis prouinciæ & Mexici finibus totoque Nouæ Hispaniæ tractu. Vnum, Pauonum quoddam genus est, qui in Europam translati, vulgo Gallinæ Indicæ vocantur. Alterum, id quod

Cacauate fructus, moneta Nicaraguensis, nec nisi calido loco & opaco viuit. Simulacrum sole tactum est, contabescit. itaque ferè in siluis vmbroso & humido loco seritur: neque id satis, sed iuxta eius generis arborem, aliam editiorem plantant: quæ simulacrum adolescere coepit, eius cacumen ita concinnant aptantque ut adulta ea arbor Cacauatam in umbret defendatque ita ab æstu ut solis radiis lædi non possit.

Psittaci sat-
tis infesti.

possit. Fructus amygdalorū speciem referens, siliquis quibusdā, velut cucurbitis, includitur, crassitudine & latitudine cūcumeris: annuo spatio maturescit. Maturas eas vbi legēre, excussum folliculis fructum super stōreis expasum ad Solem exponunt, donec humorem exsudauerit.

P O T V M ex eo conjecturi, in testa fictili ad focum exsiccant: mox lapidibus quibus pinsitur panis contusum & cōmolitum, fusūmque in pateras (quæ cucurbitæ specie è certis arboribus per omnem Indiam enascuntur) paulatim aqua temperat, atque interdum paululo pipere, quali vulgò vtuntur, condīunt, eoque in potu vtuntur. Porcorum ea verius colluies quam hominum potio. Quū cam prouinciam peragrarem, plusquam integrum annum ab tali lora abhorri: & quum pagum aliquem prætereūtem Indus me fortè aliquis ad bibendum inuitaret, ego verò aspernarer, multum mirans, ridensque abibat. Sed quum mihi vini copia non esset, ne semper aquam bibere cogerer, alios imitari didici. Ea cælia sapore aliquantū amaro, satiat & refrigerat corpus, minimè tamen inebriat. Hæc præcipua & carissima merx earum regionum est: neque quidquam aliud Indi maiore in preto habent, vbi quidem in vsu est.

H A R V M gentium mores à Mexicanis nihil propemodum differunt: humana carne vestiuntur: penulis & subuculis sine manicis vestiuntur: duorum lignorum mutuo attritu ignem accendunt, & hic mos per vniuersam

Potio Nicaraguensis.

Nicaraguensis
mores.

Indiam inoleuit. Etsi illis ceræ copia esset, nullius tamen ad rei ministerium ea uti nouerant: & ad nocturnum lumen tedas è pinu agresti recisas vrebant. Quatuor earum prouinciarum sunt idiomata: sed Mexicanum in primis elegans, cuius usus amplius mille & quingentorum mill. spatio patet, & facillimè omnium discitur. Regulos & principes *Tutruane* appellant: Panem *Tascal*: Gallinas *Totoli*: & *Occomata*, valet, Exspecta paulisper: Morbum, *Mococoua*: Saltare, *Muote*.

Saltandi
ritus apud
Nicara-
guenses. S A L T A N D I porro hic illis ritus & ratio est. Confluunt in unum ducenti, trecenti: nonnunquam etiam ter & quater mille homines, pro modo & amplitudine prouinciae, & pro indigenarum vel modico vel magno numero: tum ut conuenere, campum in quo saltaturi sunt, verrunt & quamimundissime perpurgant. Mox unus eorum progreditur & chorum ductare incipit, plerumque retrorsum corpus inflectens: interdum circumagens: ceteri omnes inconditos illos motus imitantes, præsultorem ordine terni & quaterni sequuntur. Choraulæ qui tympanorum sonitu interim ludum incendunt, carmina quædam & cantus patrios ordiuntur: choragus primus respondet, mox exceptum ab aliis carmen per omnes in orbem decurrit. Alium, flabellum manu gestantem, alium cucurbitam lapillis plenam, alium caput cristis & penis decorum, alium brachia cruraque concharum lineis & corollis redimita cerneris. Illi hoc, alij alio modo corpus variè circumagunt: nonnulli crura attollunt,

attollunt, aliqui brachia: aliis cæcum, alias surdum efflingit: rident alij, alij plangunt. Cum his aliisque variis gestibus & motibus corporis, interea sese illo suo Cacauate largè irrigantes, totum diem & sæpe noctis partem tripudiantes, solennes illos choros exercent.

N A V E S quæ per mare Australc Nicaraguam petunt, angustum fluminis cuiusdam aliueū inuestigæ spatio xxv.mill.pass.ad quendam pagū appellunt (Realegio ei nomen est.) Ibi duodecim circiter mapalia sunt, ex caninis contexta, & Hispanis habitata: eò autem diuertūt naues, propter opportunam stationem & lignationem commodissimam. Ab eo loco in Orientem diei vnius itinere abest ciuitas Legionensis, Episcopatus sedes, ad lacus ripam polita. ² Franciscus Fernandes eam condidit sicuti & Granatam, quæ l. vltius millia ad eiusdem lacus ripam sita est, non procul ab illius emissario seu aliueo, quo se lacus in Septentrionalem oceanum exonerat. Hæ duæ vrbes simul vix octoginta domibus constant, quæ ^{189.} partim maceria, partim laterculo coctili exstructæ sunt.

T R I G I N T A quinque mill. inter uallo abest Legione: mons flammiuomus, qui per ingentem craterem tatos sæpe flamarū globos eructat, vt noctu latissimè ultra centū milia pass. incendia reluceant. Nonnullis fuit opinio intus liquefactū aurū esse, perpetuā ignibus materiem. Itaque Dominicanus quidam monachus, quum eius rei periculū facere vellet, aenum & catenam ferream fabricari curat:

Legio, &
Granata,
coloniz.

De hoc al-
ueo, pag.

Mons flā-
miuomus.

Empedo-
cles Domi-
nicanus. móxque in montis iugum cum quatuor aliis Hispanis ascédens, catenam cum aeno in caninum demittit. ibi ignis ferore aenum cum parte catenæ liquefactum est. Monachus non leuiter iratus Legionem recurrit, fabrum vehementer incusans, qui catenam tenuiorem multò quām iussisset ipse, esset fabricatus. Faber aliam multò crassiorem excudit: Monachus montem repetit: catenam & lebetem demittit, res priori incepto similem exitum habuit: nec tantum resolutus lebes euanuit, verum etiam flammæ globus repente è profundo exiliēs, propemodum & Fratrem & socios absumisit. Omnes quidem adeo perculsi, in urbem reuersi sunt, vt de eo incepro exsequendo nunquam deinceps cogitarent.

Sacerdos
metalla-
rius. IN ea ipsa ciuitate cognoui sacerdotem, qui Questoris regij interuentu à rege Hispaniæ per literas petiit ut sibi ducentos seruos dari iuberet: pollicitus perfozzo illorum opera aureo illo monte ingentes se inde diuitias eruturum. Isti Rex rescripsit, montem, si vellet, suo sumtu aperiret, sibi enim non esse mancipia quæ ad eas fodinas mitteret. Ita inceptum illud omissum est.

1 B A L S A M V M (*ut inquit Plinius lib. 12. cap. 25.*) vni terræ Iudeæ concessum, pridem periisse creditur. Nūc verò, quod ex India Occid. adfertur, primùm in Hispaniola inuētum est, Indicæ mulieris indicio. Arbor unde hic liquor elicitur, Goaconax ab indigenis vocatur. Onie. Hist. nat.

nat. Ind. lib. 10. cap. 3. Elicitur quoque hodie in
Nouâ Hispania ex arbore Punica malo maiore,
cuius folia vrtice similia serrata & tenuia sunt.
Indi Xilo vocant. Elicitur autem duobus modis.
Primum multis incisuris vulnerato arboris corti-
ce. Altero ramis & truncis eius arboris assulatim
& minutim cōcisis, & in lebete amplissimo ferue-
factis: mox oleo supernatante collecto. Id priore
ignobilius est. Monar. de simpl. medic. Indic.

2 ⁷s est qui Iucatanam primus aperuit. Suprà
huius libri cap. 10. Quem postea Petrus Arias
Abulensis, post Castellæ aureæ imperium abroga-
tum ob Valbo & mortem, Nicaragua Gubernator,
capitali supplicio affecit, quod clandestino fœdere
cum Fer. Cortesio inito, occupatam, sponte ipsius,
provinciam armis retinere vellet. Sed oblatu falso
crimine insontem oppressisse visus est, sicuti & ge-
nerum suum antea, ut sublato amulo, vacua pro-
vincia solus potiretur.

3 Montis illius flammiuomi nomen Gomara
Masaiam, Dominicani F. Blasium de Ynnesta, e-
dit: scribitque nouum istum Empedoclem & pre-
terea duos Hispanos sciēde eius rei cause auidos
semetip̄sos tribus corribus in Vulcanum illum
craterem demisſe, quo ad eius fieri potuit: atque
inde lebetem catena ferrea reuinctum, ad CXL.
vlnas deiectum, tandem ubi ad flammatam perue-
nit, liquefactum esse cum aliquot catena annulis.
Illos stupefactos tali naturæ miraculo, irrito labore
inde profiliisse. Ceterū anno M.D.LI. Ioanni
Aluarez Doctori & Decano à Rege concessum
esse ut recluso eo monte metallum erueret. Gom.
Histor. gen. libro 5. cap. 203.



Petri Aluaradi in Peruani regnum expeditio. EIus mor̄, & conscientie in morte dolor. Vxor eius Deum ipsum increpans, miro eius iudicio absunitur.

C A P . X V I L

Per. Alua-
rado, iam
partis op̄i-
bus, per a-
uaritiam
& ambitio-
nem frui

De his lib.
3. cap. I.

Nicaragua in occasum tendentibus, tercentū mill. à Legione, nunquam longius ab ora maritima abscedēdo quām ut ipsum mare conspici possit, peruenitur ad Guattimalam. Eam vrbem Penon licet. trus Aluaradus, postquam eam prouinciam subegerat, inter duos montes condidit, è quibus scimper fumus euoluitur: ac duas præterea, San-michaelem videlicet & San-saluatorem, quæ centum mill. pass. inter se distant. Iānque hic Aluaradus, perdomita & diuisa ea prouincia, eāque vrbe condita, cum magna pace ac tranquillitate in constituta à se ditione partis opibus fruebatur, quum nūcium accipit, Franciscum Pizarrum & Didacum Almagrum, in Peruanum regnum transgressos, incredibiles ibi diuitias reperisse. His permotus, per amicos literas à Cæsare & potestatem transmitendi in illud Regnum, ac cuiuscumque vellet eius partis, quam modō alij Hispani non infessent, in ditionem redigendꝝ coloniisque occupandꝫ, impetrat.

INDE anno M.D. XXXXIIII. septem nauium armata classe è prouincia sua soluens, septuagesimo quarto die ad oram Peruanam appellat. Mox in littus Mantę egressus, ad eam oram quę ab Hispanis pōst Portus-vetus dicta est, ducibus Indis regionis peritis assumptis, ultrius

riùsin mediterranea progreditur. Tandem superatis montium quorumdam frigidissimis iugis & perpetua niue obrutis (vbi multi Hispani frigore dirigerunt , alij penuria victus cæsis equis famem tolerauere) in prouinciam Quiton peruenit.

I D vbi Francisco Pizarro allatum, extemplo Didacum Almagrum cum c L. Hispanis aduersus eum mittit : qui si posset, vel eum aditu prohiberet, vel excercitum quem ille adduceret, pretio ab eo licitaretur. Almagrus Tombesium peruerterat: ibi audito Aluaradum numero militum multò se esse superiorē, hostiliter eum inuadere nō ausus est. Ambo ad Liribambam flumen conueniunt : ibi licentiatus Caldera pacem inter eos & amicitiam concilians , iubet Aluaradum tradere quas adduxisset copias Pizarro & Almagro: illos verò vicissim dare Aluarado centum millia aureorum ducatorum, ea lege ac conditione vt ipse ex eo regno excedens, nunquam deinceps eò regredetur. Hæc paëtus Aluaradus cum quatuor famulis Peruo decedit, & successu latus Guatimalam reuertitur. Paulo pòst perlustrandæ eius oræ in Occidentem, & nouas terras quærendi consilium capit: & eò decem liburnicas, myoparones quatuor instruit.

E O D E M ipso tempore quo Aluaradus classem adornabat , venere Mexicū Decimini- cani quidam monachi, peragratis ad Occiden- tem terris mille amplius milliarium spatio: qui vt ex longinquo reuenerant, de illis re- gionibus mira narrabant. Vulgarunt inter alia , Sibollam prouinciam aliisque terras

Fr. Marcus
de Nizza
cum aliis,
anno 1539.
eam pere-
grinatio-
nē obiit.

fertiles, diuites, auro, cyanis, vulgo Turquinis, gossipio, aliisque dotibus abundare. Ea relatione moti Antonius Mendoza Nouæ Hispaniæ prorex, & Ferdinandus Cortesius eodem in regno summus Praefectus-militiæ, suscipiendo per se aut per legatos eius expeditionis consilia inter se agitant: sed discordibus in unicem animis, quin neuter alteri satis fideret, diuersi alius alio abierte. Cortesius Hispaniam petiit: Prorex Petrum Aluaradum è Guatemala arcessens, quam celerrimè posset, cum suis copiis venire ad se iubet. Is breui soluens ad Trinitatis portum appellit: & terrestri itinere Mexicum profectus, de suscipienda in Sibollâ expeditione cum Prorege transfigit. Inde, septingentis militibus conscriptis, armisque, equis, & aliis ad iter necessariis rebus prouisis, Mexico ad naues tendit.

IN itinere nuncius ei affertur, Indos Xalisci prouinciaæ incolas aduersus Hispanos re-

^a Didacū bellasse: itaque inde cum maxima copiarum Lopez de parte ad ferēdam suis opem festinat. Ut venit Zunigua, vocat Go-“Petrum Zunicam Hispanorum complurium mara. cæde recenti confusum & tristem ibi nactus, ambo ad collem editum, quem Indi munitum manu infederant, obsidendum properat. Monumentum id erat eiusmodi: totas arbores ramis inuicem implicatis & coeuntibus cum ingentibus faxis colligatas, quodam veluti nexu continent opere iuncto, perpetuam sepem hosti obiecerant. Similque ut Hispani erigerent agmē in collem & ferociter discurrere cœperunt, Indi horribili clamore sublato, cæsis arborum

arborum ramis, compagē operis soluūt. Tum
verò prorutis arborū & lapidū cumulis, om-
nia ingēti cū fragore in præceps deferri, & in-
gētis magnitudinis saxa per montis prona de-
uolui tanto impetu ut maximam subeuntium
Hispanorum partē obtcererēt. Aluaradus pro-
uoluto in eum equo præceps datus, duos intra
dies vita concessit. Petentib. à decūbēte quid
ei maximē doleret, Anima, inquit, vehemēter
mihi dolet. Mediocri homo statura fuit, lo-
quax, perfidus, sœuus aduersum Indos, benefi-
ciorum immemor atque ingratus usque adeo
ut vulgō etiam de eo sui dicant, Eum nulli a-
micorum fidem vñquam præstisſe. Postre-
mò incestis nuptiis infamis, quum duas simul
sorores in matrimonio habuerit..

A L V A R A D o mortuo, breui, Proregis
missu, Mexico ad eam expeditionem abiit
Franciscus Velasquez Coronatus cum octin-
gentis militibus, iisque equitibus plerisque,
quum nauibus ad eam prouinciā subigendam
& habitandam ire abnueret. Ut eò peruenit,
pro omnibus diutiis niuis copiam & com-
meatus penuriam reperit. Itaque multi equi,
& Indorum seruitiorum plerique fame ab-
sumpti sunt. Dux ipse, quum se maiores opes
inuēturum speraret, progredi vltierius statuit.
Iamque c. l. millia pass. emensus, animaliū ge-
nus quoddam mediocris magnitudinis, vaccæ
forma reperit. Hispani in eorum animalium
armenta irruentes, multa maestant & famem
expellunt. Inde Velasquez multo frustra eius
oræ peragrato spatio, postquam leuibus ali-

Ambitioſe
& auaræ
animæ cra-
ciatus.

Gomara.
Hist. gene-
lib. 5.

Velasquez
in Sibolle-
si expedi-
tione pro
thesauro
carbones
reperit.

quot præliis indigenas expertus esset, libertatem suam acriter propugnantes, eorum aliquot incensis ac direptis pagis: tandem spe irrita fatigatus, probraque ac diras in monachos illos iaciens, qui de eius prouinciae opulætia tam lœtam famam vulgassent, multis amissis Hispanis, pauper & nudus Mexicum regressus est.

Diuini iudicij in superbam & blasphemam vi-
duam ex-
emplum.

NUNC, ut ad Aluaradum redeam, postquam eius mortis nuncius Guattimalam allatus est, Beatrix de Cucua vxor eius, fœmina cùm quidem animi impotens, vana & superba, cùm Dei Opt. Max. omnipotentiam cum gratiarum actione agnoscere, & immensam eius bonitatem laudare deberet, in blasphemias voces erupit dicens, Nihil peius grauiusque à Deo mali inferri sibi potuisse, quam quod viro orbata esset. Simul atrari ædes & nigro pingi iubens, non cibum, non somnum capere, non solatia villa admittere sustinuit. Adhæc lacratis crinibus humi corpus abiicere, multaque alia dicere & facere quæ mentis compotem non decerent. Inter hæc tamen magnificas & pompa plenas exequias viro duxit. neq; luctu aut funebribus lamentis impedita est quomodo primorum ciuitatis cœtu conuocato, se eorum suffragiis Gubernatricem prouinciae designari curaret, omnésque sacramento in verba sua adigeret.

Ambitio
ne luctu
quidem
minuitur.

SE D paulo post quam ea gesta erant, ecce die VIII. Septembris, qui Virgini vulgo sacer est, anno M.D.XL.I. imber ingetibus procellis effundi incipit, adeo ut circiter secundani noctis horam quæ alterum ab eo diem sequuta est,

est, Indi quidam Episcopū prouinciae adeuntes (Franciscus Maroquin is vocabatur) ei significarent, se ad radicem eius montis qui vrbi proxime immineret, terribilē quendam sonum & insolitum fragorem auribus accipisse. Episcopus obiurgat eos, Non vos s̄epe “ (inquit) monui, ne eiusmodi rebus aures “ preberetis? Iam paulo vltra medium nox processerat, quum repente magna vis aquarum ex eo monte tanto impetu & violentia, torrentiū instar erupit, vt saxa ingentis magnitudinis deuolueret, quæ mox incussa sub iacentibus petris, maiore vi quidquid obuium esset, proterebant. Simul audiebantur per aërem lugubres vluſatus & stridores horrendi: & furuam quandam vaccam multa inferentem dama, & ea loca peruagantem: superfunt qui viderunt.

Inter multas ædificiorum strages, quas ea eluuiio aquarum dedit, primam Gubernatoris domum rapuit: & ea clade periit Beatrix ipsa gubernatrix cum iis omnibus quæ cum illa orandi causa (vt fertur) in abditum coulaue seu sacrarium aliquod penetrale, concesserant. Ad eum modum breui submersa & concusa repentina vi tota propè illa ciuitas, prostrata est. Centum circiter ac viginti Hispani vtriusque sexus eo casu periere: nonnulli qui sub initium ruentis tempestatis vi be cesserant, perniciem effugerunt. Luce orta, postquam procella conquieuerat, vicinis vibi campis Hispani nonnulli debilitati, plerique obtriti, alij brachiis, alij cruribus fractis,

iacentes reperti sunt : inter ceteros puellula quædam illæsa & sine vlla noxa sublata est, quæ ex Indica muliere Aluaradus susceperebat. Neque ex ea stirpe quisquam, præter istam remansit. Post eam ruinam Gattimala in modica planicie, vbi nunc sita est, instauratur, triū mill. spatio à veteri dissita, ad Ortum: constat que septuaginta quinque aut octoginta domibus laterculo coctili exstructis, quæ magnam partem tegulis coniectæ sunt.

In ea prouincia frequentes existere terræmotus experientia ipsa didici. Quum enim fortè aliquando essem in cœnobio, veteri Guattimalæ vicino (locus is vulgò Almolonga di Basso appellatur) & cum monacho colloquerer, super exiguo quodam tumulo, terra adeo contremuit, ut campanæ sua sponte sonitum dederint: maceriæ quibus circumseptus erat cœnobij hortus magna ex parte corruerint: subterranei tubi, per quos aqua ad fontem deducebatur effracti: facillum maius duobus locis fissum hiaret, & aliquot tegulæ in terram deciderēt: terrāmque ipsam omnes hiatu profundo discessuram crederent. Durauit hic terror quantum recitando Symbolo Apost. temporis satis est.

CETERVM ca prouincia, quia cælo miti ac temperato subest, frumenti satis patiens est: sed omnium arborum quæ eò ex Hispania translatæ sunt, nulla coaluit præter ficos & Armeniacas malos: verùm & ipsarum quoque fructus quum maturescere incipiunt, sub initium videlicet hyemis, tum insipidi existūt.

Duorum

Gattim-
ala instau-
ratur.

Duorum à Gattimala dierum itineris spatio, loco maritimo quem vulgò Izalchi appellant, magna vis Cacauatarum colligitur. Et hæ ho-
die ferè sunt Hispanorum qui eā prouinciam incolunt, opes: earūmque maximam partem per Nouæ Hispaniæ prouincias distribuunt, in quibus, quod id regnum frigidioris quād calidioris temperamenti sit, id genus fructus non sufficienti copia colligitur.

Guattimale
lensium
mores

P O R R O isti Guattimalenses Nica-
raguensibus & Mexicanis moribus ex æquo
ferè participant. Itaque negotiatur mercatūs-
que & contractus inuicem exercent. Ac pler-
ique eorum artes etiam mechanicas didicere:
sunt enim inter eos fabri materiarij, carpentarij, pictores, aurifices, aliarūmque opifices
artium: & hos Hispani quondam in seruitiis
habebant, eōsque ære cintos varia opicia do-
cuerant: sed quum heri ipsi aliquod laboris sui
præmium & fructum ex eorum opera decer-
pere vellent, tum in libertatem restituti sunt.
Quotidie venalitia sua fora & mercatus ex-
ercere consueuerunt. merces, ferè sunt escu-
lenta & poculenta, qualia sal, pisces, fructus,
cucurbitæ, battatae, incocti cū ramis ficus indi-
genæ, & ex iis facta potio ita scitè & honestè
mista, vt solus cius conspectus nauseam mihi
cieret. Præterea gossipio, penulis, interulis,
cristis pennaceis aliisque eiuscmodi, com-
mercia inter se agitant.

I P E T R V S Aluaradus, vt Francisci de
los-Conos, qui à secretis & intimus consiliorum,

Cæsari erat, gratiam & fauorem quæreret, duarum simul sororum incesto matrimonio semet polluit, idque permissu & indulgentia Papa. Gomara Hist. gen. lib. 5. cap. 109.



Indicarum gentium color: Vinum & Ferrum in pretio
habent. Legendi & scribendi in nostris peri-
tiam mirantur. Hispanicum
iugum excutere
cupiunt.

C A P. X V I I.

V O D ad colorem Indicarum gen-
tium attinet, in vniuersum ferè cereo
aut buxeo, & fusco seu rauo quàm
cuiquam alteri propior est: oniniūm-
que quoescunque in amplissimis illis prouinciis videre mihi licuit, pulcherriimi sunt Pa-
riensis sinus accolæ & Valentiolæ prouinciae
indigenæ: ij nempe qui in mediterraneis ope-
ra montium incolunt. Cuius rei causam eam
esse arbitror quòd ea loca minus solis vapore
torreantur quàm plana: siquidem maritimæ
oræ accolæ subfusco, & velut carnis sole fla-
grantि ambustæ, colore sunt.

Vinum &
Ferrum a-
pad Indos
rata & ca-
ta.

CE T E R V M omnium rerum quas Hispa-
ni in Indiam transtulerunt, nulla Indis gra-
tior acceptiōrque extitit quàm vinum: &
quanquam ipsi è Maizio atque aliis rebus fa-
ctitia vina & potus inoliantur, vtisuprà di-
xiinus,

ximus, vulgo tamen dicunt non ita iis quæ ipsi faciunt, villis ali vires vigorēmque animi, recreari spiritus, ventrem excalefieri nec somnos ita dulces suauēsque conciliari, ut illo Castellæ. Ferrum præterea ad ipsos inlatum carum habuerunt, quuin nihil ferè olim fabricarentur præter æneas secures, & cultellois è silice. Sed super omnia noster legendi & scribendi usus Indis miraculo fuit. Itaque quum Hispanis literas Indis ad aliquem preferendas dabant, nusquam cogitando assequi poterant quā ratione charta alba nigro distincta eloqui posset.

Indi legēdi & scribēdi usum mirantur.

C E T E R V M omnium gentium ac prouinciarum in quas Hispani subactas hodie imperium obtinent, frequentissimæ & hominum multitudine abundantissimæ hæ sunt, Noua Hispania, & ab ea Iucatan, Guattimala, Nicaragua & nonnulli Peruani regni tractus.

P O R R O quum nouum illum orbem qua-
tuordecim annorum spatio, ut suprà dixi, per-
lustrauerim, ac legerim Historias quas Hispa-
ni de rebus à se in illis regionibus gestis &
suis aduersus Indos victoriis scripsierunt: ple-
risque in rebus illos laudibus suis enarrandis
modum egressos fuisse exploratum ac com-
pertum habeo. Atque in eo maximè, quum
iactant se summa laude esse dignos, quod o-
mnes à se subiectos in India populos conuer-
terint, & Christianos fecerint. quod quum di-
cunt, illos népe populos à se factos esse Chri-
stianos, perinde esse videtur ac si quis, exempli

Hispani
taudū sua-
rū immo-
dici prædi-
catores.

Gom. lib.
5. Hist.
gen. cap.
vlt.

gratia, dicat, Panem à pistore bene esse cōctum. Attamen quum Christi Domini nostri & seruatoris doctrinam attentè considero: equidem cōperio plurimūm interesse inter nudum nomen, & rem ipsam: id est, Christiani tantūm nomen gerere, & Christianum reipsa esse, latè inter se differre.

Peruani
Hispanos
pro Christianis &
filii Dei
agnoscere
volunt.

Quod magis id credamus, vel Barbaros ipsos ea de re sententiam ferentes audire operā pretium est. Nam in Peruano regno aliisq; multis locis, quantumuis Hispani passim vulgarint se Christianos esse, Dei ipsius & parentis cælestis filios: tamen ob intoleranda sæuitiæ exempla quæ aduersus Indos ediderunt, nulla ratione vñquam effici aut extorqueri potuit ut id nomen Hispanis tribuere & agnoscere vellent. Ea nimurum gens multò acriore & solertiore iudicio quam quælibet aliæ Hispanis subiectæ dotata est. Mexicanî quidem & finitimi alij populi, ex quo Hispani primūm in eas terras transgressi Christianos se esse dixerunt, eos quoque & ipsi semper ex eo hoc nomine nuncuparunt. Id verò ut faterentur & dicerent, nunquam adduci potuere Peruani, sicuti antè dictum, & suo loco fusius exponet.

Indi Hispa-
nicum iu-
gum ex-
cutere cu-
piunt.

Quare, quum extra controuersiam sit quamlibet nationem peregrinæ gentis imperio subiectam, si semet in libertatem vindicare possit, id verò cupidissimè & sine vlla dubitatione facturam: ita Indi haud dubiè, Mexicanî præsertim, assidue dissimulantes excubant

cubant, sedulò semper aspectantes an solitè naues ex Hispania veniant. Ac siquid casu Hispaniæ infortunij accideret, sicuti fieri potest (quippe imperia omnia quantumuis magna & potentia, omnes gentes, populi, ciuitates & regna, humanorum casuum varietati atque inconstantiæ, quam vulgò Fortunam vocant, obnoxia esse in perspicuo est) si clades, inquam, aliqua memorabilis Hispaniam affligeret, nec naues cōmeare in Indiam possent, vt solent : vniuersa quām latè patet India, iugo excusso, rebellaret, atque omnibus Hispanis mactatis sollenne agitaret epulum : atque, vt à quibusdam monachis accepi, illi ipsi Fratres primi omnium funebre istud conuiuium suo sanguine imbuerent, quòd peruersis indigenarum moribus perpetuò aduersentur.

ID verum esse vnius rei exemplo probasse sufficiet. Anno M. D. LIII. quum Guattimalæ essem, eo ipso tempore quo Gaili cum Hispanis bellum gerebant: nec, ob metum piratarum, per omnem eam oram spatio quatuordecim mensium appulissent vllæ naues, præter phaselos duos (Galeones vulgò vocant) Aluari Bazani, quorum alter ad Nomen-dei, alter ad Villam-riccam, Nouæ Hispaniæ portum, applicuerat : iam Hispanorum animos vehemens formido incesserat, ne Indi ad res nouandas spectarent, quòd iam ex Mauris audiuerent Gallos cum Hispanis bellum gerere, multaque iam illis damna intulisse. Ipse quidem per eosdem hosce dies, quum in eo loco quem Almolongam vocant, paulo

infra Guattimalam, vbi quondam sita erat ve-
tus Guattimala, cum quibusdam Indis collo-
querer: sciscitari ex me vnu s cœpit, An Galli
Indi Gal-
lorum in
Indian ex
peditione
peroptat,
ut ab Hi-
spanis li-
berentur.
haberent equos, & ea quæ faciunt Tau Tau,
quū vellet querere an Gallis essent bōbardæ,
nec posset. Tum ego excipiens, Habent verò,
inquam. Ibi ille suspirium ex imo pectore
petitum duçere: & Deo notum est quid tum
haberet in votis. Certè tametsi monachorum
assiduis vocibus illorum aures circumsonent,
monentium nequid nouare aut mouere ag-
grediantur, quia videlicet Cæsar è Castella
innumeram vim Christianorum aduersus i-
psos emissurus esset, à quibus multo inclemē-
tius, quām antea vnquam, haberentur: atta-
men ne his quidem toties iteratis & inculca-
tis minis impedianter, si idonea & opportuna
occasio sese obtulerit, quominus omnes Hi-
spanos è suis finibus si possint, exterminent.

I N D I S principiō persuasio erat, epistolas
quas Hispani mutuò ad amicos mitterēt, anima-
tas esse & loqui. Cuīs rei lepidam historiam nar-
rat Gomara. Mittebat Hispanus quidā ad ami-
cum duodecim Hutiās (id est, cuniculos Indiæ
Occid. peculiares) assos, ne astu corrumperentur.
Indum qui deferebat, quum vel obdormisset fes-
sus de via, vel interquiesset, diutius morantem in
itinere fames corripit: tres Hutiās absunit. Re-
uertitur, literas ab amico illo ad herum referens,
quebus ille de nouem Hutijs ad se missis gratias
amico agebat. Hispanus perfectis literis irasci-
tur seruo: ille duodecim reddidisse se affirmat. Sed
quum

quum epistola indicio proderetur, rubore perfusus
verum aperit: & suos ea de re populares commo-
ne facit, ut sibi à folijs & chartis eiusmodi lo-
quacibus cauerent.

N E C dispar est quod de Brasiliensibus scribit
Lerius: Quum primo (inquit) in eas terras venis-
sem, verbū & sententias aliquas, ut sermoni eo-
rum assuecerem, scribebam, eāisque mox coram co-
ipsis legebam. Illi, præstigias id esse rati, inuicem
his verbis alij alios alloquebantur: Non mirum! ce-
stum qui heri ne unum quidem verbum idioma-
tis nostri callebat, nunc vi & ope huius chartæ,
qua illum nostra eloqui docet, ita peritè ea sonare
ut à nobis intelligantur? Naug. Brasil. cap. 16. ce

Ceterū apud aliquos Indorum Occid. popu-
los literarum usum esse, allati inde libri prodide-
re. Iurisperitus quidam, Corales, Darienensem
prætor urbanus, ad Regem Catholicum scribens,
inter alias retulit, Ad se adductum Indum quen-
dam, qui ab hero fugerat ex interioribus Conti-
nentis terris versus Occidentem. Is legentem a-
liquando literas Prætorem conspicatus, mirabun-
dus accurrit ut videret: dixitque Patronū suū
& populares etiam libros habere, sed è folijs ar-
borum simul cōsutis compactos. cuiusmodi à Cor-
tesio è Colluacana in Hispaniam missi sunt. Petr.
Mari. Mediol. Ocean. dec. 3. li. 10.



Indi Christianorū iudices. Sacerdotes & monachi in India
Occid. auaritiae dediti. Indi Hispanorum consuetudine de-
teriores sunt, & Christ. religionem ludibrio habent.



MNIVM cius gentis rerū, quas maximè in India laborauit scirem, id imprimis intelligere conatus sum, quid nimirū de Fide nostra illi sentiant. Itaque quæcunque ea de re tum ex publicis Monachorum & sacerdotum quorum dām sermonibus didici, tum ex iis quæ ipse vidi & ab ipsissimis Indis audiui, ea nūc expōre operæ pretium duco: vt Lectores inde sibi subiiciant, quantum mala nostra opera exemplaque scandalorum apud illos pariant. Prudentes verò ac sobrios Lectores ante omnia rogo ut æquum huc & attentum animum afferant, sciāntque se verè aurea dicta sentētiās quæ in primis memorabiles suimāque admiratione dignas hīc audituros.

I N D O R V M plerique ac potissimum Regulorum & principum filij, qui legere & scribere didicerunt, atque adeò Præcepta ipsa Dei,

Barbari surgent in iudicio ad uersus Christia nos multos, & cōdēnabunt eos. quæ bona esse fatentur, idcirco plurimū mirantur nos ipsos à quibus hæc habent, ea non obseruare, & vulgo ita loquuntur: **H E V S** tu Christiane, **V**etat Deus ne quis per nomen suum in vanum iuret: at tu omni & quidem leuissima de causa, assidue iuras & peieras. **I**ubet Deus ne falsum testimonium dicamus: vos

” verò Christiani nihil ferè aliud facitis, & alij ” aliis detrahitis & maledicatis. Iubet Deus vt ” proximum tuum tanquam teipsum diligas: eí ” que sua debita remittas, vt tua tibimet ipsi cō ” donari vis: vos verò planè contra facitis: nam ” & à vobis malè tractantur qui minus opibus valent, & si quis quid debeat vobis, vos cum

eum in vincula trahendum & coniiciendum
curatis: ac quanquam facultatibus careat, ta-
men ut persoluat vrgetis, & rigidè æs vestrum
exigitis. Si inter vos sit pauper aliquis Chri-
stianus, ne de vestris facultatibus illi erogetis,
remittitis eum ad casas nostras, vt ei eleemo-
synam largiamur.

“

S V N T præterea etiam Indi, qui immodi- Barbari a-
cain auaritiam nostram & furiosam cupidita- uaritiam
tem pertes̄i, aureum numisma aut bracteam in Christia-
manus capiant & dicant: EN Deum Christia- norū gra-
norum: propter hoc è Castella in terras no- uissimè ne-
stras venere: propter hoc nos subegerunt, ve- tant.
xarunt, pro mancipiis vendiderunt, & multa in
in nos nefanda ediderunt: propter hoc bella
& prælia inter se agitant, & alij alios mutuò
interimunt: propter hoc perpetuò inquieti,
alea ludunt, blasphemant, diris se deuouent,
litigant, furantur, alij aliorum vxores rapiunt:
denique huius gratia nullum sceleris aut libi-
dinis genus prætermittunt.

I P S E sacerdotem cognoui, Guattimalensi
episcopo in primis acceptum, qui per illos In-
diæ pagos venale vinum circumferens (quan-
quam id Præsidum & Gubernatorum edictis
prohibitum esset) breuiore quam sex mēsiūm
spatio vigintiquinque millia Regalium lucra- Monacho-
tus esset. Sunt præterea monachi qui palam &
interdiu ea flagitia committunt, quæ alios vel rū nefar-
noctu perpetrare puduerit. De vitiosis, non
de probis hic loquor: quanquam etiam Fran- dæ libidi-
ciscanus quidam publicè clamaret, nec sacer- nes in Ia-
dotem, nec monachum, neque episcopum in dia.

tota India ullum existere viri boni nomine dignum. Quippe omnes se dedere avaritiae, atque ubi Indos diuitiis abundare inteligerent, eò omnes confluere certatim: ubi vero inopes essent, ea loca omnes fugere. Monachus ille, quum San-petri esset, Capitis Fonduren-

Veritas o- sis vrbe, proximum nauium traiectum exspe-
dium pa- ctans, ut in Hispaniam transmitteret: propter
erit. hæc verba, Superioris sui mandato, captus &
Guattimalam abductus est. Ipse quoque sa-
cerdotes inter se confabulantes & profitentes
audiuisse me memini, Se ad quæstum facien-
dum, non aliam ob causam, ex Hispania in In-
diam traiecerisse.

N V N C quod ex Monacho quodam, quum
Indi His- Comaiaguæ essem, auditum habeo, referam.
panorum consuetu- Is mihi retulit cognitum à se Indum reguli
dine cor- cuiusdam filium, acutissimi ingenij hominem,
rumpun- qui quum adolescens in ludum itaret, ibique
e. II. legere ac scribere disceret, nemo erat qui non
existimaret eum ita virtute ac doctrina præ-
stantem inde euasurum, ut ceteris vitæ exem-
plo præiret. Sed ut trigesimum ætatis annum
attigit, contra quam omnes exspectarent, in-
de impurus, nequam & sceleratus rediit.
Interrogatus cur è bono improbus euassisset:
„ Ex quo (inquit) Christianus sum factus, per
„ Dei nomen iurare & per Crucem, & per ver-
„ ba sancti Euangelij: ac per Dei vitam blasphe-
„ mare didici: eumque abnego, nec credo. Alea-
„ ri præterea didici, & verum nunquam elo-
„ qui: ensem ius super mihi comparaui ad ciendas
rixas:

rixas: denique, vt planè ritu Christianorum viuam, nihil iam mihi præter concubinam deest, quam breui me dōmum ducturum spero.

Quod mihi ipsi vñuenit, commemorabo. Reprehenderam fortè Indum aleæ & blasphemis deditum. Ille mihi cofestim: Nos, inquit, ex vobis ipsis hæc exempla didicimus. Ac certè qui ita flagitiosè viuunt Indi, ex iis ferè sunt, qui apud nonnullos Hispanos educati, quibus nullum studium est, præterquam alca ludere, blasphemare, & eiuscmodi alia facere, domestica consuetudine eorum moribus facillimè assueuerunt. Atque hæc ferè sunt miracula & prodigia, quæ Hispani apud Indos edidere.

MULTI præterea Indi alij reperiuntur, quos si interroges, An Christiani sint: respondent, Se esse: quippe Episcopum signaculo Crucis eorum faciem signasse, & benedictionem suam ipsis impertiuisse: se templum ædificasse, atque intus B. Mariæ imaginem collo-
Christia-
nismum
in frigidis
ceremo-
niis situm
etiam Sac-
bari ipsi ti-
dent.
çasse, postremò campanam comparasse. Fortè aliquando ipse quuin ab Indo sciscitatus essem, An Christianus esset: tum ille, Num tu vis me, inquit, per decem aut duodecim annos seruum esse Episcopi, & curare suam mulam?

ALII eadem de re interrogati dicunt, Sibi quater aut quinques caput aqua à sacerdote conspersum. Isti tales, simul ut sacerdotem aliquem aut monachum venientem conspicunt, tum confessim obuiam accurrentes,

„ Pater, inquiunt, irrorate mihi caput aqua, quia
 „ volo esse Christianus, etiam si iam alias bapti-
 „ zatus fui. Ita initio ab uno facto, cetera
 plebs quo pergit ignara, vniuersa concurrit.
 Id ferè vsuuenit iis locis ubi Indi pauci & pau-
 peres sunt, & inter quos nulli nec sacerdotes
 nec Fratres resident. Ceterum inter mona-
 chos nonnulli etiam reperti sunt, qui istos ba-
 ptisare nollent, quum dicerent, Perinde esse
 Indum baptisare, ut brutum aliquod animal.
 Alij è Castella in Indianam transgressi, ibique
 moribus & exemplis tum Hispanorum tum
 Indorum inspectis, vtrosque pariter miseran-
 tes, retro in Hispaniam ad sua coenobia reuer-
 si sunt.

I QVOD facile inter omnes constat, omnium
 propè Indorum Occid. maximè ab humanitate a-
 lieni sunt Brasilienses barbari. Quæ tamen sit eorum
 de Deo notio, quæ laudum & præceptorum Dei
 Nauig. admiratio, ex Lero nostro cognoscere operæpre-
 Brasili. ca. tium est. Is ergo de Tououpinamboultijs America
 „ gente agens, ita scribit: IN T E R cetera, (inquit)
 „ dicebamus illis nos credere in unū Deum, crea-
 „ rem cœli & terræ, qui ut orbem & quecunque in
 „ eo sunt, coniddit, ita omnia pro arbitrio gubernat.
 „ Illi ubi hec audierant, alijs alios intuentes, & in
 „ hæc vocē (quæ admirationis nota ipsis familiaris
 „ est) erūpentes, Teh! defixi & stupefacti habebant.
 „ Et paulo post: Quum fortè aliquando, inquit,
 „ cum alijs Gallis aliquot in quodā barbarorū pa-
 „ go esse, (Okarentin ipsi appellant) & in aperto
 „ ac propatulo cœnaremus: cōfluentes Barbari eius
 vici

vici incole, maiores natu præsertim, cum multis
 benevolentia signis, circumfusi, neque vel mini-
 mo verbo dicentes interfatu, nos attentè & tacitè
 intuebantur. Donec peracto coniuio, magno na-
 tu quidam, quum obseruasset nos ab hymno cibum
 auspicatos, hymno quoque cœnam clausisse, acce-
 des, ita infit: Quid sibi vult hic ritus quo vos mo-
dò usi estis, cùm sublati pileis omnes, præter unū
qui loqueretur, silentium tenuistis? Ad quem per-
tinebat ea oratio quā ille habuit? Vestrumne pre-
sentium ad aliquē: an ad absentium? IB I ego op-
 portunè oblatam eam occasiōnē arripiēs, ut apud
 eos de vero Dei cultu loquerer: quum præter eius
 pagi amplitudinē & frequentiam, Barbaros etiā
 solito attētiores animaduerterē: rogare Interpre-
 tem nostrum ut suis verbis, meum illis sermonem,
 quoad capere ipsi possent, explicaret. Tum à que-
 stione senis exorsus, Preces nostras ad Deum di-
 rigi respondi: cūmque, etsi sub ipsiis conspectum
 non caderet, non tātum liquidè audiuisse nos, sed
 etiam quidquid pectore occultum haberemus, id
 perspicue cognoscere. Inde ad Creationem mundi
 delapsus, in primis laboravi ut dicerem, hominem
 nobilissimum inter creaturas à Deo esse cōditum,
 ut eo magis celebrande opificis sui gloria studeat.
 Ac nos quidem quid ipsum coleremus, eius manu
 infinitis periculis longissime nauigationis in tam
 vasto mari eripi: eiusdēmque ope fretos, ab omni
 prorsus Aignan metu (Dæmonem ita appellat, à
 quo subinde vexātur) tum in hac tum in ventura
 vita esse liberos. Quare si Caraibū suorum impo-
 sturas, & barbarum mandandæ humane carnis
 morem abijcere vellent, eadem prorsus Dei dona

" consequituros, quæ nos habere cernerent. Multa
 " præterea de humani generis labo ac ruina, ut eo-
 " rū animos ad Christum præparemus subiecimus:
 " quo ad eius fieri potuit accommodatis ad eorum captū
 " rationibus & exēplis, quæ in præsens fusus exse-
 " qui super se deo. Illi cū nos ingenti cū admiratio-
 " ne duas amplius horas peratiētē auscultassent: tū
 " unus ex ijs autoritate & atate grauis, in hūc mo-
 " dum differuit: M I R A equidem, optima, & nobis
 " non ante audita hīc dixistis. Ac vestrā quidem o-
 " ratio mihi in memoria redigit, quæ nobis sepe a-
 " uos nostros narrantes audiūimus: Nēpe iam inde
 " à prīscis temporibus & tam multis abhinc Lunis
 " quot iam meminisse nō possumus (quippe illi Lu-
 " narum numero aut vicibus, nō mēsibus atque an-
 " nis, temporum sp̄atia definiūt) venisse in has ter-
 " ras quendam Mair (id est Gallū, seu qualibet a-
 " lia ē gente adueniam) vestro more vestīū & bar-
 " batum. Atque eum, vt ipsos sub Dei vestri obse-
 " quium duceret, eadē oratione apud eos esse vsum,
 " qua nos hodie affamini. Sed, vt nobis quoq; à Pa-
 " tribus per manus traditū est, eos illius verbis fidē
 " adhibere noluisse. Itaque mox successisse aliū, qui
 " Ensem, symbolū maledictionis, illis traderet. Inde
 " sequuta inter nos bella, neque ex eo mutuis cadi-
 " bus alij in alios fœuire destitimus. Nūc vero, post-
 " quam diuturno usu his assueuimus, si nunc repētē
 " auitum morē exueremus, apud vicinas gēies lu-
 " dibrio & derisiū essemus.

" HIC nos summa contentione ac vehemētia te-
 " stari, cātum abesse, ut finitimorum ludibrijs moue-
 " re eos oporteret, vt cōtrā, si summum illum celi &
 " terra opificē serio colerent, de omnibus, qui ob id
vltro

ultra molesti essent, victoriam referrent. Postremò
 eām ierbis nostris efficaciam addidit Dominus, cc
 ut non multi tantum Barbarorum, ad eam quam cc
 ex nobis didicissent legem, deinceps vitam com- cc
 posueros, nec cæsorum hostium carnes ultrà estu- cc
 ros, se promitterent: sed secundūm hoc Collo- cc
 quium, positis humili genibus, nobiscum Deo gra- cc
 uas agerent. Ea oratio, quæ ab uno è nostris cla- cc
 ra voce in medio eorum cœtu ad Deum conce- cc
 pta fuerat, mox illis per interpretem exposita cc
 est: nos ab illis in pensilia è bombyce cubilia, cc
 dormitum deducimur. Sed nondum nos somnus cc
 corripuerat, quum ecce istos cantantes & conclu- cc
 mantes audimus, Sumendam de hostibus ultio- cc
 nem, & plures quam antea esse mandendos. Enī cc
 inconstantiam miseri huius populi, & humanæ cc
 naturæ triste exemplar. Mihī tamen equidem cc
 persuadeo, si Villagagno nunquam à vera religio- cc
 ne desciuisse, & nos diutius in illis terris morati cc
 essemus, fore ut aliqui tandem Christo lucrifieret.

Hactenus ille.

Vnde perspicuè appareat, semen aliquod Reli-
 gionis inesse illis gentibus, sed eas à Principijs
 illis naturalibus ad absurdissima commenta &
 fēdos mores partim insita vanitate, partim malis
 Christianorum exemplis, facillimè deficere.



Indorum pertinax Idololatria. Didaci Lopez epistola,
Ecclesiasticorum & Iuridicorum Hispanorum
in India Occid. mores ac virtus gra-
phicè depingens.

C A P V T X I X.

VVM Guattimalæ essem, ac sæpe in S. Francisci monasterium cominearim, amicitiam cum quodā mònacho contraxi (Franciscus Betanzus is vocabatur, experiens homo, & multo omnium earum prouinciarum vñi, tum Guattimalæ tum Nouæ Hispaniæ, peritissimus, qui etiam duo Indica idiomata apprimè calleret & loqueretur.) Quum ab eo aliquando suam ea de gente opinionem percontarer, præser-tim in iis quę ad fidem nostram spectarēt: mihi respondit, Eorum ferè tum natu grandes, veteri sūæ Idololatriæ pertinacissimè esse affilios, tuin maximè Sacerdotes: ac sæpenumero Hispanorum exēplis alitur. & sacrificia diis suis facientibus. Itaque necef-sariò eorū filios, vt temporis spatio Religio-nem nostram imbiberent, à parentibus atque auis suis segregādos esse, & ab eorum consue-tudine quamdiutissimè remouendos: ne illos postquam ex ephebis excesserint, præposterioris moribus suis imbuant. Postremò addit, eos quoque qui baptizati essent, nihil ferè habere Christiani præter nudum nomen.

Ex-

EXINDE quum inter commentandum(vt fit) in penitiores de specialibus rebus sermones paulatim delapsi essemus , & ex eo multatum de moribus Hispanorum , tuin de earum prouinciarum regimine percontarer: atque ille me in rebus Indicis inuestigandis curiosum animaduerteret, epistolæ cuiusdam exemplar, legendum mihi tradidit. Eam Baccalaureus quidam ipsius familiaris , Didacus Lopez de Zunega, ad Episcopum, Præsidem & Asseso- res Guattimalæ conscripserat, durius nimirum ab istis coercitus & malè habitus, quòd eorum vitia & flagitiosos mores verbis liberiùs perstrinxisset. Quum verò eam apertam misisset, descripserat ex autographo monachus , à quo & exemplum infrà scriptum desumpsi. Eius autem sententia hæc erat:

Ex quo me fortuna per orbem terrarum agitare cœpit, Regna aliquot & prouincias per agrando emensus sum, & nusquam non noui aliquid & inusitati confspexi. Verùm ex quo fors mea permisit vt in has Indię regiones, que Aureæ appellantur, & virtutis omnis expertes sunt, traiicerem : tot tantaque nequitiaz exem-
Hispanu-
rum præ-
fertim Ec-
clesiastico
rum, in In-
dia mores
depingit.
 pla vidi , vt neque eis enarrandis lingua mea, “
 nec cogitatione complectendis animus meus “
 par esse possit. In iis ferè pessimū hoc animad- “
 uerti , quòd inter vos nulla iustitia , nulla vir- “
 tus, nulla bonitas, nulla castitas supereft: quin “
 omne quum vestrum studiis partium, simulta- “
 tibus, perfidia, vanitate, rapinis, dissidiis , inui- “
 dētia, odiis, aleis, lustris, blasphemias, intestinis “

” bellis, luxu, auaritia aliisque pessimis libidinibus miserè consumptis. denique qui vestrum
 ” optimus habetur, quanto se is ceteris præstare putat, tanto est omnium deterrimus. Summa
 ” quidem cura notaui ac comperi maximā partem vestrum, quotcunque in Indiani venistis,
 ” tales esse vt , non dico cælum atque Angeli,
 ” sed terra & dæmones ipsi vos exosos inuisosque habeant. Ac pro certo habete, quēadmodum
 ” dum tyrannica multa facta per vim perpetratam, ita Christum permisurū vt seruū omnium
 ” per ius euadatis.

” Eivs rei exempla & clara documenta si
 ” quæritis, historias Græcas Latinasque euoluitate, Romam caput & decus orbis considerate,
 ” Athenas & Spartam , bonorum omniū legum
 ” ac morum lumina,intuemini , multasque alias
 ” ciuitates & regna , quorum vix hodie vestigium ullum , ac ne memoria quidem ipsa su-
 ” perest. Si tantæ ciuitates periere , tot opibus
 ” dotibusque florentes , ac tantorum Princi-
 ” pum mentibus viribusque administratae , vo-
 ” bis scilicet talibus, velut eximiis, Deus peper-
 ” cerit ? An putatis Dei bonitatem ac patien-
 ” tiam passuram vt per omne æui tempus tantis
 ” induiti vitiis , & tot sceleribus demersi perma-
 ” neatis ? Nonne iudiciis admodum obtusis &
 ” occæcati estis ? Scilicet creditis Indos Chri-

Barbari Christianos futuros, si vos ipsi non estis , nisi forte
 bonis exē- plis quam nomine ac titulo tenus ? Frustra id quidem.
 cōmodis verbis, ma gis monē- tur. Nam multo efficacior (mihi credite Domini
 (mei)ad brutas illas gētes fuerit vel vnius diei
 honesta vita & bonum exemplum , quam
 conti-

cotinuæ integri anni lectiones & doctrinæ. “
quid enim refert odoriferas rosas ad plebem “
ore & lingua spargere , si mox spinosis ma- “
lorum operum aculeis illam pungitis & ve- “
xatis?

N O N N V L L I dicunt quòd vestra Sancti- “
tas, domine Episcope , satis boni facit : sed vi- “
dete ut bene etiam illud faciatis. quippe repe- “
riuntur qui & quod alioqui bonum est malè “
faciant: & vestra Sanctitas ex eo grege est. “
Nam quos vestire debebatis , eos spoliatis: “
quod amarum est, dulce, quod dulce est, ama- “
rum dicitis: mendaces & falsos diligitis : eos “
qui vera loquuntur, odio habetis: aspernmini “
bonos, & turpes probrosóisque honore affi- “
citis : vitiosis fauetis , & vexatis honestos. “
Denique de alieno valdè liberales estis , de “
vestro parcissimi. **Q**uid dicam amplius? “
Nempe hoc, vos multo ad remigandum in “
triremi aliqua , quàm ad id munus gerendum, “
aptiores esse: idque affirmare ausim , vestræ “
Sanctitati plus esse virium ad tractandum re- “
mum quàm virtutis ad gubernandum Epi- “
scopatum.

A L I I dicunt, quòd vestra Dominatio “
multo honore decorata atque honestata est. “
Sed mementote Senecam dicere , Stultorum “
laudem à sapientibus haberi pro argumento “
infamiae: quia quidquid stulti cogitant , va- “
num est: quidquid loquuntur , falsum: quid- “
quid damnant , laudabile: quidquid appro- “
bant, malum: & quidquid laudant, infame:

„ denique quidquid agunt & moliuntur , nihil
 „ nisi amentia est . Sed laudari & honestari ab iis
 „ qui ipsi honore digni sunt , is demum verus
 „ honor est : summum vero & præcipuum de-
 „ cus , placere Iesu Christo .

„ CETERVM accepi à nonnullis patientiam
 „ quam in tolerandis ærumnis meis adhibui ,
 „ vestræ Dominationi plurimum admirabilem
 „ fuisse : sed , vt ingenuè dicam , vestræ admiratio
 „ mihi plurimum admirationi fuit . Nam rerum
 „ perperam gestarum pœnitentia & dolor è sa-
 „ pientia oritur : sed bene & honestè factorum
 „ immodica admiratio non aliunde manat ,
 „ quam ab exiguo iudicio & minore vsu . Quip-
 „ pe vos id fugit , Nos cum Christo crucifigi

^{Episcopi} oportere , quantum adhuc mundum attinet ,
^{hodie in} Papatu si velimus in futuro vnâ cum eo æterna gloria
^{quiduis a-} perfrui . Vos ignoratis luculentam illam Pauli
^{liud sciunt} & agunt Apostoli sententiam in posteriore ad Timo-
^{quā quod} theum epistola , Omnes qui piè viuere volunt
^{sui mune-} in Christo Iesu , in hoc seculo persequitio-
^{2. Tim. 3. 12} nem passuros . Nescitis , quod corpori damno-

„ sum est , id animæ esse utile : nescitis , regnum
 „ cælorum non acquiri cursu taurorum , non lusu
 „ arundinum , nō arca inclusorum nummum &
 „ auri copia , non seruorum fodinas exercen-
 „ tium ingentibus familiis (quales vestræ do-
 „ minatio multos adhuc habet) non dolis , non
 „ astu , non mendaciis : verum persequitione , in-
 „ firmitate , carcere , vinculis , paupertate , fame ,
 „ siti , infamia , ingratiiis , exiliis , tormentis , variisq.
 „ ærumnis , quæ assiduè vitam mortalium obsi-
 „ dent & exercent , eò perueniri . Eas vero res si
 vestræ

vestra Dominatio ignorat, quod facile equi-
dem credo, annumerare vosmet potius bestiis
quam hominibus potestis.

M V L T A præterea sunt quæ à me dici pos-
sent, tum de vestra Dominatione, tum de ipsis
etiam Præsidibus. Sed ciuscemodi rerum tanta
est copia, vt verear, ne me de iis scribere ag-
gresum tempus ipsum & charta deficerent.
Quare verbum non amplius addam. Data
Trugillij, x x. die Maij, Anno M.D.LII.

Didacus Lopez de Zunegua.



Ceratum, integrum Iudicem, Hispanorum flagitiis obuians
ire studentem, mors intercipit. Iudicum
onerosum manus.

C A P. X X.

V V M primò iui Guattimalam, ibi
tum Præses erat licentiatus Ceratus.
Is ille erat Ceratus qui in Dominicā
Edictum regium de libertate Indo-
rum tulerat, vti superiū diximus. Eum tunc
Cæsar amotum Insula regendæ illi prouinciae
imposuerat: de quo vere hoc possum testifi-
cari, nunquam in vniuersa India eo meliorem
nec sanctiorē fuisse Iudicē: nec qui iusta edicta
mandatāque regia rectius obseruaret, semper
procurando ne Indi ab quoquā Hispano in-
iuria vlla violarentur, aut haberentur duriūs.

Ceratum Hispanum iudicem Hispanorum contumaciae saepen vmero suoru contumaciam arrogantiā inque expertus quod indigenarum salutein procuraret, pertaesūsque, optare solebat ut Deus eum à tam peruerso hominū generē liberaret. Dicebatque si Deus traiicere in Hispaniam ipsi concederet, se Regem monere velle, ne deinceps sacerdotem ullum transmittere in Indiam pateretur, propter flagitia eorum & intemperantissimas libidines. Sed morte praeuentus, quod in animo habebat præstare non potuit.

ITAQVE successor ei alter Mexico missus est, Doctor Chesada: qui duobus post mensibus, quam Guattimalam venerat, vita concessit. Quimque ægrotantem monachi aliquot consolarentur, dicendo, Domine Præsidens esto bono & hilari animo: aliisque eiusmodi pro tempore subiicerent: ille excipiens, Ah quā fieri potest, inquit, vt is hilari animo sit, cui tot rerum ratio ipsi Deo reddenda est?

HOC dictum memorabile, huic loco inserere operæ pretiū visum est, vt inde sibi exemplum sumant Iudices & Magistratus: id est, vt perinde iudicent de aliis, qualiter à Deo de se iudicium ferri volent: atque ita bene subductis sui muneric rationibus ex hac vita exeant, vt in futura æternū non plangant.

I INSIGNE Ludouici cognomento *Dini*, Galliae Regis, exemplum in eam sentētiam exstat. Is enim cū forte aliquādo ex Psalmis Davidis preces ad Deum cōciperet, interuenit aliquis, qui pro reo quodā capitalis criminis gratiam peteret. Rex, quasi aliud agens, annuit. Mox verò quum incidisset

incidisset in versic. Psal. 106. ibi, Beati qui faciunt iustitiam in omni tempore: tum protinus reuocari iussit eum cui gratiam concesserat, eamque irritam fecit: memorabilis edita sententia, Principem qui punire potest crimen, nec punit, non minus coram Deo reum esse quam si id ipse perpetrasset. Pietatis esse opus, non scutum, iustitiam facere. Annal. Gall. Sed in primis memorabilis Oliuarij Galliae Cancellarij casus & exitus, judicib. documēto esse debei. Is cum tristem in pios viros, qui Cabrerius & Merindolijs Provinciæ oppidis puram religionem exercerent, sententiā latā suffragio suo contra conscientiæ iudicium approbasset: ac postea veritatis cognitione inbutus se penumero fassus esset cū lachrymis se meritò ob id à Deo reieclum: tamē in tumultu Ambosiano precipiuus inter eos judices sedit, qui multos pios ac strenuos viros, tyrannico peregrinorum ingo & Regē ipsum & populum Gallie liberare fortius quam felicius molitos: velut perduelles, reluctate conscientia, dānarunt. In iis cū Petrus Campagnacus, literatus adolescēs, ad causam dicendā productus esset: Cancellarius, eo neque auditio neque interrogato, Suspendite, inquit, suspendite hunc hominem. Quid? suspendite, ait Campagnacus. Facile tibi quidem id dictu est. At si tu, ex quo id factis es promeritus, suspensus es, iam ante triginta annos pauiisses coruos, nec tot scelerū minister fuisses. Recordare mecum, quid admiseris quum Pictauij furi ciuali operam dares. Nū te eo tempore unum ē cōtubernalibus tuis sceleratè interfecisse meministi? atque inde in tantum patris odium venisse, ut ex eo te in conspectū suū venire vetuerit? Ac re ipsa quidem

Arquinuillerius quidam, Oliuarij tum socius, perditus nebulo, propter hoc facinus Lutetiae suspensus fuerat. Ad haec verba adeo perculsum memoria facinoris Oliuarium fuisse constat, ut obruto mæmore & insania animo, & inde graui morbo implicitus, horribiliter aduersus Deum ipsum fremeret. Tanta interea aegritudinis & horroris vehementia, ut quanquam defecto corpore & assiduis morbis debilitato: phrenetici tamen instar aut robusti alicuius adolescentis, totum cubile concuteret. Ita agrotantem inuisit Cardinalis Lotharingus: sed Oliuarius, quum suos eius aduentu cruciatus augeri sentiret facessere properè cubiculo iubens, ne ipsius quidem conspectum pati potuit. Ut verò paulò longius semotum animaduertit, tum altius ingemiscens in has voces erupit, Ah, Ah, Cardinalis, tu nos omnes in aeternum exitium trahis. Tum accedere ad agrum Cardinalis, & consolando ultrò spiritus eius mitigare: Eum videlicet tentari, inquiens, ab immundo spiritu, sed in fide perstandum esse. Egregie, inquit Cancellarius, egregie, scilicet quasi hæc tu credas. Inde aspectum eius auersatus, & nihil eloquutus ultrà, paulo post vita concessit. Inter lento: cruciatus, Annae Burgi senatoris integrissimi (cuius iudicio, Cardinalis præcipiti iussu rogatiique victimus, subscripterat) mortem præcipue deflebat. Hæc est merces Iudicium, quibus Aulice gratiae fumus, sua conscientia potior est.

TER-

TERTII LIBRI SVMMMA
ET ARGUMENTVM.

* * *

HISPANI, subactis, aut certè tentatis Indicæ cōtinentis oris aliquot, Castella Aurea, Noua Hispania, Nicaragua, Iucatana, aliisque que Septentrionem spectant: nunc quoque versas in austros prouincias affectantes, Peruanū in primis regnum ditiſimū, Pizarro & Almagro ducibus, occupat, & legitimo rege præter fas interuento, in prouinciae formā redigunt. Mox inter eos, ubi hostis defuit, fœda de principatu coorta diſſidia, bella ciuilia accendunt: ne sublatis quidem partium ducibus extincta.

INTEREA graui cum tyrannide seruitus glicit aduersus Indos: cui tollendæ, & simul componendis prouinciae motibus, mittitur à Cæſare unus & alter. Mota in virumque contumaciter arma: sed in ultimum, Proregem videlicet, præcipue, ab omnibus ferè colonis ſauitæ Edictorum offensis, Gonzallo Pizarro duce, publicū bellum fuscipitur. Prorex prælio victus interficitur. Cæſar quando vi aperta non proceſſerat, astutam aggredientam ratus, vulpem mittit in Indiam, Petrum Gascam. Is, pretio & præmiorū ſpe pelleſtis in ſe hoſtium ducibus ac copiis, Pizarrū viribus exutum & facile victum morte adficit: atque agrè compoſitus Peruaniſ rebus in Hispaniam reuertitur.

His exactis, Benzo in describendam Peruanorum religionem, mores & instituta excurrit: docetque quam Hispani non tantum de se, sed de omnibus quoque Christianis, opinionem apud eas gentes concuerint: Nimirum non esse homines ex hominum stirpe genitos, sed immanes quasdam beluas ex barbari elementis summa concretas ad humani generis perniciem. Usque adeo barbariem inter Barbaros ipsos exercuimus. Postremo librum suo ex India in patriam reditu claudit.

NOVÆ





NOVÆ NOVI ORBIS HISTORIÆ

LIBER TERTIVS.

P Fr. Pizarrus, Did. Almagrus & Fern. Luques, inita societate, expeditionem in Peruanas regiones suscipiunt. Indi Pizarrum & Almagrum male accipiunt. Illi tandem multos post labores insperatas opes incident.

C A P V T I.

A Mⁱ Franciscus Pizarrus, Dida-
cūs Almagrus, Fernandus Luques Avaritiz
inquietes &
medias in
ter opes
sacerdos Panamæ, certis partisque
opibus fruebantur, quum pro cer-
to accipiunt omnem illam oram
Meridiem versus auro, argento, eranis, & sima-
ragdis abundare. Itaque tres isti simul societa-
tem incunt, quimque inter eos re communi
consilio deliberata, sententia stetisset, nouas
terras ire vestigatum, fide inuicem accepta &
data promittunt pro se quisq; fidem ad id o-
peram collatueros: partāsq; opes, terras & gētes
subactas, ex æquo inter se fraternè diuisuros.

H i s vbi conditionibus res inter eos trans-
acta est, naues, arma, commeatus, omnia classi
ornandæ necessaria comparant. Mox ducen-
tis & viginti contractis militibus atque in na-
ues impositis, Pizarrus & Almagrus anno

M.D.XXVI. paucis aliis post aliū dieb. Panama soluunt: sacerdote ibi relicto, ut quæ ad expeditionem necesse essent, curaret. Pizarrus ea ora tercentum millium spatio pernauigata, tandem littus tenens in terram egreditur. Ibi obuiat Indi progressi ad littus, terræ aditu Hispanos prohibent, multisque interemtis, Pizarrum ipsum cum aliis aliquot saucium prælio excedere cogunt. Ipse tam inauspicato principio deterritus, Panamam reuertitur, iam suscepti consilij penitens. Diuersa in parte Almagrus flumine aduerso subiens, quod ipse S.Ioannis nuncupauit, benignè ab indigenis exceptus est, & ab iis tria amplius aureorum ducatorum millia dono data retulit. Inde ad mare secundo amne defluens, & oræ aliquantum præteruectus, in cundem fortè incurrit locum vbi socium eius male acceptum fuisse diximus. Ergo Almagrum quoque ibi egressum Indi ferociter adorti, alterum eius oculum lapide grauiter feriunt, quem paulo post amisit: maximisque militum eius partē fœde trucidant. Itaque multis amissis Panamam quoque & ipse regredi cogitur.

P O S T Q V A M èò peruenit, Pizarrum ibi niaëtus, ei significat terram ab se detectam ditissimam auri esse: itaque sibi videri de integro instaurandam classem, & denuò ad eam subigendam eundum. Quare percuratis vulneribus, cum ducentis militibus & multis Indicis mancipiis, duabus nauibus, & lintribus aliquot patriis quibus Indi singulis arboribus cauatis nauigant, portu soluunt: quinque maximis

maximis laboribus per altum eandem illam quam prius oram tenerent: non tamen eodem quo prium loco, in littus egrediuntur. Indigenæ, quum gentem illam barbatam haud satis probam esse iudicarent, strenuè in Hispanos impressionem faciunt, multisque eorum cœsis, ceteros ad naues fundunt fugantque. Hispani appulsi littoris prohibiti in Gorgonem secedunt, perexiguam & desertam insulam, quæ sex tantum mill. freto à continenti discreta est.

IB I quum ea prouincia potiri cuperent, propter ingens auri oblatum specimen, nec ad id perficiendum satis militum haberent, Almagrum ad supplementum arcessendum ire placuit. Ipse eius rei causa Panamam regressus, quanquam paulo tardius ibi moratus, cum octoginta quinque Hispanis reuersus est, & Pizarrum cum omnibus suis propè exanimatum fame reperit. Mox tamen vino, pane biscocto aliisque cibariis quæ Panama subiecta erant, refectis corporibus, inde soluentes, viginti millia pass. longius appulsi, ingenti diuitiarum spe in littus desiliunt. Sed vix egressis Indi lanceis saxisque armati superueniunt, & in Hispanos animosè gradum inferentes, interēptis aliquot, ceteros è finibus suis arcent. Hispani rem haud satis obuiam & parataim experti, in insulam desertam cōcedunt, quam, quod galli gallinacei effigie promontorium haberet, insulam Galli nuncuparunt.

PI Z A R R VS ira & dolore in eam gentem incensus, ob tot imperfectos ab ea milites, vesci suorum cædem cupiēs, socium Panamam

Mira in
Barbaris
iudicij sa-
gacitas,
qui igno-
tos tu be-
ne noſſet,

remittit, eisque negotium dat ut quam maximè
multos milites contrahat & adducat. Paran-
Hispani tem abire Almagruim plerique Hispani sequi-
milites vo- ca sua ex- volcebant, sux cupidini infensi, terramque ip-
securantur: sicut & speratas eius diuitias exsecrantes: sed
quum illis duces ipsi potestatem abeundi, imò
etiam scribendi ad suos, dare abnuerent, ne for-
tè aduersam de ea ora spargerent famam, &
nouum subsidium impedirent, remansere. Sed
ne ita quidem fama cohiberi potuit, quomodo
nus Hispanorum clades & miserias vulgaret:
scripsere nonnulli Hispani clanculum ad ami-
cos de morte suorum, de laboribus intoleran-
dis cruminisque in quas incidissent: quām mi-
sero statu res essent, poscremò de asperitate i-
psiis regionis: plurimum de Almagro & Pi-
zarro quarentes, quod plerique ipsorum mor-
bis impliciti, quum Panamam ad curanda
corpora regredi vellent, liberum commicatum
ab iis impetrare non potuissent.

F O R T E paulo antè quām Almagrus Pa-
namam appelleret, ei prouinciae Petrus Flu-
mineus (vulgo *de-los Ríos*) impositus fuerat.
Is tali de Hispanis nuncio accepto, subito do-
mesticum quēdam suum ad insulam Galli ex-
pedite ire iubet, ac Pizarro edicere, graui con-
stituta pœna, ne quemquam Hispanum inui-
tum ibi detincret. Pizarrus ex eo Gubernato-
ris mandato ingenteim cepit dolorem: quum
maxima pars Hispanorum qui cum eo erant,
insula excederet. Ceteris qui remanserunt,
(quatuordecim erant, omnes ferè sodales
nautici) plurimas gratias agit, ac spe ingenti-
splendi.

splendidisque promissis onustos rogarunt patienter durare aliquot dies vellent, donec Almagrus cum nouo subsidio rediret. Ergo dies aliquot in insula tolerant, ostreis, cancris & piscibus vescentes, donec tandem ab Alma-
gro nauis commeatus subuehēs venit: sed sine militum supplemento, propter improsperam famam quæ de ea ora Panamæ increbuerat.

Dura miseria, nisi quod inter omnia auri famae durissima est.

In ea insula Pizarrus aliquandiu moratus & cum eo pauci illi, in summa rerum omnium angustia sine ulla auxiliij spe, postquam diu multumque inter se consultassent quid factō esset opus, tandem communī consilio oram eam præterlegendam esse statuunt, siquæ fortè ipsis diues & prospera regio occurreret. Quingentū millium spatium emensi, quum Chiræ Peruani regni prouincæ littus teneant: ibi exscensu in terram factō, pauca indigenarum pecora & Indos adolescentes aliquot exiciunt, qui linguam Hispānicam discerent.

In dē Tumbesiam regressi, de magnis videlicet eius populi opibus ab Indis edocti, quum ad tentandum terræ aditum non satis animi Hispano cuiquam esset, propter ingentem Indorum multitudinem, qui per omnē spatium littoris effusi conspiciebatur: Petrus quidam, Creta insula ortus, periculum vltro ipse facere statuit. Itaque machæra oblonga, ex iis quæ ambabus manibus tractantur, armatus, in littus egreditur. Non parum admirationis incusit indigenis barbati

hominis tunc primùm à se visi species: ille intrepidè per medios progressus, ab eius oræ Præfecto comiter & honorificè excipitur. Mox ab eo in turrim præfidiariam introductus, in qua templum Soli dicatum inerat, postquam id tantis opibus, quantas vix animo caperet, exultum ornatuumque conspexit, in admirationem adeo defixus stupefactusque has sit, ut ea per somnium intueri se duntaxat crederet. Ad portam animalia quædam specie leonum & duos tigres, sed innoxios, reperit. Quimque abeūtem aliquot aureis emblematis & monilibus Præfectus donare vellet, Cretensis, velut talia aspernaretur, abnuit, dissimilans se ea quærentem in eas terras venisse. Regressus ad nauim, quæ & quanta viderit refert.

I FRANC. PiZarrus, is est quem Hoieda Uraba decedens, legatum suis militibus præfecerat. supr. lib. I. cap. 19. Tum vero, quum fortunam sibi ipse laboribus, aut, ut maxima pars Hispanorum militum qui tum in India erant, rapinis, fecisset, Paname in re ampla & lauta erat. Fernandus Luques, schole cantorum primicerius (ut vocant) diues, ibi etiam manebat. Is postea exhaustis in quæsitu Peruani regni pecunijs, & eo inuento ab socijs exclusus, Pazzo vulgo vocatus est, id est stultus, quod fortuna bene uti & certis iam opibus fru nesciuisset. Gom. Hist. gen. lib. 4. cap. 1.

¶ PiZar-

Aurus
callidè vi-
tia sua dis-
simulans.



Pizarrus, missu sociorum, in Hispaniam ad impetrandam
repertæ prouinciae subigendæ potestatem, nauigat. Sibi soli
impetrat. Almagrum ab se alienat. Mox reconciliati, ter-
tium socium extrudunt

C A P. II

NCREDIBILI gaudio Pizarrus perfusus, quod in tam diuitem oram incurrit, exemplò signo abeundi pronunciato, in Panamam vela dat.

Ibi sociis Chiræ felicitatem & Tumbesiæ oræ diuitias aperit. Illi quum superfundenti se- se lætitiaæ quantam vix animo caperent, tem- perare non possent: ambo, Almagrus videli- cet & Fernandus Luquez, Franciscum Pizar- rum mittere in Hispaniam statuunt, qui à Cæ- sare Tumbesiæ subigendæ potestate pete- ret. Verùm à pecunia imparati, cōsumptis vi- delicet in earum terrarum quæsitu fortunis omnibus, mille quingentos ducatos aureos ab amicis mutuos sumunt, & ad sumptus illi e- rogan. Pizarrus in Hispaniam appellit, Sena- tum Indicum adit: & oræ à se nuper repertæ indicem & relationem exhibit: simul sumptus à se in ea factos & labores exhaustos referehs, atque ingentes diuitias regiæ Castellæ coro- næ pollicitus, Tumbesiæ potiūdæ facultatem regiménque sibi tantùm postulat, nulla socio- rum mentione addita. Quæcunque petierat obtinet. itaque diplomate in eam rem à sena- tu scripto, à Cæsare cōfirmato, instruētus con- tractis aliquot militibus, è portu San-lucari

Pizarrus
societate
fraudat

de Barrameda cum quatuor fratribus, Ferdinando, Gonzallo, Ioanne Pizarro, & Martino de Alcantara, vela in altum facit.

Dissidio
sū Pizarri
& Alma-
grī initia. Q[uo]d v[er]o in breui secundo vento usus ad Nomen-dei, atque inde Panamam peruenisset, magnificè à sociis exceptus est: sed mox ut illi resciueré sibi tātūm Pizarrum in Hispania negotiatum, suis priuatim rebus, non communi- ter societati prospexit, æquis oculis eum deinceps intueri non potuere: Almagrus præ fertim, qui tot sumtus à se & maiores quam à Pizarro factos reputas, & exhaustas facultates, & tres totos annos in ea expeditione consumtos, & amissum oculum: & super hæc etiam ut pecunia ab semet mutuò accepta, Pizarro ad impensam præbita esset: vt is ad vniuersæ societatis utilitatem, non suam vnius, procurandam in Hispaniam missus fuisset, memori animo reuoluens, impatientissime id factum & implacabiliter ferebat. Pizarrus mitigare ultrò eius spiritus conabatur. Se nihil videlicet à Cæfare impetrare potuisse causatus, præter Tumbesiæ subigendæ potestatem: bono tamen interea Almagrus animo esset. quippe fidem suam ipsi obstringere, daturum se operam vt & ipse aliud aliquod imperium in eadem prouincia obtineret. Adhæc quum esset inter eos societas, posse ipsum, tanquam summum Gubernatorem, de rebus omnibus pro arbitrio & pari secum iure statuere. Sed parua eius verbis apud Almagru fides: immò etiam iste ob hæc nugarum ludibria multò aduersus eum indignatior, palam dicere, Pizarrum falsum & perfidum esse.

DENIQUE quum aliquot dies in his simultatibus & iurgiis consumfissent, Pizarrus tādem necessitate magis quam voluntate ad ductus: quum se videlicet sūptibus exhaustum & pecuniis ac commeatu vacuū (quibus contrā abundare Almagrum , nec quidquam erogaturum ob discordias intelligebat) quum se, inquam, nisi cum Almagro in concordiam rediret & ab eo numinis iuuaretur, prouinciam, suam tardius initurum cogitaret: doctorem Gamam rogit ut inter ipsos concordiam reconciliat. Quid multa? istius interuentu in gratiam inuicem redeunt: iubet doctor Almagrum Francisco Pizarro arma , equos , & quidquid commeatum prouisum haberet, & pecuniæ insuper certam summam tradere. Pizarrum verò vicissim quoscumque honores & dignitatum ornamenta à Cæfare accep- perat, ea cum Almagro participare. Ita conditionibus & pactis redintegratis, terrio socio Hernando Luque excluso, pacem & concordiam denuo inter se ineunt: ac faniendis artius promissis consecratam Hostiam sumentes iureiurando firmat se integra fide mutuam amicitiam ad mortem usque inuiolatam conseruatuos.

HIS ita transactis, Franciscus Pizarrus cum centum quinquaginta militibus & equis multis, Panama moliens, Almagrum cum quanto posset maximo subsidio quamocystimè subsequi iubet. Inde Colonchiam appellit prouincia Guancaulichiæ portum, vnde in Panam insulam transgressus à Præfecto peram-
ij

Pizarrus
& Alma-
grus iure-
jurādo a-
amicitiam
cōfirmat,
sed quod
mox vio-
lent.

cè exceptus est. Verùm vt ille fœda nefandáque Christianorum facinora expertus est, per singulas domos aurum & argentum quæren-

Hispani tium, fœminas ad stuprum rapientium, ceteris præclaris râque perpetrantium quæ à militibus fieri a-factis Pu-nensium mant: cum valida Indorum manu Hispanos ex animos ab tota insula expellere nititur. Sed quum im-
pressionem ab hostibus ex aduerso factam ferre non posset, cum multa suorum iactura, sil-
uas fuga petiit. Pizarrus crudelissimè victoria
vſus, cum multis Hispanis in Tumbesia con-
tinentis oram L. mill. interuallo ab insula di-
stantem traiicit.

S I M V L A C continentem attigit, indigenæ auditis, quæ Hispani in Puna perpetrarant, in arcem aliquantum à mari distantem confugiunt. Pizarrus prouinciæ Gubernatorem per nuncios arcessit, eius amicitiam multùm se appetere testatus: is verò non tantùm ire abnuit, sed etiam hostiliter omnibus viribus insultans ei quanta maxima damna potuit intulit. Itaque Pizarrus noctu flumen transgressus cum parte copiarum, præeuntibus peritis itinerum ducibus, spinas, saltus & asperrima quæque locorum penetrans, hostes incautos & somno solutos opprimit. Mox ingenti eorum cæde facta, Tumbesiam reuertitur, vrbemque captam totam diripit, & omnibus ornamentiis delubrum Solis spoliat.

I Tumbez, seu Tumbesia Peruani regni ora maritimæ prouincia, non procul ab Äquinoctiali linea Meridiem versus, & Indorum urbs eiusdem nominis, mox Hispanorum colonia, xii. leucis à

Puna

*Puna insula distans: unde Pizarrus Peruana-
rum opum primum specimen precepit.*

2 *I*d ab illis, secundò rupta concordia, & de-
nuò reconciliata, factum scribit Gomara: atque
horribili iureuando sanctum ab Almagro no-
num illud fœdus, nempe: *V*ter prius fœdus rupi-
set, tum ut Deus illius corpus anima que ad in-
feros detruderet. Sed ambitio auaritiæque omnia
sacra iuxta ac profana proculcant.

3 *P*una insula ex aduerso Tumbesi & prouin-
ciæ sita, duarum leucarū freto à Continēti discre-
ta, *X L V I I . m i l l . p a s s .* in circuitu amplectitur. Ho-
die San-iacobi insula ab Hispanis vocatur.



¶ *A*ttabaliba Peruanus Rex, finibus suis Hispanos excedere
iubet. Pontificem Rom. non agnoscit. *V*elut neglecti
*E*vangely reus, vi ab Hispanis capitur.

C A P. I I I.

DE eos dies Attabaliba, i Peruanæ
prouinciæ rex Cassiamalca erat. Is
auditio peregrinā gētem barbatā in
suos fines ingressā cū terribilibus quibusdā ac
prodigiosis animalibus omnia loca percurre-
re, & cedibus ac latrociniis infesta facere: lega-
tum ad Franciscum Pizarrum mittit, minitans
nisi subditos suos tranquilla pace frui sineret,
patriamque repeteret, breui infortunium
inuenturum. Ad Hæc Pizarrus respondit, Se
non eò venisse cuiusquam offendendi animo,
sed vt ope atq; opera eos iuuaret qui suā ami-
citiam expeterent: id sibi disertè ab Imperato-

Pizarrus
subdolum
animum
specie a-
micitiae &
pietatis te-
git.

re principe suo mandatum: neque se posse si-
ne magno dedecore ad eum reuerti, nisi prius
Regiam ipsius personam vidisset, eique res ad
felicitatem tum corporis tum animi pertinen-
tes exponeret. Sub hæc Pizarrus Cassiamalcam
versus contendit: & per Chiræ prouinciam i-
ter faciens, à Regulis vltro de iungenda secum
amicitia interpellatur, qui ob occupatas ab At-
tabaliba suas terras cum eo capitales inimici-
tias gerebant. Ac quia eo forte loco nauigabi-
le flumen erat, quæ tutò subire naues poterat,
condendæ ibi coloniæ sedem elit, cui San-
michaelis nomen fecit: & quo quisque suum
diligentius asseruaret, manubias & prædam o-
mnem inter socios partitur.

I N T E R hæc Attabaliba Christianos adue-
tare atque vterius tendere audiens: sed eos
paucos, defatigatos & molles vsque adeo vt
non nisi ingentibus Pachis (sic illi equos no-
minat) iter ingredi possent, de barbatis illis ri-
dere ipse, & remissis ad eos legatis denunciare
si sua illis vita cara esset, ne longius progredi
auderent. At Pizarrus, Enimuero sibi necesse
esse respondet, Maiestatem ipsius coram cum
debito honore visere: simul exercitum proce-
dere iubet: quumq; Cassiamalcam peruenisset,
præmittit legatos & magistros equitū qui re-
gis animum statumq; explorarent, eique indi-
carent, venisse Hispanum ducem adeundi eius
cognoscendiq; audū. Ille sub aduentum Hi-
spanorum duo fermè mill. interius secesserat.
Legati, vt in conspectū regij agminis venere,
agitare equos & glomerato gressu solo insul-
tantes huc atque illuc circuſſlectere incipiunt,

Attabal.
Hispanos
nondum
expertus
contēnit.

Indi verò ad noui huius monstri conspectum obstupescere. At ipse rex nihil eo spectaculo moueri, non mirari: interea tamen irasci, quod parum reuerentiæ atque honoris sibi exhibitiū à barbatis illis crederet.

FERDINANDVS Pizarrus per interpretem se imperatoris fratrē esse significat, qui Papæ ac Cæsarī, amicitiam eius vltro appetentium missu ē Castella venerit. Itaque veniendi ad se & coram colloquendi ei potestatem faceret. Quippe habere ad Regem ipsum summis de rebus mādata, eāque coram expromere velle: quibus editis mox in patriam reuersurum. Attabaliba adhæc, Ea se cuncta facturum inquit, dum ante omnia suis finibus excederent.

EA lata conditione, reuersus ad suos Ferdinandus, magnificum regis paratum & stupendam opulentia prædicat: ceterū eum in suo regno aduenis sedes cōcedere nolle. Quę eum diem sequuta est nox, quām longa fuit, tota ab Hispanis ducibus instruēdis ordinibus & animandis militibus consumta est: Victoriā vide- licet esse in manibus & cum stolidis ignauisq; rem fore, quos vel solo equorū hinnitu ac fremitu perterritos, pecorum ritu, ad satietatem trucident. Inde Pizarrus, instructis ordinibus & dispositis circa palatiū & in ipsis portarum limitib. aliquot maioribus tormentis, suos hostile quidquā cœptare, nisi signo edito, vetat.

SIMVLATE illuxit, ecce Rex amplius **x x v.** millib. Indorum stipatus; velut in follē- ni triumpho, hominum humeris portabatur, circūpendentibus vndique aureis monilibus,

Indorum
diuitiæ His-
panorum
auaritiam
& seuitiæ
irritant.

Regius As-
tabalibæ
apparatus

versicoloribus auium pennis præfulgens, interula sine manicis veltitus, & pudenda bombycina fascia velatus. Sinistrum regiæ frontis latus purpureus è lana tenuissima floccus honestabat, supercilia eius & genas inumbrans: pedes, breuissimo obstragulo calceoli ornabant. Tali cultu & paratu triumphali ciuitatem & palatum inuit, ibi barbatorum aduenarum legationem per otium auditurus.

INTER hæc viam sibi ad regem faciens frater Vincentius de Valle-viridi ordinis Dominicani monachus, altera manu Crucem, altera Breuiarium gestans, ratus fortasse Attabalibam repente in magnum aliquem theologum

Euangelij Barbaris annūcian-
di noua & monacho digna ra- euafisse: per interpretem ei significat, Se Sacrae maiestatis Cœsareę mandatu eius excellentiam adiisse, idque cum autoritate Romani Pontificis, cœlestis Seruatoris vicarij, qui Cœsari terras antè incognitas, & nunc primùm inuentas dederit, ut eò doctos piósque homines mittat, qui sacerdotalium eius nomen publicè apud eas gentes prædicent, eisque fœdis ac diabolicis erroribus liberent. Inter hæc verba monachus

“Sic ille Regi Legem Dei exhibet, & ab eo omnia ex Breuiariū suū vo-
cebat.

nihilo creata prædicat. Inde ab Adamo & Eu exorsus ordine exequitur, ut Christus è cœlo descenderit, ut assumpta humana carne in veteri virginis, in cruce mortem obierit; atque inde resurgens à mortuis, ad plenam generis humani redemtionem, in cœlos ascenderit. Mox ad resurrectionem mortuorum & vitam eternam delapsus, utramque affirmat: & à Christo Petrum primum eius vicariū, Ecclesiæ gubernandæ

nandæ impositum testatus, simul autoritatem Pontificū ipsius successorū adstruēs exponénsque: postremò Cæsaris & regis Hispaniarū, totius orbis Monarchæ, opes ac potentiam exaggerat. Itaque pro officio facturū Regē si illius amicitiā accipiat, si vectigalem clientémque eius se ferat: denique si abdicatis falsis diis, diuinę Legis & Christianę religionis fidem & obsequium induat. Id nisi sponte fecerit, pro certo habeat se eò vi atque armis coactum iri.

Hī s auditis Rex, Se haud grauatè summi orbis Monarchæ amicitiā accepturum ait: sed se & liberum & regem ei quem nunquā videbit tributa pendere, id verò sibi parum æquum & honestum videri: Pótificem autem insigniter fatuum & impudentem esse eo facile prodī, quòd aliena tam liberaliter largiatur. De Religione verò, se suam abiecturum planè negavit: ac si ipsi in Christum crederent, qui in cruce mortuus esset, se in Solem credere qui nunquam moreretur. Inde à monacho percōtatur, vnde sciret Christianorum Deum ex nihilo creasse omnia, & in cruce mortuum esse. Monachus ab eo quem haberet libro ea doce ri respondet. Simul librum Attabalibæ porrigit: ille acceptum inspectumque aspernatus & renidens, Hic liber: inquit, nil mihi dicit: mox “ ad terrā affixit. Monachus illico librum recolligere, & quantum niti poterat clamitans, Hispanos ad cædem accendere: Agite Christiani (aiebat) agite & tam fœdi facinoris pœnas “ expetite: Euangelia Iudibrio habita & pro- crudelis iecta sunt. Trucidate istos canes, qui legē Dei conciona- tor.

Pontifex
de alieno
liberalis.

ita contumaciter aspernantur.

HAE C & talia quum magna voce dixisset,
Franciscus Pizarrus explicatis vexillis signum
pugnæ, vti proposuerat, edit. Inde fulminan-
tia tormenta primū Indis terrorem infe-
gelio scili- runt: mox iam insueto strepitu attonitis super-
et.

ueniunt equi, æneis tintinnabulis & crotalis la-
tè tinnitus cientibus colla & crura circum-
dati: postremò circumstrepentibus vndique
tympanis admisto clangore tubarum extra se
raptos barbaros & ancipiti circumuentos ma-
lo, Hispani inuadunt. Indi quos non tantùm
insolitus machinarum fragor perculerat, sed e-
qui quoque, ferocissimum animal, & tam acu-
tis ensibus foeda illata vulnera turbauerant, ab-
rumpunt ordines, & quæ cuique patebat ad fu-

gam via velut lymphatici erūpunt. Tum verò
Hispani equites ferociter in hostē velut pro-
fligatum incurront, & fugientes proculcant:
qui quum ob nimiam multitudinem alij super
alios cumularentur, ruinæ similem stragem
dedere. Hic horribili cæde Hispani lanceis &
gladiis in cadentes barbaros debacchari.

P I Z A R R V S peditum agmen ducens, re-
Età ad Attabalibam tendere, quem Indi multi
circumstipabant: quūmque pugnæ immemo-
res corpora tantùm ante ipsum regem obiice-
rent, Hispani cædēdo gradum promouebant,
donec ad Attabalibam viam sibi per hostium
stragem facerēt. Ut verò tandem ad eum per-
uenere, tum quisque capti regis opimum de-
cus expetens, Indos lecticarios cädere. Et iam
clade

clade ferentium è sublimi illa sella delabebatur, quum Franciscus Pizarrus amiculo illum corripiens ad terram detraxit. Ad eum modum proiectus è sella ac prouolutus Attabali-
ba, nullo resistente, capitur, & Pizarri fidei ac potestati sepe permittens, custodiæ traditur. Ea res bello finem imposuit, sine ullius Hispani cæde ac vulnere, præterquam Pizarri, cuius manus, quum Regem capere vellet, à milite Indum appetente, ferro icta est. Ferdinandus Pizarrus cum equitatu totum eum diem fugientibus instans, omnes vias Indorum cædi-
bus repleuit, quum nulli neque ætati neque sexui victorum crudelitas parceret.

- PER omne prælij tempus ipse quoque monachus milites clamore incendere non desti-
tit, monens ut Indos punctim magis quam cœ-
sim ferirent, ne videlicet ensium laminas per-
fringerent. Hispani quum sanguinolentam
eam victoriam de infelici illa gête retulissent,
totam noctem quæ eum diem exceptit, tripu-
diis & festo luxu ouantes transegere.

Monachus
ex concio-
natore la-
nistæ.

I PER v*propriè* prouincia exigua & inops est, quam Franciscus Pizarrus Panama soluens, imperato à Petro Aria Gubernatore commeatu, primam aperuit, quinquaginta leucis Panama distantem: à qua postea impropriè totum illud in-
gens Attabalibæ regnum & uniuersæ prouincie, quæ per omnem eius ore longitudinem, mille &
ducentarum leucarum amplius spatio, reperte sunt, PER ab Hispanis dictæ sunt. Aug. Zarate Hist. Peru lib. I. cap. I.

2 Alexandri vj. Pontificis, exstat bulla, qua
 has terras Ferdinando & Isabellæ eorumque suc-
 cessoribus donat. Eius verba quæ hic pertinent,
 "hac sunt: Ut tanti negotij prouinciam Apostolica
 "gratia & largitate donati, liberius & audacius assu-
 "matis: motu proprio, non ad vestram vel alterius
 "pro vobis super hoc nobis oblatæ petitionis insta-
 "tiam: sed de nostra mera liberalitate & ex certa
 "scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine
 "omnes insulas & terras firmas inuenias & inuenie-
 "das, detectas & detegendas versus Occidentem
 "et Meridiem (fabricando & construendo unam
 "lineam à polo Arctico, scilicet Septentrione, ad
 "polum Antarcticū, scilicet Meridiem: quæ linea
 "distet à qualibet insularum, quæ vulgariter nun-
 "cupantur de los Açores & Cabo-verde, centum
 "leucis versus Occidentem & Meridiem) Aucto-
 "ritate omnipotentis Dei nobis in beato Petro con-
 "cessa ac vicariatus Iesu Christi qua fungimur in
 "terris, cum omnibus illarū dominiis, ciuitatibus,
 "castris, locis & villis, iuribusque & iurisdictioni-
 "bus ac pertinentiis uniuersis, vobis heredibusque
 "& successoribus vestris (Castellic & Legionis re-
 "gibus) in perpetuum tenore praesentium donamus,
 "concedimus & assignamus: vosque & heredes ac
 "successores prefatos, illarum Dominos cum plena,
 "libera & commoda potestate, autoritate & iuris-
 "dictione, facimus, constituimus, & deputamus,
 "&c. Quo iure hac dare potuit Papa, in quæ nul-
 "lum ius unquam habuit? Nisi forse quia Christus
 "celi ac terre haeres est, cuius bonus iste Pater vi-
 "carius est, scilicet.

3 Eo factō facile prodiit hic Pseudopropheta
 quo,

quo spiritu ageretur. Quippe non sic Christus: qui arundinem quassatam non cōfringit & linum fumigans non extinguit. Matt.12.20. Itaque talem mox frugem Episcopus messuit, quale monachus seuerat: nimirum à Barbaris in Puna insula fuisse postea elisus.



Attabaliba libertatem ab Hispanis ingenti pretio pacisciatur. Hispanorum de sua nece consilia subolfacit, & de se commotas suspiciones purgat. Hispani eius spolijs diteſcunt.

C A P. I I I I.

PO S T E R A die Pizarrus Attabali-
bam inuisit, consolatur, & vetat me-
tuere ne interficeretur. Rex iniqui-
ſimam suam fortunam incusans, in-
iectas sibi catenas conqueri: dein gnarus quid
Hispani concupiscerent, Pizarro spondere, se
ſi libertas ipſi promitteretur, tantum aureo-
rum & argenteorum vasorum daturum, quan-
tum implendo cœnaculo in quo erat, ſuffice-
ret, ad id altitudinis quò sublimè elata manu
pertingi posset: ea tamen lege ne vasa frange-
rentur quoad pactam summam tradidisset.
Promittit Pizarrus libertatem, & conditio-
nem accipit.

Attabali-
bade His-
panorum
ſævitia fe-
catus, au-
ritiam eo-
rum exple-
re ntitur,
ſed fruſtræ

ATTABALIBA libertatis cupidus, &
Pizarri promissis innixus, Præfectos quosdam
ſuos per omnes regni prouincias, Cuscon ma-
ximè, dimittit (ea vrbs ſexcenta millia Cassia-
malca diſtat) diſertis additis mandatis, vt

quamocyssimè fieri posset redēmptionis suæ
prēmium properarent. Itaque breui ex omni-
bus Regni partibus affluunt Indi aurum & ar-
gentum vehentes: sed quum iam menstruum
spatium exiisset, & vixdum dimidia pretij
pars aut paulo amplior esset contracta, pro-
pter immanem pecuniæ impetratæ summam:
Hispani fremere incipiunt, Attabalibam nem-
pe specie contrahendæ pecuniæ, ingentem
conflare exercitum, & in sua omnium capita
conducere. Itaque maior pars Franciscum
Pizarrum hortantur, vt de eo capitale suppli-
cium sumat: fecisséque iam tum haud dubiè,
ni nobiles aliquot viri illum de ea sententia
dimouissent.

Hispani
Attabalib-
bae crimi-
na & necē
struunt.

AT TABALIBA exitij sui consilia coqui-
subolfaciens, multùm de Pizarro conqueri, ac
fas de se dicere, Nihil causæ esse quamobrem pristi-
næ rebus num in se animum exueret: neque usquam in
ipsis reuin suo Regno vlla hominum conuenticula aut
cœtus fieri, nisi ad curandum & conuchen-
dum corporis sui prēmium. quod quidem quia
longinquis è regionibus comportaretur, ad
tam breuem quam vellet diem præsto esse
non posse. Quòd si verbis suis parum fidei in-
esse suspicaretur, aliquos ipse è suis Cuscon
mitteret, vnde maxima pars pecuniæ impera-
tæ ventura esset. Itaque Pizarrus eò Sottum
trib. mil. & duos præterea Hispanos mittit.
Illi quum in ipso itinere obuios subinde In-
dos aureis & argéteis vasis onustos haberent,
rem ita esse vti Rex dixerat faciliimè compe-
riunt: quum tamen Cusci opulentissimæ vrbis
diuitias

diuitias ipsi capessere oculis concupiscerent,
regredi à via noluerunt.

F E R D I N A N D V S Pizarrus, fratribus iussu,
cum equitibus aliquot diuersa loca peruagatu-
tus, in multos & ipse Indos incurrit, qui au-
rum Cassiamalcam conueherent. Inde in in-
teriora progressus in Pacamain peruenit, vnde
quoque ingens auri & argenti summa depor-
tabatur. Summa pretij pro redemtione Atta-
balibæ persoluti, cum eo quod præda contra-
ctum erat, duos auri milliones, id est vicies
centies aureorum castellanorum millia, supe-
rauit. Ea pecunia in unum collata, postquam
quinta Regio fisco seposita est: ut singuli
quod suum erat seruarent, inter omnes pro-
meritis & dignitate cuiusque diuisa est.

Q u u m inter hæc forte aduenisset Didacus
Almagrus, ei quoque, ne quem tumultum mo-
ueret, debitam pecuniæ partem, ciùsque mili-
tibus, nonnullis quingentos, quibusdam etiam
mille ducatos Pizarrus dedit. Secundum hæc
Ferdin. Pizarrum & vectigal quintæ ad regem
Hispaniæ mittit, eumque de rebus à se gestis
edocet: cum Ferdinando multi Hispani, tri-
ginta & quadraginta millium ducatorum pre-
tium referentes in patriam reuersi sunt.

I Ex ea præda Regi in quintæ vectigal qua-
dringēta aureorum castellanorum millia obuene-
re. Hispano equiti ciuique octo mille & nongenti
castellani, seu pesi aurei, ut vocant: & trecenta
sexaginta argenti pondo. Pediti mille, quadringē-
ti & quinquaginta aurei pesi: & centum octoginta
pôdo argenti. Nulli unquam milites adeò dinites,

*Hispaniæ
Attabali-
bæ adhuc
viuentis,
videntissq.
spolia in-
ter se di-
uidunt.*

nectam breui, nec tam paruo labore ac periculo
enaserunt. Sed plerique qua facilitate tātas opes
quesuerant, eadem amisere: ganeis alij, alij alea.
Intentis quidē interim adeo rerum pretiis, in tā-
ta auri argenteique vilitate, ut caligae ē panno tri-
ginta castellanis estimarentur: ocreae tantundem:
penula nigra centū: scapus chartae, decem: ampho-
ra vini, viginti: equus tribus, quatuor, immō etiā
quinque millibus ducatorum veniret: quo pretio
etiam postea aliquandiu stetere. Ita ex eo quæstu
plus sumtus quam lucri, & in summis dinitiis
summa inopia. Gom. Hist. gen. lib. 4. cap. II. 7.



P Attabaliba morte adscitur à Pizarro. Quisquā eius legatus prælio ab Hispanis vincitur. Franciscus Pizarrus Cuscon, Peruani regni caput, captam diripit.

C A P. V.

HI s ita, vti diximus, confectis, Franciscus Pizarrus, Didacus Almagrus, ceterique duces communī consilio deliberat quid de Attabaliba statui-
par esset. Nonnulli necandum esse: alij soluen-
dum censem̄bant: erant etiam qui in Hispaniam
mittendum ad Cæfarem dicerent. Tandem
quum omnes sententiam rogati dixissent, vi-
cit ea pars quæ necandum censem̄bat.

T R A D I T V M est à nonnullis, Indi cuius-
dam Philippilli ¹ indicio proditum ac neca-
tum Attabalibam, quum videlicet ille Fran-
cisco Pizarro occulta Attabalibæ consilia
enun-

enunciasset, clanculum Indos ad Hispanorum cædem sollicitantis. Verum ipse audiui ac comperi Pizarrum ex quo Attabalibā captum in potestate habuerit, iam tum statuisse eum ē medio tollere, quo facilis eas prouincias subigeret: quippe sublato capite, membra haud difficulter in perpetuam seruitutem concessura. Atque id verum esse, perspicue ex eo apparet, quod Pizarrus, nisi Attabalibæ necem suffragio suo comprobasset, poterat eum honorificè in Hispaniam ad Cæsarem mittere: quod ut faceret multis precibus ab eo Attabliba contendit. Ergo non sine omni ac Dei nutu contigit, ut omnes qui de necado Attabalibæ consenserunt, postmodum infelicem vitæ exitum inuenirent.

A tū Attabalibæ, accepto mortis suæ nuncio, lugubriter in suspiria & lacrymas effusus, Barbatorum aduenarum sceleratam perfidiam incusare exorsus est. Mox quum Pizarrus sententiam in eum latam ipsi edidisset totus in preces abieetas versus eo prorsus ritu, quo Solem præcipuum suorum numinum Indi adorant, tali ad eum oratione vsus est:

P L V R I M V M te miror, inquit, Imperator, quod quum fidem tuam iureiurando obstrinxeris, te, si pecuniæ promissæ sumimam darem, non tantum mihi, exemptis vinculis, libertatem redditurum, sed etiam cæsurum finibus meis: mihi tamen, postquam pactum pretium accepisti, libertatis loco extremum & infame supplicium indices. Si Philippillus me apud te criminatus est, de subditis clanculum ad

Attabalib
ab Hispani
nis neca
tur, ut fa
cilius eius
subditos
sub iugum
mittant.

Attabalib
verbis Pi
zarrū fru
stra flecte
re conatur
quem au
ro nequi
uerat.

„ vestram cedem sollicitatis, ficto crimine ab eo
 „ circumuentus sum : neque id mihi vñquam in
 „ mentē venit. Itaque vitæ usuram mihi ut con-
 „ cedas te rogo, quādo aduersum te nihil morte
 „ dignum nec admisi nec cogitau. Ac si mihi
 „ parua apud te fides est, mitte me in Hispaniam
 „ ad Cæfarem , cui ingens auri argentique pon-
 „ dus in uneris loco deferā. Quod si vitam mi-
 „ hi eripis, pro certo habeto, subditos meos non
 „ prius cōquieturos quam alio creato rege, ve-
 „ tra omnium Barbatorū internectione necem
 „ meam expiauerint. si verò vita cōceditur, Re-
 „ gnum quietum ac tranquillum continebo: ne-
 „ que erit quisquam qui commouere se audeat.

Vt finem orationi Attabaliba iimposuit, ma-
 nantibus vbertim lacrymis, Pizarrus excipiens
 iam reuocari posse sententiam negauit. Ita-
 que eum Numidis, quos talibus ministeriis
 assuetos habebat, ad supplicium tradit. illi la-
 queum ceruicibus innexum cuncto ligneo in-
 torquent(id Hispani vulgò Garottum vocant)
 & fauces regi elidunt.,

H V N C vitæ finei Rex Attabaliba ha-
 buit: vir mediocri statura, prudens, animosus,
 & imperij cupidus. Quo tempore primùm
 Pizarrus eius regnum ingressus est, cum Guas-
 care fratre natu maiore, qui in Regnum pa-
 ternum successerat, bellum gerebat: eumque
 mox captum necari iussit. Vxores multas ha-
 buit, quarum præcipua & legitima soror erat,
 Pagha nomine: & ex iis aliquos liberos sustu-
 lit. Ceterūm omnium rerum nostratiūm
 quas Hispani ei ostentarunt, nullam libentius
 inspe-

inspexit quām vitrum, dixitque Pizarro, Se plurimū mirari quod quum in Castella rei Attabal.
tam pulchræ copiam haberent, peruestigandis vitrum aū
metallis adeò vilibus auro & argēto, peregrinat.
nas terras & maria obeundo, scinēt ipsos fati-
garent.

Eius parens Gitaiuacauiā dictus est, popu-
laribus dum viueret adeo carus & venerabilis,
ut eum etiam hodie lugeant, ac vulgo persuau-
sum habeant illum ad vitam propediem reuo-
catum, regni gubernacula suscepturnum. Iacet
in Quitensis vrbis finibus, maiorum suorum
tumulis illatus, cum immensa auri & argenti
elaborati copia, hominū, seminarum, anima-
liūmq; omnis generis ac pisciū effigie. Hispani
sedulō sepulcrum eius à compluribus Indis
etiam tormentis vehementissimis, quæsiuere:
sed frustra. Neque illi vnquam eum locum in-
dicio suo prodiderint, etiam si omnes ad vnum
interficiantur.

IN T E R F E C T O rege, Franciscus Pizarrus Cassiamalca mouens, Cuscon regni Per-
uani caput, occupare properat. Obuiam fit ei
cum exercitu Quisquiz Attabalibæ legatus, &
præcipuus ducum, qui cum magna multitu-
dine in aciem progressus Barbatos persequi
& Regis sui necem vlcisci magno animo sta-
tuerat. Eum tumultuariis aliquot præliis ex-
pertus Pizarrus, tandem cum ingenti Barba-
rorum strage in fugam versum, Almagro cum
parte copiarum persequendum & reliquias
belli extinguedas, relinquit. Ipse, quinque
t. ij

tantum Hispanorum iactura facta, ulterius progressus, quum iam Cusco in conspectu esset & multi passim ignes apparerent: ratus fugisse ciues & ignem subiecisse vrbi, equites ad rem explorandam praemittit. Illi ignes esse e speculis accensos deprehendunt, qui Barbatæ gentis aduentum Praefecto significant: procedunt tamen animi alacres, & iam fermè in collem vrbi propinquum euaserant, quum repente sese ostendentes Barbari, subeuntes Hispanos propellunt & saxis obruunt.

INTER hæc superueniens Pizarrus, fugientes suos colligit, & cum omni equitatu in Barbarorum cuneos effusis habenis inuectus, vertit pugnæ fortunam, & feriendo ac cædendo obuios Indos in fugam auertit. Illi furioso equorum impetu & acri gladiorum acie perterriti, arma etiam passim abiecere, quò expeditius fugerent. Interueniente nocte Pizarrus insidias metuēs, eo ipso loco in quo eum nox deprehenderat suos considere iubet & castris locum capere. Itaque Indis fugiendi spatum datum est, quorum plerique cum pecorib⁹, vestimentis & sale, deuios montes petiuere. Postera die Pizarrus Cuscon ingressus praesidium obtruncat, ceteros capit, urbem diripit, & ditissimum Solis templum spoliat. Itaque magis prædæ è Cusco quam ex Attabaliba Cassiamalçæ contractum est. Sed ne ita quidem explata hiante militum avaritia, omnes infatiabili auri cupidine ardentes, captiuos omni genere crucia-

cruciatus torquere, vt defossas pecunias & se-
pultos thesauros proderent: vt verè quidem
hīc exclamare nobis liceat, O quot Nerones,
quot Domitianī, quot Commodi, quot Bas-
fiani, quot immites Dionysij, eas terras per-
agruere! Ibi reperti sunt Hispani qui truci-
datos ad ludicrum oblectamentum Indos vo-
randos canibus obiicerent⁴.

DIREPTA Cusco, & diuisa inter Hispanos prouincia, Marchio in maritimam oram regressus, Didacum Almagrum ibi repertum nuper viæ prouinciæ Gubernatorem designat, & eò cum imperio mittit. Ipse ciuitatem-Regum- nouam coloniam ad fluminis Limæ ripam condere incipit: inde Trigillum proficiscitur, vt captiuos Indos inter Hispanos colonos diuideret, quorum opera in subi-
genda prouincia usus erat.

Hispano-
rum mili-
tum cru-
delis au-
ritia.

1 PHILIPPILLVS hic, unus erat ex ijs adolescentibus Indis, quos Hispani principio in Tumbesia ora exceperant, vt Hispanicam lin- guam disserent: de quibus huius lib. cap. I. Hic cum unius ex Attabalibæ cōcubinis amore depe- tiret, paclusq; duceturum eam in coniugem, si fortè moreretur Attabaliba: explenda cupidinis audi- dus, Regi insidias struit, & conciri ac sollicitari ab eo clanculum populares aduersus Hispanos Pi- Zarro defert. Gomar. Hist. gen. lib. 4. cap. II8. At- tamen, si Benzoni credimus, totus hic nimis ab Hispanis fictus & compositus videtur, ut Attabalibæ necis inuidiam ab se in alium deriuarent.

Lima, seu
Regumci-
uitas, co-
lonia.

2 Franciscus Pizarrus & eius fratres Didaco

Almagro gulam laqueo frangi curarunt. Didaci Almagri filius Didacus Fr. Pizarrum domi suæ interfici iussit : quem mox V acca de Castro capitali supplicio affecit. Ioannes PiZarrus ab ñndis in Cusco urbe maëtatus est, Vincentius de Valle-viridi monachus ille, qui primus Hispanos ad eadem Indorum accenderat, in Puna insula fustibus elisus à Barbaris. Ferdin. PiZarrus in Hispania in vinculis consenuit. Gonzallus PiZarrus ultimus fratrum Pizarrorum, cum aduersus Regem Hisp. bellum in Peru mouisset, captus à Petro Gasca & ultima pœna affectus est. Ita iniusta Attabalibæ cedes omnium propè eius autorum tristi exitu tandem persata & expiata est.

3 Prodigia nonnulla mortales eius, & que inde sequuntur sunt mala, portendere. Nam xx. diebus antequam hec acciderent, ingens cometes, Cusco versus, maximam noctis partem effulgit. Terrificum id sidus repente conspicatus Attabaliba sub vesperā eo die forte solito lator, verso ad Hispanos sermone: Breui, inquit, in his regionib. magnus alius Princeps occidet. Ita nimis imprudens mortem sibi imminentem prædictit. Ceterū (ut Hispani scriptores tradunt) Pizarrus cum prædictionis damnatum, nisi baptizaretur, viuum comburi iussit. Quum ad supplicium duceretur, Christianum fieri cupere se dixit. Itaque Pizarri iussu baptizatus: mox remissa pœna acerbitate, alligatus ad palum, medio Cassiamalce foro strangulatus est. Adeò non puduit istum subulcum cum ñdia rege tam fœdo more agere.

4 Tantæ huius sauitie, cuius non pauca exempla exstant, adeo nonnunquam canes ipsos puduit,

ut crudelitatis alienæ ministerio fungi nō sustine-
rent. Memorabile vnū referam. Didaco Salaza-
ri, (cuius inter San-joannis insulae primos occupa-
tores celebre adhuc nomen est) canis erat molos-
sus, acer & Barbaris in primis infestus, Bezer-
rillum vocabant. Nocte que diem, quo Cacicum
Mabodomacam prælio Hispani vicerunt, se-
quita est, Salazar canem aduersus Indicam
anum, quæ inter captiuos erat, emittere constituit.
Id ut commodius ficeret, epistolam tradit vetu-
la preferendam ad Gubernatorem, qui duobus
inde fortè milliaribus aberat: sed eo consilio ve-
simulatque à suorum conspectu ablata esset, ca-
nem in eam solueret. Ea quum leta abiret, sperans
se huius epistolæ beneficio libertatem conseqnui-
turam, vixque inde lapidis iactu abesset: Sala-
zar canem emittit: is vetulam facile assequitur.
Misera anus, ubi molossum furibundum ad se
rectâ tendere videt, humili residens, his eum idio-
matis sui verbis mulcere incipit: Domine canis, “
domine canis, ego fero istas literas ad Guberna- “
torem: ob signatam epistolam ei ostendens: & ad- “
dens, Ne sœuias in me, domine canis. Hic canis, “
velut supplices illas & abiectas preces sensisset,
protinus mitigato impetu substitit, & sublato alte-
ro crure, ut canes ad pariētē solent, eam permin-
xit. Eares Hispanis, qui ferociam & sanguiniam a-
nimalis nouerant, miraculo fuit: puduitque ipsos
fœminam interficere cui canis pepercisset. Ovied.
Hist. 7nd.lib.16.cap.ii.

Almagrus Peruani regni Mareschallus designatur. Chilensem prouinciam petit. Mangus Attabalibæ frater rebellat. Cuscon urbem capit. Pizarus vnde in eum auxilia contrahit.

C A P . V I .

PE R eos fortè dies Almagrus literas à Cæfare accipit, quibus se ab eo Mareschallū Peruani regni designatum intelligit: & vltra fines prouinciæ à Pizarro devictæ trecenta millia pass. suo imperio attribui. Hoc tam lato nuncio auctus, quum Cuscon urbem extra terminos prouinciæ Pizarri, & sui imperij esse sibi persuaderet, repente priuato consilio Indica mancipia & agros de integro partiri pro sua libidine instituit.

I D ubi cognitum Pizarro, extemplò Ioannem fratrè suum cò cum Hispanis aliquot & imperio mittit, qui Almagri conatibus obuiā iret: ne videlicet absque suo permisso quidquam ab eo in prouincia nouaretur. Ioannes re inchoata, nec dū perfecta, reuertitur. Itaque Pizarrus ipse per dispositos equos Cuscon petit, Almagrum conuenit. ille primò Cæsareis literis fretus, Pizarro obsequi negat: ad extremum tamen, vbi viribus se imparem cognoscit, se ad omnia paratum quæ ille vellet, esse simulat.

CE T E R V M Indi quum terras suas desolari quotidie, haud satis æquo animo ferrēt, & noua sibinde auxilia Hispanis summitti, prius quā amplius crescerent, libertatis recuperandę cupi-

Indorum
strategi-
e.

cupidine Christianorum vires dispergere statuunt. Itaque disseminant Chilen prouinciam Cusco mille pass. millia distantem, versus' Magellanicum fretum auri & argenti ditissimam esse, aliisque rebus omnibus abundare quæ ad tuendam vitam sufficerent. Hanc tam speciosam occasionem extrudendi Almagri oblatam amplexus Pizarrus, non prius stimulare hominem destitit quam illum ad eam expeditionem suscipiendam impulit. Conuenit inter eos, ut si felicem eam ac commodam prouinciam iudicasset Almagrus, eius administratione propriè sibi à Cæsare peteret: sin minus, reuersus prouinciæ iam paratae & communibus armis partæ æquam portionem acciperet, ex pactis & conditionibus quæ inter eos Panamæ conuenissent. Ita nouis de integro sacramētis mutuam amicitiam sanciunt & inuiolatam ad extremum conseruatuos confirmant.

I N D E Almagrius destinata exsequi pergit, & equis, armis, rebusque aliis ad expeditionē necessariis comparatis, cum quingentis milibus multisq; Indicis scrutiis mouit: ac quamquam immensis laboribus & intolerabili propè tempestate vexatus per montes perpetuis obsitos niuibus iter faciens, ubi maxima pars Indorum, & aliquot Hispani equique frigore obriguere: procedere tamen quod intenderat perseverauit, ac vix tandem in Chilen prouinciam peruenit.

H A V D multò post Almagri discessum, Ferdinandus Pizarrus Limam appellit à Cæsare diplomata & priuilegia afferens: Vnum

Almagrus
in Chilen
prouinciā
sterile, per
specie ho-
noris ab-
legatur.

videlicet fratri suo, quo is Marchionis titulo augebatur: alterum Didaco Almagro, eodem exemplo quo literæ quas iam ille à Cæsare de honore sibi delato acceperat. Atque hic fons fuit, vnde mox atrocia inter eos orta bella tādiu durauere, quoad altero in vinculis strangu-
lato, altero domi suæ imperfecto, utriusque exitio finirentur. Sed hæc, quum ad intestina bella ventum erit, suo luco dicentur: neque de his alia ferè trademus quām quæ vulgo nota & omnibus manifesta sunt. Quum enim hisce de rebus multa à multis audierim, alios aliter ea narrare atque in multis discrepare inter se comperi, studiis videlicet partium aut fauore cuiusque in suum ducem propenso præoccu-
patis animis. Addo etiam amplius, in illis ter-
ris veri perpaucis curam esse.

Peruanis, INTE R has rerum vices Mangus Inga At-
duce Matabalibæ frater, cuius capiti Franciscus Pizar-
go, aduer-
sus Hispa-
nos rebel-
lant. Pizarro oppresus est. Is regulum ferreis com-
pedibus onustum Cuscensis arcis custodia inclusit. Sed breui ab eius fratre Ioanne, vin-
culis leuatus est, quum præter magnum auri
pondus ei datum, etiam se fiduci atque ami-
cum fore promitteret. Mox tamen ut emissus

est, Hispanos animaduertens dispersis agmi-
nibus, cædibus incendiisque latrociniij verius
quām iusti more belli, omnem prouinciam
peruagari: clanculum contractis militiæ du-
cibus & rebus omnibus ad bellum necessariis

com-

comparatis rebellonem cœptat. ¹ Ac repenti-
no impetu loca aliquot circumuolitans, mul-
tos Hispanos aurifodinis intentos oppriimit,
& cum Indis quoque ipsis, quorum illi opera
in auro effodiendo vtebantur, interficit. Mox
vnum è legatis suis, cum Indorum non sper-
nēda manu ad occupandā Cuscon mittit. Ille
necopinanti ciuitati superueniēs, arcem quo-
que eodem impetu capit, & Ioannem Pizarrū
cum aliquot Hispanis interimit. Eam quum
breui recuperascent Hispani, paulo pōst Man-
gus Inga centum amplius millibus Indorum
circumfessam denuo expugnat, incēdit, & ma-
ximam Hispanorum partem trucidat.

M A R C H I O audita rebellione Mangi,
nec tantam armatorum multitudinem quanta Hispano-
erat, ab eo excitam ratus, Didacum Pizafrum ^{rū ab In-}
in eum cum septuaginta quinque Hispanis ^{dis acce-}
mittit: sed istorum cladis ne nuncius quidem ^{pta clā-}
superfuit. Nec dispari euentu cum Barbaris
pugnauit Morgouius trib. mil. qui Guaman-
ga profectus vt opem Cusco ferret, ab Indis
cum multis Hispanis oppressus est. Itaque
Marchio Gonzallum Tapiam cum octoginta
equitum turma eò properare iubet: sed & iste
cum maxima suorum parte non procul Gua-
manga occubuit: Gaeta quoque alias trib. mil.
& quinquaginta simul Hispani, parem exitum
habuere.

I N T E R E A Marchio anxius animi, quām
multo elapso tempore neque à fratribus, ne-
que ab aliis ducibus & legatis suis nuncium
vllum acciperet, & nonnihil mali suspectans:

præter superiores duces Franciscū Godoum cum quadraginta equitibus eò dimissum , quæ compererit renunciare iubet. Ille in angusto saltu deprehensus , quum vndique irruentibus barbaris fœdam suorum cædem ante oculos cerneret , vitæ magis quām decoris memor , quum fortè præualenti equo veheretur , eum in fugam vertit , & in ipso itinere de rerum omnium euentu à quibusdam Hispanis certior fit. Ut Limam regressus est , Marchioni clades suorum , obsidiones vrbiū & exscidia renunciat : insuper etiam addens , aduentare ingenitem hostium exercitum & rectâ Limam tendere.

M A R C H I O extemplò Petrum Lermanni cum quinquaginta equitum turma & multis Indis amicis obuiam ire hosti iubet : ac postridie ipse quoque vrbe egressus , hostibus pugnandi copiam facit. Acerimè vtrinque & æquo propè marte res geritur : tandem Indi , quum impetum Christianorum ferre non possent , terga vertunt , & collem non procul Lima editum ac munitum occupant. Multi eo prælio Indorum cecidere : ex Hispanis duo tantum multò tamen plures saucij , & Petro Lermæ dentes lapidis iectu excussi sunt.

Pizarus auxiliav-
nique cor-
rogat

I N T E R E A Marchio , tanta rerum angustia constrictus , quadringentis Hispanis amissis , & ducentis amplius equis : quum neque à fratribus nuncium ullum acciperet , & Alma- grum in Chilensi prouincia mortuum esse crederet , & in tanta militum penuria tot repente hostibus circumuallaretur : primùm

Alphonsum

Alphonsum Aluaradum, qui Chiachiapoios subigebat, quāmocyssimē arcessit, & cum suo exercitu accurrere in subsidium iubet. Simul literas & nuncios diuersa in loca dimisit, Trugillum, Panamiam, in Nicaraguam, in Nouam Hispaniam ad Ferdinandum Cortesium & alias Hispanorum colonias: atque ex omnibus auxilia exciuit. Primus omnium ducum Hispanorum Alfonfus Aluaradus Limam peruenit: quem mox Marchio legatum suum & totius exercitus summum imperatorem designat.

Is cum trecentis Hispanis, maximam partem equitibus, obuiam ire hosti properat, non prius conquieturus quām deletis funditus Indorum copiis Cuscon obsidione soluisset. Primum igitur deiecitis Indis ē montibus Limæ propinquis quos infederant, longius progresfus Tizoiam præcipuum Mangi Ingæ legatum quinquaginta amplius millia Indorum in acie habentem, prælio fusum terga vertere coegit. Ipse quin in Sausam urbem ad saucios curandos concessisset, ibi Gomezium Tordoiam & ducentos Hispanos sibi à Marchione missos in subsidium reperit. Mox inde degressus Tizoiam denuo obuium habet. is nouis supplementis instaurato & aucto exercitu, solutos recenti victoria Barbatos oppresurum se sperauerat. Vbi in conspectu fuere acies, neutrī certamen detrectantibus, strenuè pugnatur: donec ingenti edita strage, Indi in fugam versi sunt.

Peruani
reges suos
olim In-
gas voca-
bant.

I MAGELLANICVM fretum, quod à Ferdinandō Magellane Lusitano repertū est, anno M.D.XX. quum ad Austrum ultra EQUINOCTIALEM plagam tres & quinquaginta gradus confeccisset. Ex ea classe, una nauis, Victoria nomine insignis, anno M.D.XXI. toto circuue ēto orbe, Hispanim rediit. Itaque eius nauclerus, Ioānes Sebastianus de Cano, scutum suum insigni orbis effigie, & his circum inscriptis verbis, nobilitauit, P R I M U S C I R C U M D E D I S T I M E.



¶ Almagrus è Chilensi prouincia redit. Mangus fuga mótes petit. Almagrus Cusci ingressu à Ferd. PiZarro prohibitus clam urbem intrat. Per speciem colloquij structas à Fran. PiZarro insidias declinat. Mox prælio victus à Ferd. PiZarro capitur, & in custodia necatur.

C A P . V I I .

DVM hi motus agitatūr, diuersa parte Almagrus Chilensem regionē inopem & sterile, non vt fama erat, diuiteim nactus, ex ea prouincia exceſſerat. Iamque appropinquabat Cusco, quum Mangus Inga, auditō eius aduentu, metuens ne ipsius simul & Marchionis copiis circumfusus atque inclusus vndique exitum non haberet, abiecta recuperādi sui status spe, cum viginti amplius Indorum millibus, soluta Cusci obsidione, montes quosdam Guamangę imminentes infedit. Sed quum locus incultus & asper tantæ multitudini alendae non sufficeret, paulatim dilapsi ferè omnes in diuersa abiere. Ipse Mangus tribus tantum aut quatuor millibus Indorum

rum comitatibus amicitia Hispanorum in totum aspernatus, inter illos montes confedit.

Mangus
eorū ver-
bis sibi os-
subliai nō
sinit, quo-
rū morea
nouerat.

Qv M aliquanto pōst prāses Gasca, regno huic componendo quæsitus, postquam Gonzallum Pizarrum capitali supplicio afficerat (vt inferiūs dicetur) missis ad Mangum Indis eum ad se arcesseret, iuberētque sub imperium suum sine vlo metu concedere (quippe se cō venisse vt pœnis noxios & præmiis bonos afficeret: se conponendis prouinciæ motibus & restituēdæ omnium libertati missum esse) quum, inquam, Gasca missu, Indi legati hæc Mango exposuissent: Tum ille, Ec-
quid putatis, inquit, vos mihi facturum hunc Apum (sic illi Principes vocant) postquam me ipsius fidei ac potestati permisero? Hic Indi, Idem de te statuet, inquiunt, quod Franciscus Pizarrus de tuo fratre. Petet abs te plenam au-
ri & argenti domum: mox te strangulandum carnifici tradet. Ita irrita legatione Indi dō-
mum reuersi sunt.

Qv M, vti diximus, Mangus Inga deuios montes fuga petiisset, Didacus Almagrus breui Cuscon perueniens, ciuitatem velut suæ prouinciæ, Gubernatoris, iure, ingredi voluit. Sed Ferdinandus Pizarrus introire parantem repulit, causatus, Sibi non licere eum in urbem accipere absque Marchionis fratri sui permisso, cuius nomine atque auspiciis ei prouinciæ ipse præcesset. Ceterū si tanquam priuatus intrare vellet, eum verò multo libentissimè cum militibus suis excepturum, tantisper dum de fratribus volūtate certior esset

Bellorum
ciuiliū in-
ter Alma-
grum &
Pizatrum
tētamēta.

factus. Hic Almagrus dicere, Ut domum suam iniaret, nihil sibi esse opus facultatem à quo quām petere. Tandem multis vltro citrōque inter altercātes commutatis verbis, postquam Almagrus Pizarrum perstare in incepto nec se admittere velle comperit: noctu amicorum quoruindam ciuium ope urbem intrat, & Ferdinandum ac Gózallum Pizarros incautos op-

^{Almagri} primens, vtrumque separata custodia attineri in hostem iubet. Ac Ferdinandus quidem, vt totius mali clemētia, ipsi postea causa, ab eo mori iussus esset, ni amicorum inexcitiosa. teruentu & accuratis precibus protectus veniam obtinuisse. Luce orta Almagrus ex Regij diplomatis præscripto, approbantibus ciuibus, publicè præconis voce Gubernator pronunciatus est.

I N T E R hæc nuncius adfertur Almagro Alphonsum Aluaradum, Francisci Pizarri legatum, cum valido Hispanorum exercitu castra habere ad Abancaiam flumen. Ergo metuens ne ille copias aduersum se duceret, Hispanos ad eum aliquot mittit, qui denunciarent, vt aut Cuscon in fidē & imperium suum concederet, aut exiret è prouinciæ suæ finibus. Sed ubi legati non reuertebantur, nempe ab Aluarado retenti, copias instruit: & fidissimis suorum tum ciuitatis tum captiuorum custodiam committens, Cusco cum non spernenda manu mouet. Quum sub noctem ad Abancaiam peruenisset, nuntiatumque esset eius pontem magno Hispanorum præsidio obtinere: transmisso raptim vado, de improposito Aluaradi castra ingreditur, eumque sine cuius-

cuiusquam cæde cum multis Hispanis capit.

A L M A G R U S eius victorię successu inflatus, Cuscon reuertitur, & iureiurando affirmat se non priùs quieturam quām omnes Pizarristas ex Peruano regno eieciſſet. Aluaram in eandem custodiam qua Gonzallus Pizarrus attinebatur, condit: illi præmiorum ingentium ſpe corruptis custodibus, nocte quadam ambo vinculis elapsi, in urbem Regum perueniūt, & Marchioni hæc omnia exponunt. Ille quingentorum militum manu facta, recta in Almagrum ducere conſtituerat, ni Ioannes Guſmannus, Didacus Mercatus procurator eius, & monachi aliquot ordinis D. Mariæ Mercedis, eius destinatis obuiam iſſent. Illi cniim ex apparatu Marchionis in Almagrum ingens aliquod malum oriturum præſagientes, reducere eos in mutuam gratiam conati sunt. Itaque tota controuersiæ decisio iſtis concordiæ ſequeſtribus committitur. Illi ita pronunciant, Placere ut vtrique arma ponerent: Almagrus Ferdinandum Pizarrum è custodia emitteret: ambo in Hispaniam ad Cæſarem ſcriberent, qui de integro eoruin prouincias atque imperia definiret: pōſtremò ambo Malam locum colloquio destinatum conuenirēt ad fanciendam concordiam, deceim tantum equitibus stipati.

H i s conditionibus latis, Marchio Lima Malam contendit, & Gonzallo fratri suo negotium dat ut cum omni exercitu ſequatur: ceterū in transitu, quā Almagrus iter factus erat, aliquot tormentularios in infidiis con-

Pizarrus
specie re-
cōciliatio-
nis Alma-
grum infi-
diis captat

dat, qui hominem incatum interimant. Eius con spirationis monachos quoque consciens fuisse fama est: cuius tamen non is successus fuit quem exspectauerant. Simul enim ut Almagrus Malam peruenit, cum Marchione congressurus, Pizarri miles quidam proprius succedens ei in aurem dicit, Si cara illi sua vita esset, statim nulla interposita mora abiret. Ille exemplò in equum ascendens cum comitibus abiit: quimque infessum à tormentulariis locum forte animaduertisset, diuerso itinere Cuscon trepidè repetit. Multum interea de Pizarristis & monachis conquerens, dicensque Inde à Pilati temporibus non iniustiore vñquam editam fuisse sententiam fraudemque quam quam isti moliti essent.

M A R C H I O res patefactas & infensum Almagri discessum cogitans, ac veritus ne de fratre Ferdinando, quem adhuc in potestate habebat, grauius aliquid consuleret: Didacum Aluaradum Cuscon ad placandum eum mittit, rogatque ut quacumque ratione pacem concordiamque inter eos conciliet: iurando affirmans se insidiarum quas frater parasset planè ignarum esse, eaque omnia haud volenti sibi accidisse. Aluaradus vera ea esse persuasus, ad Almagrum properat: ei quæ audiuerat aperit, rogans ut vel in communis inter ipsos amicitia gratiam pateretur sibi persuaderi, ut pacem quam bellum mallet. Quippe non esse consciem Marchionem structi aduersus eum doli: denique illum fidem suam iureiungando obstrinxisse, imperij sui finibus conten-

tum

tum nihil aduersus Almagrum moturum, donec à Cæsare noua constitutio afferretur.

A L M A G R U S, et si à nonnullis amicorum moneretur ne Marchionis promissis fidem adderet: precibus tamen Aluaradi permotus conditiones accipit & conciliata de integro amicitia Ferdinandum Pizarrum liberat. Marchio vbi fratrem solutum habuit, eo stimulante, fidem dataim & toties tam sanctis iuramentis confirmatā abrumpens, breui Almagrum dolo aggreditur, missis Chincam qui ei significarent: Recentissimè à Cæsare allatas esse litteras, quibus iuberet ut ipse in prouinciam à se repertam & domitā actutum concederet. Ad hæc Almagrus respondet, Se quidem, si mandati Cæsaris inspiciendi sibi copia fieret, protinus obsequiturum: sin minus, certum esse sibi prouincia sua non decidere. Marchio rescribit, Nisi protinus sponte Cusco excederet, se illum inde vi electurum: idque non fœdera inter ipsos pacta violantem, sed nouo illo Cæsaris mandato fretum, quæ sua essent pro suo iure repetentem facturum. Almagrus perstare in proposito, & negare se prius decessurum quam visis Cæsaris literis.

H o c accepto responso, Marchio, valida Hispanorum manu contracta & multis Indis, Lima mouet: palam ferens se ad expellendos Chinca inimicos, prouinciae suæ haud ambiguè oppido, contendere. Almagrus ut hostem adesse cognovit, viribus haud satis fidens, in Gaitaram montem editum & faxo-

Almagrus
incolumē
emittit ho-
stem, quē
ignominia
irritau-
rat.

Pizarrus'
belli Al-
magro in-
ferendi oc-
ciones
rimatur.

308 HIST. NOVI ORBIS
suum concessit: sed inde quoque vrgentibus
inimicis deiectus, Cuscon raptim aufugit, at-
que ibi suis ex trepidatione collectis, ab Indis
galeas & alia munimenta corporis ex auro &
argento fabricanda curat: omnes Hispanos
qui aduersariis paulum modò studere vide-
rentur, custodiæ tradit: primores etiam non-
nullos maximè suspectos strangulari iubet.

^{Prælium} M A R C H I o itineris labore fatigatus, Fer-
^{inter Al-} dinando fratre suo summo Iuris Prætore de-
^{magistras} signato, alteri fratri Gonzallo legato suo &
^{& Pizarrī} ^{Das.} Præfecto militiae cura belli permissa, vtrunque
copiis omnibus in Almagrum Cuscon tende-
re iubet: ipse ad urbem Regum reuertitur. Al-
magrus hostium aduentu cognito, obuiam e-
gressus, duobus millibus pali. procul ciuitate,
munito loco castra posuit: distributisque vt
potuit, copiis Hordonio trib. mil. primam a-
ciem ducentam tradit: ea expeditis velitibus,
cetero peditatu & Indorum quorundam so-
ciorum auxiliis constabat. Ille militari via du-
cens, inter montem & ciuitatem ad ripam exi-
gui lacus cōstitit. Equitibus Franciscum Chla-
uensem & Ioannem Tellum p̄ficit: Alphon-
sum Peresium alia Hispanorum turma & mul-
tis Indis angustos calles ad montem spectan-
tes insidere iubet: vnde si opus esset, in ho-
stium latera incurreret.

F E R D I N A N D V S Pizarrus è monte in
planum degressus, postquam hostes quietos
animaduertit, Mercadillium trib. mil. cū ma-
gna parte equitatus & Indorū subsidio num-
quid insidiarum aut latentis doli subesset, ex-
ploratum

ploratum mittit. Ille quum in Alphonsi Peresij cohortē incurrisset, Indos socios in aduersarios Indos irruere iubet. Ita tontractis pugnæ initiis, Pizarrus tormentularios in equitatum hostium emittit: illi pilularum grandine multos deiiciunt. Franciscus Chlauensis quum suos malè haberi cerneret, aliquot machinas displodi iubet. Icti globis nonnulli hostium ceciderant: ceteri pereulsi terga vertebat: ni superuenientes Pizarri fratres castigassent territos, & confirmatis suorum animis prælium instaurassent. Acrior inde coorta pugna: summa vi vtrimeque res geritur: tandem funduntur Almagri milites: Pizarrus crudelissimè victoria vsus est. Almagrus æger pugnæ interesse non potuit: sed è collis vertice prælij euentum contemplatus, vbi suos fusos conspexit, fugam & ipse capeſſit. Ferdinandus Pi- Almagrus à Ferd. Pi- zarrus fugientium tergis inhærens Almagrum assequitur, captumque in custodiam tradit. natur. Inde quæſtione de eo habita, reum peragit & capite damnat: arguens, quòd è Chilensi prouincia reuersus vi Cuscon irrupisset, quòd se & fratrem nullius flagitiū cōpertos in vincula conieciſſet: quòd prouinciæ agros pro libidine, nullo imperio aut mandato Cæſaris freſtus iterum diuififſet: ad hæc multis Hispanis necis cauſa fuiſſet: poſtremò ruptis induciis & iureiurando aduersus regium magistratum pugnasſet.

ALMAGRVS postquam capitalem in se latam ſententiam indicta morte cognouit, ingenti animi dolore ictus, ad Cæſarem prouo-

cat. Pizarrus prouocationem admittere nolle.

Pizarrus in Alma-grum in-exorabi-lis , cui vi-tam debe-bat. Itaque Almagrus totus in preces versus, illum per Dei gratiam ac misericordiam orare ut sententiam reuocare vellet: Se iam prouectæ extatis, debilem, podagræ etiam doloribus infestari: ni soluere se vellet, at custodia clauso paucos illos qui supercesserent vitæ dies ad meditandam peccatorum pœnitentiā cōcederet. Adhæc meminisset sua maximè opera Mar-chionem carissimum eius fratrem in tantum honoris & diuitiarum fastigium euectum esse. Ipsum quoque Ferdinandum aliquando apud se fuisse in custodia: in quem etsi pro suo iure animaduertere potuisset, vini tamen ab eo abstinuisse.

S V P P L I C A V E R E præterea pro eo apud Ferdinandum multi nobiles, in primis Didacus Aluaradus, qui quū eos in pristinam concordiam redigeret, vitæ suæ sponsione, Ni datam fidem scrarent, pro quo quis eorum pacisci se paratum affirmauerat. Ipse quidem tum, ac ceteri, manantibus effusè lacrymis, & verbis ciuscemodi quæ ferociissimi leonis animum frangere, & cor adamante durius emollire poterant, Pizarrum flectere conati, frustra operam cōsumscere: neque iste, obstinatus & clausus ne quo affectu perruimperetur, per-gula la-queo frā-gitur. & clausus ne quo affectu perruimperetur, per- uinci vllis precibus potuit ut miserationis si-gnum vllum ederet. Ergo Didacus animo aduersum supra-ma firmato, confessione defun-gitur & testamentum facit. Pizarrus laqueo ei gulam frangi in carcere: mox exanimis cerui-ces amputari medio vrbis foro iubet. Hunc vitæ

vitæ finem habuit Didacus Almagrus.

M V L T I S ea sœ uitia displicuit: maximè omnium Didaco Aluarado. is ergo paulo pòst in Hispaniam transgressus est, vt meditatas in Franciscum & eius fratres querelas ad regem deferret. Sed cùm in id vnum strenuè incumberet, breui Vallæoleti moritur, veneno, vt fertur, sublatus. Ceterùm Almagrus obscu-^{Almagri}
ræ & vltimæ sortis homo, quando & eius ad-
huc ignoratur pater, literas nesciit: ceteroquin
diligens, honoris audius, si quem præmio do-
naret, id ab omnibus volebat intelligi: sœ uitia
aduersum Indos insignis: Didacum filium ex
Indica concubina Panamæ suscep tum eiusdem
secum nominis reliquit.

I H A E C in urbe Cusco anno M.D.XXXVIII.
acciderunt. Eius autem mortem non tantum læ-
tam Pizarro Marchioni, sed eius quoque sponte
ac iussu perpetratam, sequentia prodiderunt: cùm
plerique etiam paci consultum ferrent, direpta
emulatione inter Almagrum & Pizarri fratres,
quorum alteri se fratres imperantis, alter confor-
tem imperij, cogitaret. Itaque prudenter à Pizarro
factum ex Machiauelli placitis, qui Reipublicæ
nouæ statum condi & componi non posse afferit, si
plures pari imperio rerum arbitri existant. Quip-
pe commune duobus aut pluribus imperium cùm
raro concors sit: unius hominis ingenio atque au-
toritate omnia constitui multò esse satius.



Pizarri, Almagro sublato, varias expeditiones suscipiunt.
Ferd. Pizzarrus in Hispaniam transgressus, custodia clauditur. Franc. Pizzarrus ab Almagri factione interficitur.
Did. Almagrus filius, imperium prouincie occupat.

C A P V T V I I I .

Hispano-
rum in va-
ria loca ex
peditio-
nes.

IZARRVS, sumto de Almagro supplicio, praedam inter milites dividit, & res Cuscensis ciuitatis componit. Inde ad Marchionem fratrem regressus, de nouis terris vestigandis cum eo deliberat. Id vbi visum, Petrum Valdiuiam ducentis cum militibus in Chilensem prouinciam mittunt: Gonzallum Pizarrum in Coliaum ditissimam auri regionem: qua subacta mox in Cassiæ(vulgò Canellæ)oram transiit: vnde postea pauper & accisis rebus reuersus est: Petrum Vergaram in Bracamorios: sed is in inopem & bellicosam gentem incidit, quæ propterea ad hanc diem inuita & indomita mansit. Duces præterea & tribunos mil. plures Trugillum, Chiachiapoiam & ad alios populos diuersis cum agminibus mittunt. Ita Hispani variis expeditionibus alia atque alia appetendo loca, innumeris hominum cædibus atque infinitis sæuitiæ exemplis editis, maximam partem eius regni, ut ceteras Occidentalis Indiae prouincias, in solitudinem & vastitatem redegerunt.

MARCHIO expeditis ad dictas prouincias subigen-

subigendas legatis ac ducibus, fratrem suum Ferdinandum in Hispaniam cum Almagri Almagri
cauſſa & (vt dicunt) proceſſu, ac quintæ Regiæ fanguis
vectigali, mittere conſtituit. Ferdinandus, Ferdin.Pi-
quamquam diſſuadētibus amicis ne iret (qui p-
pe ipsum nullis argumentis mortem Almagri zarrum in
Cæſari probare aut excusare posſe: adhæc Al- Hispaniā
uaradum ad Curiam grauiſſimas querelas cùm vsque ad
de ipſo tum de fratribus eius deferentem præ- pœnas ex-
occupatiſſe animos) ſoluſit tamen, ingenti ſui petendas,
metiſſius fiducia, venditans ſe pro ſummiſ in perfequi-
Regiam Maiestatem collatiſ officiis, compo- tur.
fitiſ videlicet prouinciæ motibus, & ſeditioſiſ
pœna coercitiſ, ingentia præmia meritum.
Verūn quum in Hispaniam appulifſet cum
magna auri vi, non multo pōſt quām in Re-
giā venerat, Cæſaris mandatu correptus in
arcem Medinæ-campi (vulgò Mottam vocāt)
inclusus eſt, neque quid eo factum fit, deinde
auditum eſt.

P O S T E A Q V A M Ferdinandus Pizarrus
Lima ſoluens in Hispaniam vela fecerat, mul-
ti in ea ciuitate & aliis prouinciæ locis vtriūſ-
que Almagri, cùm parentis tum filij, amici ſu-
pererant: ſed iſ ſparſi, egentes, nulla neque re
neque ſpe, omnibus videlicet fortunis à Pizar-
ri faſtione euerti & ſpoliati. Inter eos prin-
ceps vnuſ maximè eminebat Ioannes Rada. Is
primò clanculum cum Didaco Almagri filio
de vlciscenda patris eius morte conſilia agita-
re: mox vt eius primūm iſtinctu cōflata & or-
ta cōiuratio eſt, occulte arima cōferunt, amicos
& confœdratos aggregant, mittūntque ad

Fr. Pizar-
rū nimius
hostium
cōtemtus

remotos ut quam diligenter possint Lī-
mam omnes conuolent. Nō defuere qui Mar-
chioni immatura adhuc coniurationis consilia
proderent: sed ille cū significatum esset Al-
magristas perniciem ipsi moliri: ista haud sanē
magnificiens, ratūsque hæc renuntiantes odio
potius in eos quām vero moueri, ferè respon-
debat, Sinerent illos suis miseriis conflictari:
satis iis infelicem suam sortem oneri esse, vt
vexari grauius nihil opus esset. Quinetiam
quum denuo de cauendis insidiis moneretur,
quippe haud dubiè cædem ipsi ab inimicis pa-
rari: et si aliquātulum commotus est, id tamen
sibi credibile non esse dixit.

A T T A M E N ne planè lentus in suo pericu-
lo esse videretur, Ioannem Velasquen Præto-
rem urbis arcessi iubet. Is quòd fortè ægrot-
aret, pro se doctorem Picadā collegam suum
& Iudicem ordinarium(ex eorum ordine quos
Hispani *Alcaldes* nominat)mittit. Hunc Mar-
chio interrogat, num sui occidendi occulta
consilia à Didaco Almagro initi alicunde sub-
olsecisset. Ille nullo se ea indicio comperisse,
aut sensisse affirmat: ceterū nihil ipsi timen-
dum videri, dum rectum integrūmque magi-
stratus sceptrum haberet in manibus. His ver-
bis acquiescit Marchio.

D V M exsequendæ cædis occasionem ex-
spectant coniurati, admonentur, nisi facinus
maturarent, omnia mox emanatura. Itaque
Ioannes Rada, & vndecim coniurationis par-
ticipes armati trāsuerso vtbis foro decurrētes
& vociferātes, VIVAT REX ET MORIATVR
TYRANNVS: domum Marchionis irruimpunt.

Is tumultu exaudito, & quid esset suspectans, claudi atrij fores, firmari aditus, iubet: ipse ad muniendum corpus vertitur.

INTEREA dum armatur Marchio, Franciscus Chiaucensis, Praefectus-prætorio, fores palatij recludit: ratus autoritate sua coniuratos cohibiturū: sed ut via patuit Almagristæ vio-

Fr. Pizar-
rus ab Al-
magristis
interfici-
tur.

lenter irruunt, & ipsum Praefectum gladio in caput altè impacto interimūt. Doctor Velasquez sceptrum prætorium mordicus tenens ne intercideret, per fenestram in hortum præcipiti saltu semetipse deiecit. Martinus de Alcantara Marchionis frater natu maior, cum aliquot domesticis, ratus se aduersus tot manus parem futurum, conclavis ostium tutabatur. Inde tandem armatus foras profilit Marchio, qui quum unum ex omnibus suis fratrem superesse cerneret: Euge, mi frater, inquit, pugnemus strenuè aduersus proditores istos: per Deum iuro nos duos solos istis omnibus cædendis pares esse. Sed Martinus multis vulneribus confosus breui cecidit: ipse tamen solus egregiè se defendebat, donec irruentibus undique inimicis, unus cuspidē in medio eius gutture ita fixit, ut exanimis in terrā procideret.

HIC Pizarro vitæ finis fuit. Trugillio Hispaniæ virbe ortus erat, robusto & vegeto corpore, strenuus manu, ingēnis animi: verū falsus, crudelis ac negligēs & literarū ignarus. Gonzallo Pizarro patre genitum ferunt, qui in Nauarræ regno ordines duxerat: & alij quidem legitimum eius filium, alij spurium tradunt: expositūmq; in cunis ad tēpli portā, nec repertū

Fr. Pizarri
natalium
nobilitas. qui tollere aut alere vellet: mox à patre agnatum, vt adoleuit, pascendis suibus rus ablegatum: quum gregis pars aberrasset, paucitatem nec auctum reuerti domum fugisse Hispalim, atque inde in Indiā cum Alphonso Hoidea Vrabensis prouinciæ Præfecto transisse.

VULNERE lethali iactus Marchio anima agebat: Almagriste nihil cunctati foras se proiicere, & per urbem volitantes vociferari, VIVAT REX ET DIDACVS ALMAGRVS. Ad eas voces multi amici Marchionis tumultu exciti concurrunt: inde vulnera & cædes partium: sed quuin Almagristæ multitudine & animis longè superiores essent, facile aduersarios fundunt: Marchionis domum aliorūmque diuitum ciuium amicorum eius diripiunt, quorum alij cap'i, alij metu dilapsi fuga aut latebris discriminem vitauere. Didacus Almagrus Gubernatorem se ferens, omnes iurare in sua verba coegit, quoad Cæsar Peruanis rebus prospiceret. Mox sceptrum insigne Iuridice potestatis familiarissimis suis tradit: trecentos milites legit: arma & equos quibus non fidebat adimit: & sumnum Præfectum-militiæ Ioannem Radam designat.

HIS confectis, Cuscon properat: ibique à nonnullis aduersæ factionis ciuibus dissimilanter excipitur. Inter hæc iurgium forte inter Garciam Aluaradum & Christophorum Sotellum nobiles Hispanos oritur: Aluaradus Sotellum mucrone transfigit: quumque Didacum ipsum per insidias interficere destinasset,

Did. Alma
grus fil.
Peruanæ
prouinciæ
regimen
inuadit.

nasset: Didacus, patefacto dolo, in Garciae caput, quam ipsi struebat, perniciem vertit.

I POST mortem Almagri, nuncius ad Fr. Pizarrum allatus est de inuenta regione Canelle feraci in Quitenſi prouincia, Oriētem versus. Itaque ad eam occupandam Gonzallum Pizarrum fratrem mittere statuit. Porro arbor hēc, Canelle ferax, in prouincia Zumaco, sub Aequinoctiali linea sua, reperta, ampla est, folijs lauri, minutis baccis racematis coherentibus, qui calyce, suberino aut querino simili, continentur, ampliore tamen & magis cauo, colore nigricante. Ac tametsi multæ passim huins generis arbores siluestres existent: diligenter tamen & magna cura eas in suis prædijs indigenæ colunt. Itaque ex cultis longè nobilior Canella quam ex alijs nascitur: eāmq; illi in pretio habent, quia è circumvicinis regionibus, merces alias & vita tuenda necessaria omnia, huins aromatis ope redimunt. August. Zarat. Hist. Peru, lib. 4. cap. 1. & 2. Petrus Cieça parte prima Chron. Peruani, cap. 40.

2 Eum etiam exposuum & Suis uberibus aliquum aliquot dies scribit Gomara. Porro, quāquam in tanta trepidatione omnium, mors eius tamen multò miserabilis fuit: nec erat quisquam adeo rerum humanarum immemor, quem non commoueret illa facies: Marchionem & tot opū paulo ante dominum: qui tot à se repertas prouincias occupasset & diuisisset: non testamenti condendi, non venie peccatorum à Deo rogandæ, otio dato: in sua colonia, inter suos populares ac milites, per insidiaciniiles, quas multi prodidere, nemo prohibuit:

media luce duodecim hominum coniuratione interfectum: cum in tanto eius discrimine nemo colonorum, quos ferè omnes clientes & beneficijs suis obstricatos habebat, ad opem ferendam accurretet. Mox etia festinato & vix plebeio funere raptim contatum, ne amputaretur caput ludibrio futurum: direpta à comuratis domo, repente ad tam inopiam redactum esse ut funeri sumitus decesset. Hec Lima in Peru accidere, anno M. D. X L I. die XXV I. Iunij.

3 Christophorus Sotellus & Garcias Aluadus Cuscon urbem, Did. Almagri nomine, praesidio & pari iure obtinebant. Quum in iugio Sotellum Garcias interfecisset, cuiusque magno desiderio angi Didacum animaduerteret: vteionem ab eo metuens, occupare scilicet, & Didacum ipsum tollere statuit. Id cum perpetrare palam non auderet, occulta molitur. Didacum ad conuiuum invitat, inter epulas incautum obtruncaturus: ni coena iam condicta Didacus monitus, paratas sibi ab Garcia insidias, & gritudine simulata, valetudinem excusasset. Simul tribunos cum militibus aliquot, Sotelli amicos, in penetrale cubiculum condit. Garcias parato conuiuio, ipse cum amicis ad arcessendum domo Didacum proficiuntur: & quamquam ab uno & altero in via de insidijs à Didaco structis monitus, perrexit tamen ire: donec Didaci ades ingressus venire ad conuiuum rogat. Ille primo excusans, tandem aegrè assentiri, & è cubiculo alleuans praeuntem Garciam sequi. Interea fores clauduntur, & ab erumpentibus ex omnib. cubiculi partibus coniuratis, Garcias confoditur. Aug. Zarat. Hist. Peru. lib. 4. cap. 14.

¶ Vaca



*Vacca de Castro à Cæsare componendis Peruanae prouincie
motibus mittitur. Is Did. Almagrum prælio viclum
captumque capitali supplicio afficit.*

C A P. I X.

Vox sequuntur alij rerum successus. *Vacca ad
tautos in-
domitos
coercédos
à Cæsare
mittitur.*
Postquam enim Cæsar funestas Hispanorum discordias, Almagri mortem, Pizarri & aliorum cædes audiuit: Licentiatum Vaccam de Castro in Indiam mittens, questionem acrem exercere & vindicare in noxios iubet, ac prouinciam quam pacatissimè fieri posset, extinctis dissidiis compонere.

Hic cum mandatis Vacca ex Hispania soluens, Panamam peruenit: vnde in Peruanum regnum vela faciens, propter aduersos ventos portum Bonaventuræ petere coactus est: ubi in terram egressus, summis cum laboribus omnem Venalcazaris prouinciam terrestri itinere emensus, vix tandem Quiton urbem attigit. Ibi exploratis Didaci aëtis & consiliis, auditoque eum Gomezij Tordoiæ imperium spreuisse, cui ut Cuscon urbem Vaccae nomine occuparet mandatum erat: Trugillium petiit, eiusqæ ciuitatis tutela Moræ legato suo commissa, cum ducentis militibus, quos variis è locis raptim contraxerat, Limam contendit. Ibi regiis literis mandatisque coram editis, ab omnibus ciuibus Gubernator Peruanae prouinciae agnoscitur.

INDE, decem millibus ducatorum mutuis sumtis ad stipendia & sumtus belli, milites contrahit, arma & equos comparat, & cum quingentis Hispanis Guamanguam prope-
Vacca Di-
dac. Alma
grum ver-
bis mulce-
testu-det.rans, ex eo loco ad Didacum Almagruum scri-
bit, qui iam Cusco cum exercitu mouerat: vt
positis armis se fidei eius ac potestati permit-
teret. Si vltro obsequeretur, pollicetur non
tantum quæcumque antè peccasset ei condo-
naturum: sed & liberaliter daturum, vnde ho-
norifice in prouincia vivere & ordinis sui di-
gnitatem fastigiūmque tueri posset. Ad hæc
Didacus respondet: Si ab eo patris sui præfe-
cturam obtineret, & diploma Cæsareum, quo
veniam præteriorum consequeretur, his se
contentum forc: sin minus, se eius verbis pa-
ruin fidei habere: quando quo tempore de fœ-
dere & pace palam secum ageret, clam mili-
tes suos astu ad defectionem solicitaret.

Almagrus
occasione
vti nescit. VACCÀ Didaci animo cognito, Guaman-
gua, quòd is locus asperior esset, mouens pro-
gressusque edito in planicie tumulo, quem in-
digenæ Chiuppam vocant, in conspectu ho-
stium, confedit. Hic Didaco rei bene geren-
ter vti nouisset. Nam Vaccæ milites quum
agmen in clium montis erigerent, si defessos
& solutis ordinibus subeuntes adortus esset,
parua manu fundere poterat. Postera die am-
bo duces copias in aciem educunt, suosque
pro se quisque hortantur: victoriæ præmia in-
gentia ostētantes: victos contrà, vitam, decus
fortunas, imperium amissuros. Didacus suis
tormen-

tormentis loco plano constitutis , quibus Petrus Cretensis præerat , recta in hostilem aciem fulminabat : magnamque cladem hosti intulisset, ni id tempestiuè animaduertes Frá-ciscus Caruaial , Vaccæ Castrij primarius signifer , aciem paulum ex eo loco in vicinum obliquans, vbi à tormentorum ictibus tuta esset, exercitum seruasset. Didacus ab utroque machinarum latere equitatum, pedites in medio constituens: ipse in dextro cornu stetit, ubi multos Indos lanceis , lapidibus , iaculis & variis missilium generibus armatos locauerat.

V A C C A E de Castro acies hoc modo stabant , ipse inter primores cum triginta equitibus ceteram aciem antecedens : postea tamen suorum rogatu in postremum agmem sese recepit. Equitum aliae duæ ab utroque cornu locatae : dextrum Alfonso Aluarado, laevum Petro Alvarez Olguino , cum Regio vexillo tuendum datum : pedites in medium accepti. Indi qui in Didaci auxiliis erant , primi ante ceteram aciem progressi, pugnam lassententes, ab hostibus strenue pelluntur. Tum Didacus ferociter in hostem inuchitur: iamque acri vindique coorto certainine Castrij pedites tormentis aduersariorum potiti : & Didaci milites multis hostium cæsis, duo rapta signa referentes , omnia tumultu & dissonis clamoribus repleuerant : quum iam propinqua nox & dubia victoria omnes ad pugnam acrius incenderet. Ergo utrisque ad extorquendam hosti victoriam ingenti animo connitentibus, mul-

tum ibi sanguinis fusum est. Ad extremum Vaccæ victoria fuit, sed ea non incruenta. A parte Cæsaris, trecenti amplius Hispani cecidere, & ducum ipsorum pars maxima: Almagristarum centum fermè & quinquaginta: nonnulli Guamanguam & alia loca, prout quemque fuga tulerat, diuersi petiere: sed Vaccæ iussu capti, Licentiato Gainæ traduntur.

Is cognitis omnium causis, in noxios, sed maximè in duces ipsos & seditionis capita, animaduertit: quosdam diuersis equis distrahi, alios è patibulo suspendi iussit: milites aliquot **Almagrus** exilio damnauit. Didacus ipse è prælio, sequentibus tantùm quatuor militibus, Cuscon fuga cum fortuna fidem exuente proditur. Rodericus Salazar vrbis Prætor, quem ipse multis beneficiis donisque honestauerat, clade eius audita, quorundam aliorum ciuium consensu eum correptum Vaccæ tradidit. Is Didacum capite plecti iubet: eius morte pro capite plei uincie pax reddita. Mox Vacca Indos captiuos etiatur. inter milites, qui fidelem ac strenuam operam ei bello nauauerant, velut prædam diuidit: ceteros ad nouas terras subigendas dimittit. In de Indis de integro calamitates gliscere, quos Hispani, vacui bellis, aurifodinis exercendis, aliisque intolerandis laboribus vexabant.

¶ *Blaſcus*



¶ Blasius Nunez Prorex, & C. de Indorum libertate rigidius
vrgens Hispanorum odia in se concitat. Gonç. Piñarro du-
ce, publice aduersus Proregem bellum ab iis suscipitur. Pro-
rex Procuratorem regium interficit.

C A P. X.

DV M apud Peruenses hi rerum mo-
tus agitantur, Indicus Senatus, Cæ-
sar is iussu, Edictum de Indis in li-
bertatem restituēdis de integro confirmat: &
Peruanæ prouinciæ prōrex designatur, Bla-
scus Nunez Vela, ingentis spiritus atque ani-
mi vir. Hic Cæsareo diplomate instructus, cū
quatuor adfessoribus, licentiato Didaco Ce-
peda, Petro Ortizio, Ioanne Aluarez & do-
ctore Lisone, ab Hispania soluit.

Qv M sub finem Ianuarij mensis, anno
M.D. X L I I I , ad Nomen-dei appulisset, ibi-
que Hispanos è Peruana prouincia transgres-
sos reperisset, cuin magna auri & argenti vi
discellum in Hispaniam parantes: cognoscere
ex illis voluit quibus artibus aurum illud quæ-
sissent. Quippe istos Indica mancipia quæ ipsis
in parte prædæ obtigissent vendidisse accep-
erat, cōtrā leges nuper in Hispania latas. Itaque
Regiis magistratibus vt aurū illud retineant,
quoad verum quærendo cognosceret, impe-
rat. Ea res multis ciuibus noua atque insolens
visa est: præsertim quū in ea vrbe id ab eo ten-
taretur, quæ extra ipsius prouinciæ fineis esset.
Ipse tamē nihilo fecius, nisi Adfessorū & aliorū

Hispanorum, quorum opes in ea colonia multum pollebant, interuentu ac precibus mitigatus esset, pecunias eas omnes haud dubiè in fiscum redacturus erat: ac sic quoque ægrè admodum omnia dominis restitui iussit.

Prorogis
in Adsesto
res suos
false di-
ctum.

EX IN terrestri itinere Panamam petit, usque adeo Adsefforum pertæsus propter crebras ipsorum inter se altercationes: ut subinde diceret, Ab Cæsare & Senatu Indico se quatuor Adsefforibus ineptissimis instratum, quorum unus adolescens esset, alter stolidus, tertius stipes, postremus inficitia insignis. Quippe Cepeda adolescens erat, Ioannes Aluerez stolidus: Petrus Ortiz, imperitus literarum, & Latinæ linguæ planè ignarus, & quartus stipes & ineptus homo. E Panama in Peruanum regnum vela faciens, decimotertio quam soluerat die Tumbesiæ oram tenuit: neque vlla nauis tam breui cursu spatium illud unquam percurrerat.

Indorum
seruitus
soluitur.

AB eo loco restituendæ Indis libertatis initium faciens, vetat ne Hispanis quidquam commeatus aut mercium dent, nisi persoluto pretio: vetat ne Hispani ipsi ad baiulanda onera & vecturam sarcinarum inuitis abutentur. Nam qui ante eum ei regno præfuerant Gubernatores, edicto iusserant, ut omnibus Hispanis qui pedibus iter facerent, eorum locorum Cacici tres Indos baiulandis eorum sarcinis attribuerent: equitibus vero quinque: insuper singulis pullum gallinaceum, cuniculum, & patrij vini (quod illi *Azua* appellant) lagenam vnam, sine ullo pretio præberent. Ille omnia Prorex sustulit.

Q V Y M

Q V V M fortè Tumbesiæ in sacerdotem & Gonzalli Pizarri clientem quendam domesticum incidisset, qui prælio aduersus Didacum Almagrum gesto interfuerant, vtrumque in patibulum egit: in vtbe San-michaelis Didacum Palominum Indis vassallis priuauit, quod eos durius & inclemētius haberet. Grauissimè se in eos animaduersurū minabatur qui ipsius imperiis atque edictis audientes non essent.

I N D E Trugillium trāsgressus Edictum de Indorū libertate promulgat: quimq; ab eo ciues prouocare vellēt, prouocationē nō admisit: causatus se à Cæfare expressum disertumq; mandatū habere Edicti strictè adeo & exactè seruandi, vt appellationem ab eo nullā aut exceptionem admitteret. Omnes obstinatam & inflexibilē Proregis duritiam experti, & ipsum & leges, & earum latores diris exsecabantur. Qui seruos regio signo inustos habebant, vulgo sortē suam miserantes dicebant, nullam sibi aliam superesse opeim, nullam præterea rationem qua vxores, liberos & domum sustentarent. Qui eas prouincias subegerant, conceptū animis dolorem perferre non poterant, palam conquerentes: Postquam, pro imperio & gloria Cæsaris corporibus & fortunis consumtis, ei opulentissimum & pulcherrimum Regnum suis manibus quæsuerint, egregia scilicet sibi pretia laborum persolui.

S E D cum acerrimè omniū perstrinxit monachus ordinis D. Mariæ (Petro nomen erat) quum in has voces erūperet: Indigna præmia suam Maiestatem iis reddere, qui tam fidelem,

Monachus
intempe-
stiuæ li-
beratis
pœnas
morte
luit.

& strenuam operam ei nauarant: & eas leges
explendæ auaritiæ latas, rapinam potius quam
sanctitatem & iustitiam redolere. Neque aliò
spectare omnia Edicta quæ ex Hispania veni-
rent, nisi augerentur Regij reditus. Itaque his
verbis offensus Prorex noctu carnificem suum
misit qui Monacho gulam frangeret.

IA M superbiæ Proregis & durarum eius
legum fama vbique sparla erat, quum Hispani
malle se mortem oppetere, quam eiuscmodi
morem gerere legibus palâ ferentes, omnibus
locis tumultu& seditione agitant. Misera fortè
prorex Cuscon ad Vaccam de Castro legatū
quendā suum. Is rogatu ciuiū admittere eum
in urbem noluit: ac breui cum multis Hispanis
quo propius rerum statum inspicceret, in ciui-
tatem Regū contēdit. Appropinquātem vrbi
cum magno comitatū ciues adinonent ne in-
grediatur. quippe vereri se ne aliquid secus
quam vellet ipsi accideret, ob exclusum Pro-
regis legatum. Præterea quod tanto agmine
stipatus veniret, suspicionem de se aliquā mo-
turum. Itaque Cuscon potius reuerteretur, &
ciuitatem Regis nomine obtineret. Sed Vacca
regredi haud satis autoritati suæ decorū existi-
mans, maximā comitatus partē dimittit quo
minus suspectus esset, & cœptum iter peragit.
Breui Limam ingressus, commotum ciuitatis
statum & res perturbatas offendit.

NO N N V L L I ciuium Proregem monue-
rant, vt quamprimum posset, Trugillio venire
properaret priusquā Vacca de Castro Limam
ingrederetur: is ergo festināter oppido egref-
sus

sus Limam magnis itineribus cotendit. In itinere, eo loco cui Fossæ nomen est, inscripta parieti hæc verba reperit: *Quisquis fortunas meas ereptum veniet, mature videat quid agat: nam id quidē capit is sui periculo fecerit.* Præterea ei significatum est, decreuisse Limenses ciues eum Peruensi prouincia eiicere, nisi Edictorum effectum suspenderet, quoad à Cæsare rebus aliter prospectum esset.

Hī simul de rebus plurimūm indignatus Prorex Fossa mouet: quinque iam Limæ appropinquaret, Gulielmus Suarez Regius procurator (Factorē vulgò vocant) obuiā ei egressus iusjurandum ab eo nomine senatus exigit: Priuilegia videlicet, beneficia, & iura ipsis à Cæsare concessa sarta & tecta conseruaturum, prouocationémque à nouis legibus admissum. Prorex iusjurandum ita concepit, Se quæ ad obsequium & honorem Cæsarī pertinebant, ea omnia facturum. Ita ciuitatem ingreditur, maximæ parti ciuium parum gratus eius aduentus fuit: sed multò acrius odia omnium in se accedit, cùm Edictum de liberandis Indis promulgasset: quimque à familiaribus rogaretur ne faceret, quippe seditionem aduersus eum concituros Hispanos, contumaciter respondit, Se voluntatē suam & Cæsarī mandata prorsus exsequi velle. Mox etiam Vaccam de Castro in custodiā tradit, Edicta sua Cusci admittere noluisse cū arguens, & assunta Gubernatoris auctoritate Indos inter Hispanos diuisisse: postremò, non facta à Rege potestate, armis aduersus Almagrum certasse.

Prorex dū
de summo
iure nihil
remittere
vult, odia
omnium,
mox rebel
lionem,
excitat.

PROREX tum ceteris factis, tum maximè Vaccę vinculis, cuius in se benevolentiam studiūmque multò quām antea maius Limenses experiebantur, tantām omnium ciuium inuidiam, tantum odium in se conciuit, vt plerique Hispani Gonzallum Pizarrum crebris literis solicitarent, vt Cuscō quām celerrimè veniret. Incidisse res magni momēti, de quibus cum eo ibi agere vellent. Is tuin fortè erat apud Ciarchas fodinis suis prorsus intentus, nec de his rebus quidquam cogitās: tum verò frequentibus nunciis & literis excitatus, Cuscon venit. Ibi coniurationis principes sœvitiam Edictorum exponunt, quæ Prorex attulerat: quam etiam ipse intolerabili contumacia oneraret, omnē ab iis prouocationē respuēs. Itaque Gonzallum orare omnes vt pro pugnandæ vitæ ac fortunis suorum summum se Ducem & Procuratorem partibus ostēderet. Polliceri ac iurare singuli se strenuam fidelémque operā nauando fidem illi datam ad ultimum præstituros. Abnuere primò Pizarrus, & id à se expetari petī, j; nō debere dicere: quippe Edictis repugnare, quid aliud esse quā repugnare ipsi Cesarī, qui eorū obsequiū effectūmq; tā exactè vrgeret? Verū qui eas terras subegerāt Coloni, inceptū suum ab omni rebellionis suspicione purgantes, & causā probantes, flexere tandem ut imperium illud à se suscipi fateretur.

Hī s suffragiis Gonzallus Pizarrus Gubernator & Procurator generalis Peruanarū provinciarū designatus, vexilla de promit, & brevi quadringentos amplius milites contrahit.

Hæc

Gon. Pi-
zarrus dux
partium.

Hæc ita Cusci gesta esse posteaquam Proregi allatum est, Hieronymum Loaisam Limensem episcopum Cuscon ad Gonzallum mittit, oratum ut suscepta aduersus Regem suum belli consilia omitteret: ac Limam ad reconciliandam secum concordiam veniret. Id quidem cū prò certo habere posse, nullam ipsi incommodam Legem ab se allatam esse: immò venisse vt eum ingētibus præmiis & meritis afficeret. Verùm Episcopus à Pizarro neque auditus neque admisus, irrita legatione rediit.

PROREX, cognito Pizarri animo, metuens ne ille prius ad Limam cum exercitu esset quām ipso bello necessaria parasset: quinquaginta tormentarios ad præsidium sui corporis comparat: quantum militum potest contrahit: è variis locis noua subsidia arcessit: Quintæ vectigal retinet, quod Vacca de Castro confecerat vt primo quoque tempore in Hispaniam mitteretur: ac magnam præterea pécunię summam in sumptus belli & stipendia militum mutuò sumit. Itaque breui ad eum Petrus de Puellis Guanuco, Gonzallus Diaz è Piura cum multis Hispanis è Quitensi prouincia profectis confluunt: sed isti paucis pòst diebus quām Limam venerant cum omnibus ferè militibus aliisque trib.mil.ad Pizarrum transfigiunt. Nec multo pòst aliquot nobiles qui apud Factorem seu Procuratorem regium in hospitio erant, cum duobus eius nepotibus à Prorege ad Pizarrum transiuerent. Id vbi Proregi nunciatum, extemplò Alphonsum de Monte-maiore cum quinquaginta equitibus

ad capiendos trans fugas mittit. Ille fugientes assequutus proditur à suis & ab iis quos per sequebatur, capit: inde omnes uno agmine ad Gonzalluin Pizarrum concurrunt.

I N T E R E A Prorex, quem non minus de Prorex sectiones suorum quām hostiū apparatus an-
Procur. re- gū inter- gabant, Factori in primis succenfebat, ei vtiq;
tūcīes, sibi- vehementer infensus, quem totius mali cau-
met exitiū sam esse suspicabatur. Tandem hominem no-
adserit.

Etū arcessit: vixque ille domum eius ingressus
» erat, quum iræ impotens, Ecquæ tandem sunt
» istæ quas moliris prodiciones, Factor? in ma-
» lam tuam rem huc ad me venisti, quem tu te-
» chnis tuis peruerteris. Ad hanc Factor: Ergo tam
» bonus Regis seruus sum ac dominatio vestra.
» Prorex: Mentiris per gulam, inquit, simūlque
pugionem stringens gemino iētu eum confo-
dit: deinde ingestis vulneribus confectum à
domesticis, proiici in præcepse è cœnaculi per-
gula iubet: corpus eius à Proregis mancipijs
licentia tenebrarum, quum nemo prohiberet,
pedibus tractum & multis ludibriis vexatum
est, vt illuxit, honorifico funere effertur.

L I C E N C I A T V S Caruial, ubi fratrē à Pro-
rege interfactū cognouit, iurauit se non prius
quieturū quām mortem ipsius vltus esset. Ea
quidem Factoris cœdes pleriq; ciuium tantum
terroris iniecit, vt ne eadē à Prorege in se ex-
empla ederentur vulgo pautantes, Gonzalli
Pizarri aduentum ardentibus votis optarent,
qui ipsis perpetuā eam formidinem demeret.

I *QVIBVS de causis id factum sit, ex Hispanis scriptoribus paulo altius repetā. Per ea fermè tempora transgressi ex India Occid. in Hispani-*

niā aliquot Ecclesiastici homines, & bono, ut sibi videbantur, Zelo iⁿ impulsi, Regi & Indici consili proceribus renunciarunt, quām profligata licentia Hispani aduersus Indos sānirent. Quippe nō tantum eorū fortunas ferre atque agere, ipsos ad onera ferēda, velut iumēta, adīgere, immodicis tributis grauare, & verberare: sed etiā velut mācipia ad metalla dānata, in aurifodinas & piscatus unionum demergere. Itaque quēadmodum in insulis San-dominici, Cuba, San-Ioannis de portu diuite & Iamaica, omne propē indigenarū genus miseriis & laboribus interusset: ita in noua Hispania & in Peru breui omnes Indos à stirpe absumtum iri, nisi mature obuiā iretur. Porro eius mali maximam culpā sustinere Gubernatores ipsos, eorum legatos, & Maiestatis ipsius Procuratores, Episcopos, Cœnobia, ceterāsq. eiusmodi Speciosas personas, quæ fauore & opibus subnixa, nullā ex legibus actionem aut pœnam metuerēt. Hac & similia, tū alijs, tū maxiū inter ceteros Dominicanus quidā Baríholomæus de Casis, sedulō inquisita, ad Cæsarē retulerat. His ille acceptis Indico senatui negotiū dat, ut adiūctis Jurisperitis & religiosis alijs viris, ijs malis remediu adhibeat. Illi rebus sat cognitis & deliberatis, Edictū x L. capi- tum seu legum condunt, quarum summa hæc erat: PLACERE Indos liberos ac sui iuris esse: ac proinde nemini fas in posterū Indum ullū aut ad fodinas aut ad piscādos uniones adigere: imo ne ad præbendam quidem geruli operā, nisi forte ijs locis ubi alia vectura ratio nō suppetaret, ac ne tū quidē, nisi persoluta laboris mercede. Præterea Indis qui vectigales Hispanis essent, pro cēsus habitu, & modo tributa indici. Omnes Indos subduos patro

norum aut seniorum suorum morte vacuos: omnes fundos, agros, Indos vassallos, qui episcopis, monasteriis, Prochodochiis seu Hospitiis publicis per totam Indianam assignati essent, sub Regiae coronae dominium ac ditionem redigi: adeo ut ne ipsi quidem Gubernatores, eorumque legati, & Regij procuratores vassallū ullum Indū aut seruum retinerent. Porro omnes fundos, qui extra natalis soli fineis quoquomodo abducti essent, eō remigrare ac reduci, & Christ. religionē doceri. Hactenus de legib⁹, & causis earū. Nūc cui Prorēx cū Adsefforibus in Peruanā prouinciā missus sit, paucis expediā. Quum, Peru, totius Indiæ ditissima prouincia, ē Regia curia, cuius sedes Panamæ erat, supremum ius peteret, quod duo tantum juridici Adseffores redderēt: nec maxima anni parte cōmodè virinque nauigari posset: inde accidebat ut longa cauſarum dilatio & tardus litium exitus esset. Itaq; quum Peruanarum rerum maximi momēti statutus id exigere videretur, Pr̄sidiē Proregis titulo, qua tuor Adsefforibus comitatum eō mitti, nouāmque ibi Curiā statui placuit. Ceterū hæ leges Madridi⁹ latæ & promulgatae sunt, anno M.D.XLII. eāisque manus suæ subscriptione Cesar Barcinone confirmauit. Ex Hispanis scriptoribus.

2 Primus Prorēx in Peru missus est Blascus Nunnez Vela Abulensis, tum regiorum Castella satellitum Praefectus. Magno vir animo, rectus, & qui aduersum blādientes incorruptus, summos cum infimis æquo iure regeret: in primis Regia mandata exacto cum rigore nec simulatè exsequi studiosus. Experimentum sui dederat in Malacæ & Cuenca

& Cuence & præfecturis. Attamen & ira impotencie
fuisse, & suspicionibus properum, & credulum ni-
mis, & præcipitem in pœnas, res ipsa & exitus
postea docuit.

*In aliena prouincia intempestiuè imperium
exercere visus est: cùm (ex eo capite Legum, quo
iubebatur Indi natali solo reddi, quocumque mo-
do inde abducti esset) Peruanos Indos per Pana-
mensem prouinciam conquiri, atque inde nauibus
in Peru auehi iussit. August. Zarat. Hist. Peru. li-
bro 5. capite 2.*



*¶ Prorex Trugillium migrare constituit. Tumultu Limæ orto,
capitur & custodiæ traditur. Gonç. Piñarrus partium im-
perium & bellum in Proregem suscipit. Machicauus Pana-
man diripit. Inoiosa ei sufficitur. Verdugus Nomine des-
potitus, mox inde à Piñarristis eycitur.*

C A P. X I.

PROREX ut perfecto deum faci-
nore magnitudinem eius intellexit,
omniūque in se accensa odia, ho-
stis debellandi spe amissa, cum Re-
gio Senatu Trugillium migrare constituit. In-
staurare eo loco vires cogitabat: itaque quam-
uis repugnantibus Assessoribus, duas naues in-
strui iubet, & Alphonsum Richelium Re-
gium Præfectum ærarij, Alphonsum rationa-
rium Quæstorem, aliósque præterea nobiles
euocari iubens, negotium dat iis ut in diem
crastinum presto sint. Quippe Trugillium na-

Prorex
nemine
persequē-
te fugam
spectat.

uigare sibi esse in animo: & Velam Nunez quidem fratrem suum terra cum militibus mittere: se verò cum coniugibus ac fortunis omnibus tum Adsefforum, tum colonorum, maritimo itinere abituros. Nulli eorum satis animi ad cōtradicendum fuit: ergo magis non ausi repugnare quām consilium probantes abeunt, & omnia Adsefforibus enunciant.

Illi quum inter se ea de re deliberassent, Lima non excedere statuunt: simūlque edicunt ciuibus, ne coniuges neu quid rerum suarum exportari & in naues imponi sinerent. Ipsi quoque Proregi fortiter obnunciantes, commonefaciunt si Lima discederet, hostibus aucturum animos: manentem contrà frenos eorum audaciæ iniecturum. Præterea sibi à Cæsare disertè mandatum vt in ea ciuitate, non alibi, sedem figerent: neque aliò migrare, salLima ex
trepidatio
ne Prore-
gis tunul-
tus oritur. uo eius imperio, sibi esse liberum. Prorex tamen omni obnunciatione & obtestatione neglecta, pertinaciter in proposito perstans discessum parabat, quum in ciuitate ingens repente tumultus oritur. Rapta arma: Vela Nunez stans in foro cum aliis Proregis ducibus, mox desertus à militibus, metu hostium in cœnobium San-dominici confugit: alij domum proregis irrumpunt, & fores occludunt: circumfusi ædibus ciues quadrantis horæ spatio Proregem obsident: quem milites clamoribus magis quām armis propugnabant: quum innoxiis lancearum hastilibus, cuspidibus retro versis, subeuntem propellet hostem, & fistulas ferreas sine globis in vanum disploderent.

TAN-

T A N D E M Antonius Robles scala in murum euadens , domum irrumpit : portam recludi iubet : Dominican quidam monachi Proregem adeunt & vt sese dedat admonent. Ille tandem eorum precibus expugnatus, Laurentij Aldenæ aliorūque aliquot trib. mil. fidei sese permittit : & ad licentiatum Cepedam deduci se iubet. Prorex ea-
pitur. Ut in conspectu fuit, in- genti dolore anxius , quod obuius quidam , ipsum dum deducitur , infesto tormenti iactu appetierat, Cepedam ita affatur, Domine Ce- peda, inquit, rogo te, ne quis me interficiat , vt mei curam habeas. Cepeda cohortatus ne pa- uesceret, cum domum suam deducit. Mox etiam Adseffores consolantur hominem , & se eius calamitate grauissimè affici affirmant : se vt caperetur neq; operā neq; cōsilium dedisse, sed quando ita accidisset vt in ipsorū potestate esset, pro bono atq; ipsius vtilitate facturos vt eum in Hispaniam ad Cæsarem mitterent.

I N eo statu res adhuc erāt, quin ciuitatem noui de integro motus inuadunt. Nonnulli Proregem soluendum: alij contrà interficiendum censembarūt, aut certe è ciuitate pellendum. Tandē diu multūque inter se altercati ciues in eam sententiā omnes descendunt : Remittendum esse in Hispaniā ad Cæsarem, vti paulo antè diximus. Quippe eius discessum multa sequutura commoda : Pizarrum videlicet arma positurum : pacatam fore prouinciam: atque ea Cæsari satisfactura. Ergo quæstione de Prorege habita eiique culpa totius motus assignata , cum fratre in nauim impo- nunt , centuin amplius millia ducatorum Prorex in
Hispaniā remisus
liberatur.

domum referentem , quæ partim muneribus , partim stipendiis , partim rerum venditarum pretiis , contraxerat . Eumque cum omnibus fortunis licentiato Aluarez in Hispaniam deducendum tradunt . Is ad Tumbesia oram appulsus , Proregem liberauit : quo facto ei mox exitium attulit .

Eodem tempore Gonzallus Pizarrus Cusco mouens (paulo antè imperfectis Philippo Gottierez aliisque aliquot nobilibus , quod ad Regem multa aduersus ipsum scripsissent) duobus à Lima mil. pass castra locat . Quimq; ibi accepisset , Proregem solutum Tumbesia exercitum contrahere : priusquam urbem ingrederetur , quo in se animo Assessores & nonnulli ciues essent cognoscere voluit . quippe non paucos inclinati in Proregē studiis esse audiuerat . Ergo à senatu , omnium colonorum nomine qui eas oras subegerant , ciuitatis imperium postulat , quantum id Regij obsequij respectus & totius prouinciae communis vtilitas postularet . Maxima ciuium pars deferendum ei imperium censebat , metuentes ne vi irruimpens urbem ipsam diriperet : alij , Cepeda maximè , valida militū manu contracta fretus , omni ope propulsandum continebat : sed ubi cognouit maximam militum partem transisse in castra Pizarri : tum etiam a nonnullis , quod vim quam leniores vias experiri mallet , correptus : quum illi sine utriusque partis grauissimo damno prælij aleam tentari posse negarent , speciosiora suadentibus accessit . Hæc enim simulata tantum erant : neque

neque alio animo ab iis iactabantur , nisi ut Regis os fallaci obsequij specie sublinerent.

Omniū ergo consensu Gonzallus Limam ingressus, Gubernator , addita exceptione, dicitur : Nempe ea lege ut quoties Cæsar de rebus aliter statuisset, ipse eo se munere vltro ab dicaret: interea illud fideliter pro boni & Christiani viri officio , sub Dei & Regis auspiciis & imperio, gereret.

G O N Z A L L V S iam Gubernatorem agens res ciuitatis componit , Senatum abolet, insidias ab eo metuens : quadraginta millia ducentorum à Regio fisco mutua sumit ad stipendia militum: Machicaum trib. mil. Panamam mitit: Doctorem Teiadam in Hispaniam delegat, qui Cæsarem de prouinciæ statu, & quæ nouas leges sequuta essent incommoda , certiorem faceret.

MA C H I C A V S penuria maiorū nauium, duobus phaselis vela fecit cum l. tormentulariis : & oram præterlegens duas naueis ad Trugillium , & vnam in Tumbesiæ ora cepit: Proregi terrorē intulit: Ioannē Lanez in fugam vertit : aliquot milites in Portu-vetere contraxit : & prope Tabogam naue una potitus , eius magistrum, quod demissis properè velis in deditiōnem non venisset , ex antenna suspendit. Mox in Panamam appulsus , quum Ioannes Gusmannus qui militum pro Blasco Prorege delectum habebat , eum ingressu urbis prohiberet, intercessit eius prouinciæ Gubernator. Nam cùm audisset Machicaum non alia de causa eò appulisse quam vt doctorem

Gonz. P.
zarrus Gm-
bernator
Petu. defi-
gnatur.

Bacicaum
Hispani
scriptores
vocant.

T eiadam , legatum & procuratorē à communi Peruenis prouinciae ad ipsum Cæsarem missum comitaretur : Gusmannum cohibuit . quippe æquum non esse inquiens legatis morā & impedimentum offerre , & nulla de causa humanis cædibus materiem occasionemque
Machicauus
Panamam
diripit.
præbere. Itaque Machicao patet aditus : ipse cum maxima suorum parte in terram egressus , naues aliquot quæ in portu stabant occupat : milites qui Ioannem Gusmannū deseruerant omnes sibi adiūgit , cum multis volonibus erronib[us]que , qui Nomen-dei eò confluxerant : Bartholomæum Perefium trib.mil.eiūsque signiferum interficit : ac multò plures intermisset , quòd initis de ipso occidendo consiliis ad exercitum eius tradendum Proregi conspirassent , nisi sibi consuluissent fuga : tormenta vrbi propugnandæ comparata capit : negotiatorum tabernas vestiendis militibus exhaurit , se aliâs pro mercibus pretium persoluturum pollicitus . Exactis per hæc scelera aliâque multa aliquot mensibus octo nauibus & quadringtonis amplius militibus auctus , Panaima in Peru renauigat .

P O R R O metuens Gubernator Pizarrus ne Prorex è Panama bello vires facillimè reparet , quòd is locus nauibus quæ ex Hispania ad Nomen-dei appellunt opportunus & commodus esset , eum portum sibi occupandum statuit . Sed quum audisset Panamenses ciues

Inoiosa & mercatores de Machicai latrociniis & rapi-
Machicao
sufficitur.
nis plurimum queri , abdicato ei munere , Petrum Inoiosam in eius locum sufficit . Non defue-

defuere qui intercederent & Machiaco munus illud continuari vellent : sed hæc sententia obtinuit. Inoiosa, Proprætoris seu summi classis præfecti titulo auctus , cum centum quinquaginta tormentulariis è Calliao Limæ portu soluit : inde oram præterlegens Vela Nunez in portu Bonauenturæ cum x x.millib. ducatorum corripit. Is in eo portu duos myoparones instruebat , traiicere in Panamam cogitās, ibique Proregi fratri suo milites conscribere. Eum captum Inoiosa Limam ad Gubernatorem mittit: qui mox eum tumultus cientem & colonias ad Proregis partes fouendas sollicitantem capite plecti iussit.

Proregis
frater ca-
pite ple-
ditur.

I N O I O S A præterea Gonzalli Pizarri filium, quem captum Vela Nunez secum ducebat, recuperat : & cum ea præda è portu Bonauenturæ soluens tribus nauibus & duobus myoparonibus, Panamæ oram tenuit. Ibi tum forte Ioannes Lanez milites Proregi contrahebat. is vt naues conspexit, exemplò pulsari tympana iubet , & in forum cum militum agmine progressus , quantum niti voce poterat ciues inclamat : Prodite foras Proditores , & regiam prouinciam à tyrannis defendite. Hæc verba multorum indignationem odiumque in eum commouerunt.

P O S T E R A die Petrus Casaus summus eius prouinciae Prætor (Iustitiarium maiorem vocant) Ioannis Lanez rogatu , milites Nonnini-dei colonia excit : simulque ad Inoiosam mittit qui causam aduentus eius quærerent. Ille se ad Ferdin. Machicai nominæ

luenda & dissoluenda venisse, respondet: eo facto, mox in Perusium regressurum. Attamen vbi ille Panamæ arma in se sumi & vim parari intellexit: nec pati vllomodo velle Ioānem Lanez vt vrbe intraret: milites in terram exponit, & inter prominentes littoris scopulos collocat: myoparones cum aliquot tormentis oram radere iubet. Altera ex parte Ioannes Lanez Panama obuiam egressus, cum trecentis amplius Hispanis, castra prope hostem locat. Iāmque tormentarius, iuslū Lanefij, machinæ vni ignem immissurus erat: quum monachus quidam ordinis D. Mariæ, crucifixi imaginem gestans, cum Petro Caberra mula circumuectus, P A x, P A x, alta voce proclamat.

Inoioſa **stratega.** PROGRESSI ad colloquium vtriusque partis duces, his legibus fœdus ineunt: Vt Inoioſa xxv. tantum militibus coimitatus vrbe intraret: reliquum exercitum & naues ad Tabogam insulam procul vrbe remoueret, donec Machicai debita persoluisset: postremò nobiles viros duos, quoscunque Lanez legisset, fidei obsides daret. Inoioſa his acceptis conditionibus, Balthassarem, comitis Gomeræ filium, & Paulum Menesium trib. mil. obsides tradit. Ita fallacibus promissis circuento Lanesio, pax inter eos componitur. At paulo pōst, quum persoluendis militum stipendiis pecunia Lanesio deesset, milites eius terti quaternive ex vrbe in Tabogam comedantes & ludicris cantionibus, quominus suspecta res esset sese oblectantes, per omne induciarum

duciarum tempus, paulatim omnes duci suo
clapsi ad Pizarristas transfugere. Ipse tandem
ab omnibus destitutus, uno reliquo pedis-
quo fugæ comite, Panama decedit, & Cartha-
ginem sese recipit. Inoiosa orbā præsidio vr-
bem cum exercitu intrat, festas inter militum
voces clamantium, **VIVAT REX ET GON-**
ZALLVS PIZARRVS. Mox ad Nominis-dei
coloniam occupandam & eum portum tutan-
dum Petrum Cabreram & generum eius cum
duabus cohortibus mittit,

NoN multo pōst Melchior Verdugus, Pi-
zarri partibus infestus, eum ducentis militi-
bus per emissarium Nicaraguensis lacus se-
cundo amne defluit. Ad Nomen-Dei noctū
fortè quum appulisset, milites exponit. Egre-
dientium in terram militum tumultu excitati
coloni, Gallos esse arbitrati, in siluas confu-
giunt. Melchior in Cabrerae ædes ignem ini-
ci iubet, illum simul conflagraturum cum do-
mo ratus: sed iam ille in Panamam cum gene-
ro aufugerat. Ad eum modum Verdugus No-
mine-dei potitus, eam præsidio munit.

A T ciues, quum multas à militibus iniu-
rias quotidie paterentur (illi enim militari li-
centia merces & quæque obuia rapientes, a-
liaque infanda edentes facinora, ius etiam
prætexebant sceleribus: Id nimirum meritò
iis accidere qui Tyrannos aduersus Regem
defenderent) graues de illatis sibi à Verdugo
damnis & iniuriis querelas ad doctorem Ri-
ueram, eius prouinciæ Gubernatorem, defe-
runt. Is Panamæ manebat: ac tum Petri Inoio-

Verdugus
Proregis
partes fo-
uens No-
men-dei
capit.

ſæ auxilium implorans, cum eo Nomen-dei
cum centum & quinquaginta tormentulariis
properat. Prius tamen quam vim adhiberet,
Verdugum obtestatur, ut præstitis impensis &
pensatis damnis quæ colonis intulerat, pro-
uinciam suam extemplò repeteret. Id nisi spō-
te faceret, vim & arma expectaret. Ad hæc
Verdugus, Et eum & colonos grauiora mire-
ri, quando tyrannos in regia prouincia foue-
rēt, respondet. Inciosa tam cōtumaci respon-
ſo offensus, ciuitatem irrumpit, suos vndique
Verdugus
Nomine-
dei eiici-
eur.
inuadere hostem iubet. Verduguenses tanta
tormentulariorum copia perterriti, adhæc, ut
qui nihil præcauissent, incompositi inordina-
tique, omissa defendendi sui cura, terga ver-
tunt: & princeps fugæ ipse Verdugus in myo-
paronem raptim infiliit: certatimq; milites na-
uiglia è portu moliti inde omnes, præter vnum
vulnere impeditum, trepida fuga excessere.



Centenus à Caruiale funditur. Prorex prælii fortunam
aduersus Pizarrum expertus vincitur
& interficitur.

C A P V T X I I .

Hec Panamæ & Nomine-dei gere-
bantur: interea Gonzallus Pizarrus
ad opprimendum Didacum Cente-
num, rebellionem aduersum se mo-
lientem, Franciscum Caruialem Præfectum
castrorum legatum suum mittit. Is Centenum
ad Potositam assequutus, aggreditur, funditq;;
vſque

vsque adeo captiuis militibus immitis vt omnes suspendi laqueo iuberet. Cétenus ipse inter tumultum cum Lodoico Rioera & famulo vno in montes quosdam asperos Indis habitatos elapsus nō procul Arequipa, perniciē effugit. Caruaial ea victoria infolescens & varia per loca infesta arma circumferens, omnia sanguine, ferro flammisque miscuit, Ciarchas diripuit: atque ex eo loco Arequipam, dein Cuscon regressus, latrociniis, suspēdiis, & corporum dilacerationibus, quosquinque Regiis partibus fauentes cepit, atrociter vexavit.

EODEM ipso tempore Prorex in Popaiano, prouinciæ Venalcazaris agro erat: à Gonzallo Pizarro instantे acriter cedēti diu iactatus, eius manus vix effugerat: tum verò ibi delitescens cùm mendaci rāma accepisset Pizzarum è Quito Limam concessissimè, et si captiuitate fratri non mediocriter angeretur, spei tamen recuperandi imperij, vindictæque à Pizzaristis expetendæ, non omnem abiecit. Itaque Sebastiani Venalcazaris ope quadringentos Hispanos cōtrahit, aciēque instructa procedens: ubi Ottabalum peruenit, Gonzallum nec Limā profectū, nec procul abesse cum valido exercitu aduersus ipsum venientem cognoscit. Hoc tam inopinato nuncio perculsus sub vesperam crebris ignibus ad fallendum hostem passim excitatis, inde prima ferè vigilia mouit: & per inuios saltus atque asperatesqua raptim exercitum dicens, ne ullo quidem quietis momento ad relaxandū laborem dato, totā cam nocte & magnam sequētis

Prorex vi-
res instau-
rat.

dici partem, ducibus Indis, ingens viæ spatiū
emensus est. Ac vix tādem, fatigatus & propè
exanimatus siti, Quito peruenit. Ibi quum
Numidica mulier aquæ ampullam vnam ci-
porrexisset, sitim restinxit: & à ciuib. de exer-
citū Pizarri diligenter sciscitatus, vbi validum
esse comperit, aliquantulum expauit: mox col-
lecto animo, multis consulētibus ut positis
armis Gonzallī fidem ac clementiam experi-
retur: Vel mori strenuè sibi esse melius respo-
dit, quām se tali viro, id est tyranno, dedere.

Prorex a
Pizarro vi
etus inter-
ficitur. **E**X INDE nonnullorum fidei ciuium dif-
fisus, Quito egreditur, & tribus ab vrbe pass.
millibus in modica planicie, castris locum de-
ligit. Pizarrus quin dispersis paſſim explora-
toribus nullæ hostis res fallebant, fuga Prore-
gis comperta & quanto flexu viæ copias cir-
cumduxisset, milite sequi iusso cedenti insta-
re constituit, & postera die patentibus locis
eum adeptus, castra castris contulit. Prorex a-
nimosiùs quām prudētiùs suos in aciem edu-
xit: neque illi pugnam detrectant. Ac primo
cōgressu tormentarij Pizarri pilis plumbeis
hostium aliquos obtruerant: hinc trepidantes
equitum alæ Proregi circumfunduntur: ille a-
nūnosè pugnā ciens omnes pariter in hostem
ducebat. Sed transuersam Regiorum aciem,
equitum turma duce Cepeda incursans, facilli-
mè perrupit. Prorex ex equo deiicitur, quūm-
que oppressus pondere armorum niti ad re-
surfendū non posset, ignotus aliquandiu in-
ter suorum hostiūmque stragem fefellit. Mox
quum Quitensis ædituus illac fortè præterue-
ctus

Etus, propius sc ad eum applicuisset, tum Prorex: Abstine à me manus, inquit: ego sum Prorex. Sacerdos, Opportunè: tu is es quem nos querimus. Ac confessim ad licentiatum Caruaalem accurrens, lætum illi hoc nuncium perfert. Is Factoris fratris sui cædem vlcisci ardentissimè cupiebat, quem Prorex manu sua, ^{sup.ca.10.} vt antè diximus, intercinerat. Ergo properabat vt iacentem hostem confoderet: ni Petrus de Puellis descendere equo parantem cohibuisset, Haud satis decorum ipsius autoritati eiuscmodi facinus edere, admonens. Ille igitur seruo ad cædem eius missò, Proregem obtruncari iubet. Interfecti caput abscissum Quiton Caruaialis iussu defertur, & patibulo vnde capita noxiorum pependerant, affigitur. Neque eo ludibrio contenti nonnulli, barbam etiam contemtim vulnerunt. Tandem tamen corpus sublatum, deportatur Quiton, & postera die iussu Gubernatoris honorifice conditur.

E o prælio Pizarristarum quinque cedere, aliorum paulo plures. Gubernator moderatè victoria usus, cum hostibus clementer egit. Venalcazarem quoque, quamquam aduersus se pugnasset, donis prosequutus, in suam prouinciam remisit, & aliquot præterea Prætores & duces. Bonissimam Præfectum ærarij, & alios Quitenis ciues captos, Chilen in exilium misit. Sed illi comparata clanculum nauis in nouam Hispaniam aufugére. In Guaiaquil Manuelem Statium Propræfectum misit: ad Portum-veterem, Lupum Aialam: Saufam

Alphonsum Mercadillium: Trugillium, Dida-
cum Morā. Ad hunc modum ceterarum ciui-
tatum imperiis distributis, Petrum de Puellis
quoque legatum Quito præficit, & inde pro-
gressus in ciuitate Regum ingenti omnium
lætitia exceptus est.



Petrus Gasca componēdis Peruane prouinciae motibus mit-
titur à Cæsare. Ad GonZallum PiZarrum scribit. PiZarri
& rebellium responsum. Multæ rrbes à PiZarro deficiunt.
Centenus Cuscon occupat.

C A P . X I I I .

NT E R hos Peruensiū motus, nun-
cius affertur Cæsari Proregem à Li-
mensibus captum, à Gonzallo Pi-
zarro motam contumaciter rebel-
lionem & sumta aduersum se arma. Ex quo
ingenti dolore affectus est, grauiter Adseslo-
res incusans, quòd talia consensu suo appro-
bassent. Mox comperto, præcipuam mali cau-
sam à Prorege ortam: illūmque quim nol-
let prouocationem à nouis legibus admitte-
re, seditioni materiem &flammam subdidisse:
 aliquantum mitigatus, ne prouincia maius de-
trimentum acciperet, superioribus vulneribus
sanandis quieti ingenij hominem legere in-
stituit. Nemo ad eam rem licentiato Petro
Gasca aptior visus est, viro quem astutissimæ
vulpis quam ferocissimi leonis similiorein fa-
cile esse crederes. Hunc Præsidis titulo
auctum

Vbi leoni-
na pellis
non suffi-
cit, vulpi-
na assuitur

auctum, omnique imperio, auctoritate, & quibuscunque voluit petiūtque literis ac diplomaticis instructum, in Perusium mittit.

I s licentiato Cianca & Renterio comitibus adiunctis, anno M. D. X L V I. ex Hispania vela fecit, ac prospero usus vento quinquagesimoquinto quam soluerat die ad Nomen-dei appulit. Inde terrestri itinere Panamiam progressus, quam occultissime fieri poterat, quo statu Pizarri res essent, sagaciter odorando & sciscitando peruestigabat. Siquando à Pizarristis forte interrogaretur, quam ad rem ex Hispania mislus esset, omnibus comiter ac saepè capite aperto respondebat, Se ad componendos Peruenses motus, & abroganda Edicta quæ Prorex attulerat, venisse: ac oblitteratis venia omnibus quæ deliquerant, summopere se cupere eas prouincias in pristinum statum reducere, ut omnes honestè pacificèque viuerent. Interdum etiam familiariis cum gregariis militibus sermonem socians, bono animo & hilari esse iubebat: se omnia velle recta & molli via consequi: quinetiam diuitiis omnes expleturum pollicitus, non se alio tendere affirmabat quam ut ius earum prouinciarum recuperaret: & ipsi agnito errore sub imperium Cæsaris redirent.

Cæsare in
subodorā-
dis hostiū
cōsitis mi-
ra fole-
tia.

H i s & aliis multis eiusmodi splendidis dictis omnium oculos perstringens, simul Inoiosam aggreditur: & ad tradendā sibi cum exercitu classem solicitat. Dein ad Pizarrum

Gascæ fal-
lacies ad
Pizatrum
literæ.

literas mittit, ² quarum sententia hæc erat: Si Imperium & arma sponte poneret, veniam ipsi omnium antè actorum à Cæfare tribui, & abrogatis legibus nouis omnibus fortunas suas relinqui. Porro ne eorum qui ipsius partes haec tenus sequuti essent, fidei nimium initeretur. quippe illos, simulac vocem Regis audissent, veniam & pacem offerentis, omnes ab eo ad vnum defecturos, & perniciem eosdem ipsi allatueros, quibus salutem suam crederet.

His acceptis literis Pizarrus, aduocato primorum consilio, omnes sententiam liberè dicere iubet. Illi, re diu multumque delibera-ta, tandem congruentibus ferme in vnum omnium sententiis decernunt, Primum omni ope Gascam Paruanæ prouinciæ aditu prohibendum esse: deinde mittendum legatum ad Cæfarem, qui de Proregis morte ei explorata omnia & certa referret: tum Regiæ eius Maiestati supplicaret, vt propitia volensque prouinciæ imperium Gonzallo Pizarro confirmaret. Id si ab eo impetrarent, magnam vim pecuniaæ ei se vitro contributuros. His decretis, F. Hieronymum Loaisam & Laurentium Aldanam in Hispaniam delegant, ac epistolam ad Gascam Præsidem communi omnium nomine scribunt, legatisque eam, sexaginta quatuor Provincialium, qui eas terras pro virili parte manu ceperant, chirographis subscriptam & obsignatam ad eum preferendam tradunt. Exemplum eius infrà scriptum est:

MAGNIFICE domine, te Panamam ad- Gonzalli
 uenisse, & nunc quoque de traiectu in Peruē- & partium
 sem prouinciam cogitare, accepimus. Equi- ad Gascam
 dem si paulo maturius & ante Proregis mor- magnani-
 tem venisses, id nobis non minus iucundum
 quām vtile futurum fuisse testamur. Nunc au-“
 tem post tot intestina bella & Hispanorum “
 cædes non tantū parum tutus in has prouin-“
 cias aduentus tuus, verum etiam detrimētum “
 aliquod grauius allaturus est. Quare multo sa-“
 tius videtur, & cum publico omnium bono “
 coniunctum vt tu in Hispaniam cum legatis “
 nostris redeas, quos ad Cæsarem mittimus, vt “
 ei horum motuum causas successusque & cō-“
 filij nostri summae exponant: petantque ab “
 eo vt Gonzallo Pizarro huius prouinciae im-“
 perium proroget ac confirmet, peritissimo “
 omnium viro ac longo rerum & tractandæ “
 prouinciae usu affluefacto: qui etiam propter “
 singulares ipsius virtutes ab omnibus merito “
 velut Parens-patriæ habetur & diligitur: qui “
 prouinciam pace & iustitia regit: qui Regia “
 vectigalia ac redditus sartos tectosque præstat. “
 Ac nos quidem eam gratiam à Cæsare acce-“
 pturos confidimus, propter egregia in eum
 merita & constante in obsequio & fide per-“
 seuerantiam: quam, etsi ab ipsius Legatis &
 Præfectis bellis ciuilibus, & rapinis adeo vo-“
 racibus, vt ne vectigalibus quidem regiis pe-“
 percerint, crudeliter vexati, integrum hacte-“
 nus retinuiimus. Facilè quoque nos ei probatu-“
 ros speramus, quæcunque propugnandi nostri “
 causa sumitis in eos armis gessimus. quidquid “

„enim hujus fecimus, quod leges permittunt,
 „iuris nostri tuendi gratia fecimus. Quare ve-
 „niam aut gratiam criminum nullam ab eo pe-
 „timus: quando delinquisse in eum aliquid nobis
 „conscij non sumus. Te verò pro eo studio ac
 „zelo, quo haetenus semper in Dei cultum &
 „Regis obsequium affectum esse præte tulisti,
 „magnopere oratum volumus, vt Hispaniam
 „repetas, & quæ his prouinciis recreandis com-
 „moda necessariaque esse pro tua pruden-
 „tia perspicis, ea coram ipse Regiam maiesta-
 „tem edoceas. Quod te quidem ita facturum
 „speramus.

LITERAS quoque dant ad Inoiosam
 (& hoc idem Pizarrus Laurentio Aldanæ in
 mandatis dedit) vt Petrum Gascam l. milli-
 bus ducatorum donatum in Hispaniam re-
 mitteter: aut si potius ita videretur, eum inter-
 ficeret. Id mox allatis Panamæ literis, Lau-
 rentius Aldana Præsidi Gascæ indicauit, mo-
 nuitque vt ab occultis hostium insidiis ad
 ipsius cædem structis caueret. Præterea ei pro-
 certo retulit Pizarrum nunquam sponte pas-
 surum vt Peruanam prouinciam intraret:
 quamquam alioqui complures bene in Re-
 gem animati eum multo libentissimè visuri

Inoiosa
 classem Pi-
 zatti, Ga-
 scæ pro-
 dit.
 Ceterum quum Inoiosa nullo pacto
 adduci posset vt classem Gascæ proderet,
 nempe fidei Pizarro datæ nondum imme-
 mor, ad ultimum tamen Cæfareis literis in-
 spectis, quibus anteactorum omnibus qui à
 Pizarri factione ad Regem desciuissent venia
 dabatur,

dabatur , expugnatus eam tandem tradidit: Tanta re tam facile potitus Gasca , sine qua frustra in oppugnando Pizarro se fatigasset, ingenti lætitia, eundem Inoiosam vt ante classi præficiens : ceteros quoque classiarios duces suo quemque gradu atque ordine quem prius obtinebat relinquit. Simul Nomine dei aliquot tormenta & machinas aduehi iubet, quas ex Hispania transtulerat : mox etiam Mexico, Guattimala, Nicaragua, Dominica, missis ad præfectos literis , milites , equos, arma, comedatus contrahit : pecunias in stipendia militum mutuas à Mercatoribus sumit : Laurentium Albanam ad promulgadas Veniæ generalis literas & nouarū legum abrogationem, tribus nauibus in Perusium mittit.

I L L E Panama soluens , nullo loco prius terram attigit , quām in Calliaum Limæ ostium peruenisset. Inde nauim vnam è tribus Trugillium, alteram Arequipam mittens, pluribus simul locis Regia diplomata & classis defectionem euulgat. Quæ ex re factum est ut maxima pars ciuitatum, fama de classe ab Inoiosa Gasca prorita sparsa , à Gonzallo Pizarro deficeret. Primùm Trugillij Didacus Mora , Quiti Rodericus Salazar ab eo descivere , quorum hic Petrum de Puellis iacentem in lectulo pugione confodit : Franciscus Vlmeus in Guaiaquil Emanuelem Statuum interemit , iam tribus aliis in Puna insula ciuibus interfectis. Quæ quidem cædes iam refixo explicatōque aduersus Amici tū fortuna fidem mutantes.

552 HIST. NOVI ORBIS
rebelles & proscriptos vexillo regio, impunè
grassabantur.

Quod vix fortè tantas inter rerum procellas
ad Portum-veterem essem, Didacus Mendez
Lupum Aialam cepit, Moralem trib. mil. stra-
gulari iussit: sed ab istis hæc vlciscendi potius
rabie quam studio iustitiae fiebant. Didacus
Centenus à Didaco Aluare Arequipa excitus,
è montium latebris, in quas se abdiderat, pro-
dit, & se Aluari iungit. Mox affluentibus quo-
tidie aliis, cum octoginta Hispanorum globo,
quos eiusdem causæ sors aggregauerat, Re-
gis nomine Cuscon occupare properat: eam
tum trecentorum militum præsidio Antonius
Robles obtinebat, quos paulo post ad Pizar-
rum ducturus erat. Id ut comperit Centenus,
noctu urbem intrat: hostes incautos & soplitos
opprimit. Multi trucidati, vulnerati plures:
dux ipse viuus capit: ei Centenus cœrueces
abscindi iubet, & ceteram multitudinem, amif-
fo duce, sub imperium Regis facile redigit.

Quod vix Victoria admodum instatus, Cusco mo-
uet, & Potosiam aduersus Alphonsum Men-
dozzam & Ioannem Silueiram contendit. Hi
duo Pizarri legati erant, eo loco iussa eius cum
valida manu expectantes: sed ubi Centenum
aduentare intelligunt, ei obuiam vltro egressi
kopias iunxere. Quibus ille viribus auctus Ti-
quacacensis lacus claustra occupat & cum exer-
citu ibi confidet, eo consilio ut Præsidem op-
periens, simul obfesso eo transitu omnia iti-
nera hosti intercluderet.

OMNIVM

OMNIVM quæ in Peru acciderant nunc
cium accepit Carolus Cæsar in Germania (vbi tū
aduersus Protestantes bellum gerebat) per Dida-
cum Aluarez Proregis Vele cognatum & Fran-
ciscum Maldonadum Gonz. Pizarri domesticū.
Eorum porro malorum remedium aliquandiu di-
latum est, tum quod Cæsar Castella abesset, tum
quod morbis nonnunquam implicitus, gravioribus
curis non vacaret. Tandem Petrum Gascam eò
mitti placuit, qui tum ex Inquisitionis Hispānicæ
collegio & consilio erat, cautum & cordatum virū,
& cuius animum ingentibus negotijs parem soler-
tiāque expertus fuerat Cæsar, tum eo apparatu,
quem paucis antè annis in regno Valentiae aduer-
sus Turcarum & Maurorum classem fecerat,
quam imminere Hispania allatum erat: tum aliis
negotiis, quæ propriè ad Inquisitionis munus &
Infidelium conversionem spectarent. Hunc virum
Cæsar, abrogatis durioribus illis Edictis, quæ Bla-
fco Vela exitium attulerant, attributo libero im-
perio, componendis Provincia motibus delegit.
Neque ille, gnarus plura consilio & astu quam vi
perfici, superbiorem titulum asciuit, quam Presi-
dis Regiae audiētia sine Curie Peru: nihil aliud
palam p̄ se ferens, quam se missum esse, ut omni-
bus ignosceret, & quam mollissima via consequi
posset omnia in pristinum statum restitueret: acce-
ptis tamē à Cæsare literis, sigillis & chirographis,
quorum autoritate, si opus esset, vires & milites
contraheret: sed id clam. August. Zarat. Hist.
Peru. libro 6. capite 6.

2 PETRVS Gasca longa epistola Gonz. Pi-Zarrum monuit ut abdicato Gubernatoris mune-re, sponte sub fidem atque imperium Casaris con-cederet. Eius exemplum exstat apud August. Zarat. Hist. Peru. lib. 6. cap. 7. Eam per Petrum Hernandum Paniaguam misit, simulque Caroli Casaris literas ad Gonzallum Pizarrum scri-ptas, Anno M. D. XLVI. Earum literarum sen-tentia hæc erat:

Rex.

GONZALLE Pizarre, tum literis tuis,
tum aliorum relatu, certiores facti sumus de exor-tis in Peruanis prouinciis motibus, ceterisq; rebus
quæ ibi acciderūt, ex quo Prorex Blascus Nunez
Vela legatus noster, & cum eo Regiae curiae Au-ditores eò missi sunt: quod nimirū illi nouas leges
atque Edicta, à nobis facta ad iustum earum re-gionum regimen, & clementer tractandos earum
indigenas, rigidius exsequi vellent. Ac certum
quidem habemus, nec te, nec eos qui te sequuntur,
eo consilio secessisse ut imperium nostrum exuere-tis: sed tantum ut rigore & asperitatem declina-retis, qua dictus Prorex ita uti strictè volebat, ut
nullam ab ijs legibus pronocationem admitteret.
Itaque, totius rei veritate accurate perspecta, si-mul auditio Francisco Maldonado, qui abs te &
Prouincialibus colonis missus nobis omnia retu-lit: licentiatum Gascam, è sancto & generalis In-quisitionis corpore ac consilio nostro eò mittere vi-sum est. Quem idcirco mandatis ac potestate in-struximus, ut, eis terris pace ac quiete reddita,

que-

quæcunque ad Deiculum, prouinciarum consti-
tutionem ac decus, & colonorum, clientium no-
strorum, & indigenarum commoda pertinere ipse
videbuniur, ea omnia curet ac prouideat. Quare
vobis mandamus atque iniungimus, ut quæcunq;
dictus Licentiatus nostro nomine vobis edixerit,
ea presteret, ac perinde dicto audientes ei suis, ut
si ea à nobis ipsis mandata essent: tum ut quanto-
cunque poteritis, fauore & ope cum iuuetis, quò
facilius commissa à nobis perficere & exsequi
possit. Quod vos præstaturos confidimus. Ac me
quidem scito habere in memoria, & habiturum
benefacta & officia in me vestra, tum quæcunque
Marchio Franciscus PiZarrus frater tuus im-
perij mei propagandi causa, preclarè & fortiter
gesbit: atque eorum tum liberis eius tum fratribus
suo tempore præmia persoluturum. VENELO,
xvi.die Februarij. Anno M.D.XLVI.

EGO REX.

Mandato sue Maiestatis:

Franciscus de Erafo.

Gonz. Pizarrum xnicorum præcipui deserunt. Centenus ab eo, prelio vincitur. Chilensem provinciam, suadente Caruiale, perte abnuit.

C A P. X I I I.

NT E R E A Pizarrus è Regum ciuitate miseram partium ruinam, & paulatim diffugientes cum fortuna amicos, conspiciens, eos præsertim qui suscipiendi huius incepti præcipui ipsi autores & participes fuissent: ac iam à Petro Inoiosa, in quo uno maximè spem ac præsidium rerum suarum collocauerat, classem Gascæ zarri inuenitus in aduersis animalibus sumpta in se arma: ingenti quidein dolore percuti, non tamen tot aduersis casibus frangi aut animum abiicere. Itaque aduersum mala insistens spei, Ioannem Costam ducentis cum militibus Trugillium aduersus Didacum Moram mittit: sed is quin Didacum Cassiamalcam concessisse & se validiorem esse competuisse, Limam reuertitur. Eum mox Pizarrus cum maioribus copiis Cuscon ablegat, vt inde Centenum ciiceret, quem in ea vrbe esse existimabat. Paulo post istius discessum, Laurentius Aldana Limensem portum quatuor nauibus inuestitus, ingentem Pizarri exercitui terrorē intulit.

IN ea trepidatione Ioannes Roias & Alphonsus Maldonatus cum multis aliis Pizarrū de-

deferuere. Pizarrus ne plures ad hostem transfugerent veritus, Lima Arequipam migrare constituit: sed ne ea quidem res licentiatⁱ Caruaialis fugam morari potuit, qui cum omni familia, cognatis & amicis repente à Gonzalo descivit. Eius hominis transitio Gubernatoris animuīn vehementer pupugit, quod is è primoribus exercitus ducibus erat, & inter omnes amicos præcipuo honore cultus à Pizarro. Ergo ipse Lima excedens, per celeres equos ad Ioannem Costam scribit ut quamcelerrimè Arequipam veniat. Quum prope Guamanguá esset, Sottus summus Præfectus-castrorum, Martinus Vlmeus trib.mil. cum maxima cohortis parte eum deseruerunt. Interēa Arequipam ipse, Laurentius Aldana Limmam ingreditur, & vexillum Regium attollit.

G V B E R N A T O R , reuerso Ioanne Costa, dubius animi, eum & reliquos amicos qui fidem non mutauerant, in consilium adhibet, quid optimum factu esset exquirens: neque enim iam de imperio, sed de salute agi. itaque quando retinendæ prouinciæ nulla spes esset, vitæ saltem consulerent. Quum omnibus noua exilia, nouas quærendas terras placeret, & ad id Chilensis prouincia opportuna videretur: Pizarrus militem ire in ordines & disposito agmine ingredi iubet. Quingenti ferme Hispani milites, multis Indis lixis & calonibus admixtis, erant.

A t Pizarrus cogitans recto itinere tendentibus necessariò transeundū esse, quā Centenus cum mille ac ducētis Hispanis angustias

quasdam insederat, Franciscum Spinosam cum triginta equitibus viam propter alueum Tiquacensis lacus sequi iubet, ut hosti velut illac ituri speciem præbens, eum ad impedendum transitum in illam partem auerteret. Ipse verò diuersa via, Caruiale Præfecto-castrorum cum toto exercitu præmisso, per Vscouium asperrimos Guamangæ montes præstringens tendebat. Ibi sacerdos fortè reperitus, Cæsarei exercitus explorator, ab eo suspendi iussus est. Centenus ab Olea trib. mil. qui ad eum transiuerat, de Pizarri cōsilio edocetus, ex eo loco mouet & Pucoranum properat. Pizarrus vbi hostem rectâ ad se tendere, comperit, se Guarinæ saltu & hostilibus copiis clausum ac viribus imparem: mittit ad Centenum, Se prouincia omni vltro excedentem in Chilen migrare: proinde transitum liberum abeundi concederet. Centenus enim uerò negare se daturū, sed petere ut se in ipsius fidem ac potestatem permitteret. At Pizarrus:

„ Tu non es Rex, inquit, ut me tibi dedam:
 „ tu nuper vnuſ ē meis clientibus & domesticis
 „ eras: verū quum fortè aliquid à me flagitan-
 „ ti negassem, tu aduersum me arma sumfisti.

A b hoc responso, Centenus vltterius pergens, emissarij Tiquacensis lacus ponte interciffo, Pucoranum peruenit: ibique x v. Cepteno. millibus pass. à Pizarro castris positis aliquot dies confedit, ratus hauddubiè Pizarri milites ad se transitionem facturos. Verū ut ab illis nihil moueri videt, octo millia pass. propius hostem admotis castris: copias Alphonſo Men-

Praedium

Pizarri cū

Cepteno.

Mendozzæ & Ioanni Silueræ legatis tradit. Ipse lateris doloré causatus, cum Ioanne Solano Cuscensi episcopo in tutum locum secedit. Alphonsus Mendoza & collega, quibus hostem vltro aggredi certum erat, aciem tumultuariè, ac contemptu hostis negligēter ordinant. siquidem iam certainam victoriæ spem percepérant animis, multa & vana iactantes & ludicra inter se cientes certamina, quum videlicet se Pizarristis, etiamsi triplo tanto plures essent, facile pares esse dicerent.

C A R V A I A L de ordine & loco in quo hostium acies instructa stabat ab exploratoribus edoctus, confessum ad Pizarrum, Illustrissime Gubernator (inquit per Deum iurans) ecquid proditores istos inuadimus? quid cessamus? victoria quidem in manibus est. Simulque dispositis agminibus, cum maxima tormentulariorum parte ceteram aciem strenuè antegressus repentina incursu hostium stationes irrumpit. Ac primo quidem congressu tormentularij ingenteim stragem faciunt. Sed Alphonsus Mendoza cum x L. tormentulariis, & omni suorum equitatu in Pizarri alam vehementer inuectus, propè in fugam verterat: ni Caruaial huc illuc ad animandos milites agmina obequitans, quanto in discrimine esset Gubernator animaduertisset. Simulque is Ioanné Torré ad opem ferendam nomine ciés: Agedum, inquit, patrono nostro succurrainus, qui in magno periculo est, ni mature subueniatur. Ergo accitis promptissimis, in eam partem accurrentes, præliū instau-

rant, nec tantum labantem sustinuere aciem, Pizarti vi- sed omnibus viribus ad victoriam connisi, pe- tatoria de pulere hostem. Tandem Centeniani quin fu- Centeno. rentium inimicorum impetum tolerare non possent, abruptis ordinibus & defessi fundun- tur. Simulac suorum fugam Centenus è tuto conspexit, non exspectato episcopo, insiliens in equum aufugit. E Pizarri exercitu circiter octoginta Hispani cecidere. Cepeda & Ioannes Costa vulnerati sunt. Ex hostibus quadringenti & quinquaginta desiderati sunt: in iis Joannes Siluera, & alij tribuni mil.

S E C V N D V M eam victoriam Pizarrus Caruaialem cum xx. tormentulariis versus Arequipam mittit, si fortè Centenum fugien- tem exciperet. Is Centeno nō reperto, urbe intrans, aliquot ciues pecuniis spoliat. Pizar- rus Bobadilam trib. mil. cum totidem militi- bus, Ciarchas petere iubet, & quidquid equo- rum armorumque naētus esset capere: Ma- chicao & sex aliis Hispanis gulam laqueo fran- gi curat, quod sub initium pugnæ ad Cente- num transfigissent: ceteris ignoscit, quum fi- delem ipsi operam præbituros in posterum promitterent. His gestis, Guarina mouens Cuscon petit: urbemque intrans cum ingenti omnium ciuium metu, licentiatum Martel- lum & duodecim alios è primoribus ciuitatis suspendi iubet: ex auro & argento arma fa- bricanda curat, urbemque excubiis & valida custodia firmat.

T R A D V N T nonnulli, Pizarrum à Car- uaiale monitum, ne militum quos ex Centeni clade

clade collegisset, & aliorum præterea quo-
rumdā fidei crederet. quippe prodituros eum
vbi se occasio tulisset. Verū potius in Chi-
lensem prouinciam concederet, quacumque
transfret terram vrēs populānsque & sequen-
tibus hostibus omnia vaſtitate præripiens, ne
commeatus militi, neu pabulum equis suppe-
teret. Porro ad hæc respondisse Pizarrum, Si-
bi stare animo, aut vitā amittere, aut prouin-
ciam seruare. Tum Caruaial, horribiliter de-
ierans: Age, inquit, pergamus, quando ita lu-
bet, Illustriss. Gubernator: mihi quidem scias “
tam bonas ceruices esse quām Dominationi “
tuæ. Evidem si tam sapientis consilij ratio à
Pizarro accepta esset, frustra in eo persequen-
do Petrus Gasca caput scaberet, & incassum
se ac militem fatigaret, nihil ex eo incepto
præter inritum laborem in Hispaniam relatu-
rus. Verumtamen Pizarri res eum exitum ha-
bere necesse erat.

Proditorū
nunquam
tuta fides.

Pizarrus
sano con-
filio vti
nescit.



Gasca in Peru trāgit, Pizarrum prælio vincit. In eum,
in Caruaialem & ceteros noxios
animadicit.

C A P V T X V .

NT E R hæc Præses Gasca duode-
cim onerariis nauibus cùm magnis
tum modicis Panama soluit, quæ o-
mnes fermè mercibus onustæ crāt,
eum quingentis militibus quos in omnes na-

ues diuiserat. Ex iis Liburnicam vnam, seu biremim celerē, quæ remigio imppelleretur reficere conatus est: sed frustra, prærapida aquarum celeritate impeditus, quę iis interdum locis torrentis instar decurrunt. Ergo decursum eum maris aduersum subiens atque ægrè inde eluctatus, hiberno videlicet tempore: vix tandem in Mantæ portum peruenit.

F O R T E tum portum-veterem Franciscus Ulmeus cohortis vnius præsidio obtinebat: is audito præsidis aduentu, cum Didaco Mendez aliisque ciuibus ad eum excipiendum obuiam egressis, ei ad mare occurrit. Ibi ab illis cognoscit quo in statu res Pizarri essent, & ut ab eo omnes propè ciuitates defecisset: unde incredibili affectus lætitia, postquā tamen His. multi ob simulantes multos interficiunt, qui bus causam partium prætendunt.

Mox inde digressus, breui Tombesiam appellit: tribunum mil. ad San-michaelis coloniam mittit, qui trans fugas à Pizarro deficientes colligeret: Mercadilium trib. mil. à Bracomoriis arcessit. Breui quoque eius accitu Quito Salazar, Popaiano Sebastianus Venalcazar cum multis Hispanis venere. Exin nuncio accepto, Didacum Moram Cassiamalcæ esse cum valida manu, & omnibus ex locis ad partes iuuandas auxilia concurrere, Præses missis

missis ad Nouæ Hispaniæ præsidem literis, remittere se illi cogendi supplementi laborem significauit, quippe eo opus non esse. Eodem exemplo ad Nominis-dei, Nicaraguæ, & aliarum regionum præfectos vnde auxilia excierat, scribit. Neque ex iis ullus venit, præter licentiatum Ramirem: is nauim vnam militibus & commeatu onustam ad Gasca adduxit.

INTEREA Gasca Inoiosam per montana cum maxima parte copiarum mittit, ut Hispanos qui Sausæ erant colligeret: ipse maritimo itinere Trugillium profectus de Centeni clade ibi nuntium accipit. Ex quo non mediocri dolore affectus, aliquandiu hæsitauit an ulterius procederet. Donec trepidantem confirmarunt sui, hortantes ne hac vna clade teritus irritum inceptum omittaret: quippe ipsi ad profligadum hostem abundè superesse militum: ad hæc hostilis exercitus maximam partem inuitam Pizarro seruire: simûlque ut vexillum Regium cōspexissent, ingratam militem deserturos. Quibus ille monitis acquisiens, versusque in consilia belli, Alphonsum Aluaradū ad cohortes accipiendas quas Laurentius Aldana contraxerat, Limā delegat: exploratores multos cum Hispanos tū Indos ad itinera & cōsilia Pizari specuanda præmittit.

INTENTO in hæc Gasca, Episcopus Cuscensis & Alphonsus Mendoza, cuin paucis vieti exercitus reliquiis Trugillum superueniunt: & diuersa ex parte Didacus Mora Cassiamalca, Petrus Inoiosa & alij duces aliis è locis suas eò quisque copias adducunt.

Gaſſe ap- Iam Præſes circa ſe non ſpernendam manum
paratus. mille & quingentos milites habebat. itaque
quod ſupererat, arima impicit, veheſis machi-
nis carros instaurat, plures globos & pilas fer-
reas, haftas, & lanceas fieri curat. Quibus per-
fectis, cum toto exercitu mouet. Indi ſarcinas
& commeatus humeris ferebant, iisque longo
versu vincit ne aufugeret: ſub iniquo onerum
pondere laborates plerique agmen ſequi non
poterant: alios adeo veheſens ſitis fatigatos
exurebat, ut linquente ſpiritu humi corpora
tia aduer- proſternerent. Ergo iſtos, quum alleuare ſe
ſus indica- non poſſent, Hispani immaniter gladiis de-
mancipia. truncabant: quorundam etiam, quibus catena
collo inserta erat, capita amputantes, ne vide-
licet in iis eximendis longiorem moram tere-
rent, aut ſi funibus reuincti eſſent, coſtas & la-
tera ferro transfigentes: nonnullos quoque
cruribus, alios naſo, quosdain lacertis, aliquos
etiam cruribus amputatis, truncos & laceros
abiiciebant: donec tandem Præſes Saufam, In-
di Guamanguam peruenere.

P O R R O iter facienti primū obuius fit
Valdiuia, ad eius opem ē Chilensi prouincia
accurrens, ac post eum Centenus: ſed quum
Andagolianorum prouinciam ingressus eſſet,
alimentorum inopia atque infalubrium cibo-
rum pernicioſi ſucci (quippe exercitus Maizio
duntaxat immaturo cocto, aut certe raptimi
tosto veſcebatur) tum etiam continui imbræ
& humidum terre per omnem ferè exercitum
morbos vulgauere: donec Abancaia flumine
transmisſo, allata ab indigenis & finitimiſ po-
pulis

pulis cibaria, militem vtcunque refecere.

Eo loco quum interscissos ab hoste pontes omnes Præses cognouisset (iunguntur autem flumina carum regionum eiuscmodi pontibus: prælongas arborum virgas, eadem ferè crassitudine qua perticæ salignæ apud nos sunt, simul connexas: móxque instar rudentum intortas, reticulato opere ab vtraque ripa diligant: ex his ita contexti ponticuli, quamuis non equiti, pediti tamen facilem transitum præbent) quum ergo eius formæ pontes abruptos nunciatum esset, eos Præses ab Indis reponi & instaurari iubet. Quibus incredibili celeritate refectis, Apurimam fluuum haud procul Cusco cum exercitu incolumi transmittit: præter paucos milites & equos, qui prærapida vi fluminis ablati & aquis hausti sunt. Inoiosa & Petrus Valdiuia quum in ulteriorem ripam euafissent, cum LXX. tormentulariis editum collem, munitum natura & vtrisque opportunum, dum totus exercitus traducitur, occupant. Vix eum locum insederant, quum Ioannes Costa cum quinquaginta tormentulariis ad eum capiendum Cusco egreditur. Sed ubi hostes in vertice conspexit, exemplò in urbem egressus Gubernatori adesse hostes & à Præside transmitti flumen renunciat. Ille cum nongentis Hispanis & multis Indis Cusco egressus, in conspectu hostium ad Saguisaguanam castra locat.

PRÆSES, traiecto fluvio, quum fortè locum frigore ac gelu infestum, lignorum & commicatus inopem, insedisset, veritus ne sui

ad Pizarrum transirent, cui ex res abunde suppetebant, mature acie decernere instituit. Itaque bonam noctis partem in expediendis armis consumit: ac luce orta milites ingentium præmiorum spe ac promissis implet, quod

Gascæ de s̄æpe dixerat etiam atque etiam inculcans: I-Pizarro viætoria. rent fortæ ac pugnam strenuè capesserent: se qui omnia eorum causa velet, bene meritos de se milites præmij expertes nunquam paſſurum. Mox signis expiatis rectâ ire in hostem iubet. At Pizarri clades à Cepeda cœpit. Quum enim eum ad angustias quasdam collivinas, quas hostis petiturus erat, occupandas præmisisset, ille repente ad Præsidē transfugit, & post eum quinquaginta tormentularij transeunt. Ceteri destituti à sociis & subito pauore perterriti, abiicere arma, & quā quisque potuit, alij in castra Cæsaris, alij aliò erumpere. Tum Inoiosa quantum niti poterat clamitans, hortatur suos instare perculsis. illi nullius rei magis quam prædandi memoræ ad diripienda impedimenta vertuntur: minus tamen prædæ quam sperauerant ex hostium castris redactum est. Cæsarianorum v-nus tantum Hispanus in acie cecidit: hostium quinque.

Pizarti in rebus deploratis magnanimitas. GONZALLVS Pizarrus ab omnibus præterquam à paucis legatis & tribunis mil. destitutus, ad Ioannem Costam conuersus, Nos verò, inquit, tribune, quid faciemus? Costa: " Quid supereft, inquit, Illustriss. Gubernator, " nisi vt exemplo Romanorum fortiter moriamur? Tum Pizarrus excipiens: Absit, absit, inquit

inquit, vt honore & opibus amissis, animam
quoque perditum eam. Secundum hæc dicta
fortè Villam-Vicentum prætereuntem con-
spicatus, sciscitatissime qui esset, postquam is
respondit, se exercitus Cæsaris primum Tri-
bunum esse, Sergentem-maiorem vulgo vo-
cant; tum ipse, Et ego, inquit, male fortunatus
Gonzallus Pizarrus sum. Inde ab eo ad Præsi-
dem deducitur: cultu in primis eo die notabi-
li. Insigni & præualenti vehebatur equo, quem
præfulgentes argenteis bullis phaleræ vndi-
que adornabant: ipse munimentum corporis
leue indutus, nitentem ex auro purissimo ga-
leam, cristi, & signo plurimis clarissimis
smaragdis distincto decoram gerebat.

Gæc ad
Pizarrum
captum
oratio.

P R A E S E S verò eum in conspectum ad-
ductum sic alloquutus est: Quām rectè fecisse
tibi videris, Gonzalle Pizarre, qui occupata “
Cæsaris prouincia aduersus eum arma sumse “
ris, & vectigalia eius consumperis? Pizarrus: “
Meos reditus, inquit, consumsi, non Cæsaris: “
prouinciam verò mihi pro meo iure ut Gu- “
bernator possidere visus sum, quam videlicet “
ego ac fratres mei armis subactam pro virili “
manu cepimus. Hoc responso auditio, & Pi- “
zarro è conspectu amoueri iusso, Præses eius
iudicium licentiato Ciancæ committit. Is vbi Pizarr
mois.
edita in reum crimina causamque cognouit,
ei perduellionis ac proditionis noxiam iudicat.
Præses damnatum ad capitale supplicium po-
stera die abduci iubet. Corpus Cusci huma-
num, caput Limam delatum est, & in foro, se-
pto cancellis ferreis loco pilæ lapideæ im-
positum. Hic Gonzalli Pizari fuit exitus.

Vegeto ac valenti corpore vir fuit: valetudine prospera, animi magni: auarior tamen quam liberalior, literarum planè imperitus, & facili in omnes credulitate.

P o s t hæc in alios quoque noxios animad-
Carnialis uersum. Caruialem semiquadrantis horæ
exitus. spatio ad caudam religatum per campum tra-
xit equus: inox è patibulo suspensum in qua-
tuor partes dissecuit carnifex. Quum ad sup-
plicium traheretur, imperatorem suum Gon-
zallum Pizarrum crebro spirans flagitabat.
Pridie quam moreretur, quum eum Didacus
„ Centenus forte inuisens ita cōpellasset, Dom.
„ præfecte-castrorum, inquit, vbi nunc sunt tui
„ illi militares vngues? ita ei respondit, Mihi,in-
„ quit, erepti sunt in ipsa acie tanquam bellato-
„ ri strenuo: sed tu vt vili & ignauo prostibulo
„ ortus, è prælio fugisti. In eo viro sauitia au-
ritiæ par fuit: & exiguo illo temporis spatio
quo in Gonzalli Pizarri exercitu Præfecti ca-
strorum munus obiit, amplius trecentos Hi-
spanos accidit¹. Quum aliquem suspenderet,
„ sæpenumero ridens ei dicebat: Audiui te esse
„ equitem: æquum est igitur eum tibi haberi
„ honorem qui tuæ dignitati & nomini conue-
„ niat. En tibi aliquot arbores, ex iis quamcun-
„ que libuerit deligo: ea tibi à me fiet gratia
„ vt ei quam optaueris suspendaris. Mox vbi mi-
serum talibus sarcasmis aliisque eiusmodi
Iudibriis eluserat, suspendi iubebat: assidue
secum ad eius operis ministerium quatuor
Numidas circumducens. Longum eslet com-
memorare fœda omnia & crudelia facinora
quæ

quæ iste passim edidit. Mortuo Caruaiale, Ioannes Costa & Ioannes de Torre aliique undecim tribuni mil. suspensi sunt : multi milites virgis cæsi & in Hispaniam ad triremes damnati , alij in Chilensem oram exsulatum missi, Valdiuiam eius prouinciae Gubernatorem sequuti sunt.

I OCTOGINTA annorum tumerat Caruaial. Sub Gonſaluo Fernando, imperatore celebri, ſtipendia fecerat. Bellator primus, Rauennati prælio ſignifer : ceterum ſæuitia adeo inſignis ut de eo prouerbium vulgatum fit inter Hispanos, Crudelis ut Caruaial. In eo prælio quo victus eſt ad Guarinam Didacus Centenus à Pizarro: Ferdinandus Bacicaus, inclinatam ad Centenum victoriam cernens, nec transire aperiè ausus, clāculum ſeceſſit : neque tamen adeo feſellit, quin eius rei certior fieret Caruaial. Ergo, fuſo Centeno, Bacicaum corripiens, & Compatrem ſuum per Iudibrium appellans, ut reuera erat, multaque alia in eum falso iaciens, in patibulum egit. Adeò ne ſimplici quidem ſæuitia in amico conten-
tus fuit. Aug. Zarat. Hift.

Peru libro ſeptimo

cap. tertio.





*Gascares Peruanas componit. Milites promissis explere fru-
stra conatur. Contrerae fratres in eius pecunias iniulant,
Ille, recuperatis omnibus, in Hispaniam traject.*

C A P V T X V I.



V B L A T O partium duce Pizarro, Præses Cuscon ingressus, Hispanos omnes qui vassallos & subditos haberent, quosdam donis, plures promissis onustos, domum remisit: de strenua & fideli erga regem opera eorum gratias agens. Dein Gonzalli Pizarri aliorūmque qui perduellionis damnati fuerant, ædes solo æquat, & areis salem inspergit: mox Cusco excedens Purimam petit. Ibi cum Hieronymo Loaisa Archiepiscopo Limensi & Petro Lopez scribasuo de assignandis agris diuidendisque inter colonos Indis vassallis, consilio habito: Gasca duces de se benemeritos præmiis afficit, milites negligit.

Inoiosæ centum millia ducatorum annui redditus attribuit: Valdiuiæ paulo minus: sed hic postea non diu vixit. Veneno sublatum fuisse ferebant. Ceterūm Præsidem in hæc præmia & annuos redditus amplius decies centena & quinquaginta ducatorum millia pluribus erogasse constat.

VERVM vulgata eius diuisionis fama, multi milites, qui summis periculis ac sudoribus strenuam fidelémque operam Regi præbuerant, ac gaudio alacres haud ambigua spe mercedem laborum exspectabant: ubi se so-

Ios indonatos & præmiorum expertes pretermitti videre, vehementer conqueri de Præside ac fremere apertè cœperunt. Mulcebant iratos benignis verbis ipse & Archiepiscopus quantum poterant: Sibi quidem non esse in præsentia dicentes, quod vltra largirentur: sed breui datus operā vt omnes dignam meritis gratiam referrent. Sed illi dictis usque adeo non placabantur, vt etiam vecordes seditiosis ac contumeliosis vocibus eos increpare & ferocissimè obloqui auderent.

E A R V M aliquot haud illepida exempla referam. Haud multis abhinc annis Cordubæ Monacha erat(Magdalenam de Cruce appellabant) non tantùm plebis opinione, sed Hispaniæ quoque procerum iudicio pro diua & fatidica vulgò habita. Quin ipse Cæsar expeditionem nullam ferè aut incepturn aggrediebatur, vt ad eam velut ad oraculum non mitteret rogaré tque ut fusis pro se precibus rem Deo commendaret. Tandem aliquando fraude patefacta, compertum est sortilegam eam mulierem esse, eiique cum diabolo familiarem consuetudinem intercedere. Eiuscmodi Magdalenam de Cruce ipsum Præsidem esse, ei in os exprobrauit miles, eumque iniri à diabolo: Archiepiscopum videlicet iis ambagi- bus designans, quod Præses nihil sine eius consilio & sententia ageret.

A L I V S obiecit, astutiorem eo vulpem cælo non tegi. Alius furens & expes ei dixit, Se in quam remotissimas terras abi-

re velle, vnde ne nomen quidem Hispaniæ audiret. In hunc adeò exarsit Præses, vt nisi optimos precatores habuisset, qui à Præside ei veniam exorassent, eum illico in patibulum acturus fuerit: tum verò remissa ultima pœna in Chilen relegauit. **Quidam** etiam miles ri-
 » dens Præsidem sic affatus est: Domine Præsi-
 » dens, date mihi, quæso, de gratia birrettum il-
 » lum quem vos habetis in capite. Tum Præses
 » & ipse renidens: Ecquid vis illo facere? inquit.
 » Miles: Volo comburere, ait, & redigere in pul-
 » uerem ad facienda maleficia: quandoquidem
 » vos cum illo tot bonos viros decepistis. Alij
 vulgò in eū iaciebant, Venisse eum vt veniam
 daret tyrannis & fidos Regis seruos occide-
 ret. Nonnulli minaciter dicebant, Nisi daret
 vnde viuerent, scmet vltro vndecumque pos-
 sent rapturos.

HIC tam perturbatus rerum status eò tan-
 dem erupit: vt non pauci coniuratione facta
 Inoiosam interficere, Præsidem vincitum in
 Hispaniam mittere, Cæsarem per literas ora-
 re decernerent, vt sanctum atque innocentem
 aliquē virum eò mitteret, qui agros & ditio-
 nes prouinciæ omnibus vt quique meritus es-
 set, de integro diuideret. Verùm quum omnia
 foras emanascent, captis consilij autoribus &
 ii Hispaniam missis (in iis erat sacerdos Can-
 taber, qui se eo bello operam nauantem Cæsa-
 ri quadraginta millia ducatorum consumfisse
 dicebat) ea tum quidem coniuratio in præsens
 repressa est. Verùm non multo post quām
 Præses

Præses Perusio in Hispaniam vela fecerat, noua seditio erupit. Octingenti exciti Hispani quendam Franciscum Ernandem ducem & caput sibi imponunt: Petrum Inoiosam, Balthasarem Castellaniū equestrem ducem, fratrem eius & Didacum Palominum obtruncant, & quoscumque alios tribunos mil. & illustres viros adipisci potuere, qui primò Gonzalli Pizarri partes sequuti ad Gascam defecerant. Sed is motus statim restinctus est, sublato seditionis capite Ernande, quem noctu sui cum aliis aliquot tribunis interfecere.

C E T E R V M Præses, nequid incommodi ab iratis pateretur metuens: tum etiam ne contumelias & probra quis à militibus lacerabatur coram ipse audire ac videre cogeretur, Purima relicta Limam concedit. Ibi Regiam curiam & iuridicos magistratus constituit: prouinciæ statum composuit, quæque ad eius Regimen pertineret descripsit. In pri-
mis edixit vt sacerdotes ac monachi in singulos Indorum pagos tributi & Christianam fidem edocentes, falsas & peruersas opiniones ex eorum animis euellerent. Hispanos omnes, qui subiectos sibi vaſſallos & clientes haberent, omnium Indorum censum agere iussit, & vniuscuiusque fortunarum recta æquaque æstimatione inita, pro censu tributi modum describere. Ceterum in singulis quæ irent pagis missam vnam Spiritus sancti vt (vocant) celebrari voluit, quem æstimatores orarent vt diuina ipsius ope adiuti in

Seditio
militaris
in Peru.

SE D eo demum perfecto, summæ tributii imperatæ Indi reclamauerunt: Sibi multo plus Indici querētes quām pendere possent: maxima videlicet indigenarum parte vel assiduis bellis extincta, vel enecta laboribus, quibus ab Hispanis inclementius vexati essent. Edixit præterea ut Indici vassalli suis Senioribus seu patronis ex earum tantum rerum genere tributum penderent, quas tellus sua funderet. Quippe ante hæc Hispani aurum & argentum quamuis deesset, ab illis flagitantes, ut quærent, tormentis vrgebant: ac si qui forte, quum nec possiderent, nec vnde parare possent haberent, in filias se abdiderant, Hispani eos veluti feras indagantes sagaci canum odoratu peruestigabant: multosque ita repertos efferauti canes dilacerauere: ipsi verò, damnata vitæ spe, tantas ærumnas suspendio finiebant. Vetus præterea Præses ne in posterum Hispani Indos inuitos ad ferenda onera adigerent: quanquam in nonnullis prouinciis, præsertim in Quitensi, penuria iumentorum eos onerari permisit.

PORRO earum omnium rerum curam Archiepiscopo Limensi & quibusdam Dominicanis commisit: qui tum Hispanorum tum Indorum causis inspectis, ubi verum compierissent, pro sua prudentia de rebus statuerent. Ipse verò totus in accumulandis Cæsari pecuniis, Hispanos prouinciales omnes, quibus

Hispaniæ
stauri
tiz exem-
plum.

quibus agros & ditiones assignauerat, stipendiarios facit, pensione imposta quam Cæsari soluerent. Licentiatum Gamam in Quintensem prouinciam, Gabrielem de Roias diversa parte in Potosiam Iudices assiduos cum Dominicanis aliquot monachis mittit, ac nominatim eis negotium dat ut peragrantes omnes eas terras, tum ab Hispanis colonis, tum ab Indis ipsis pecunias quantas maximas possent conquirerent. Atque illi ad eam rem minimè segnes, non ius aut verum in cognitionibus, sed solam opum magnitudinem spectabant. Itaque passim specie iuris obiiciendo, Tu in Regem rebellasti: tu Gon-
 zallo Pizarro operam præbuisti: tu euentum
 spectasti ut fortunæ tua confilia applicares:
 tu optasti ut vinceret & prouinciæ imperium
 occuparet: his, inquam, & aliis ciuimodi spe-
 ciosis accusationum coloribus, ambo ingen-
 tem pecuniarum vim collegerunt. Inter hæc
 Gabriel de Roias in itinere subita morte ex-
 tinguitur: ac plerique ferebant iusto Dei iudi-
 cio interceptum: & à Deo tandem exauditas
 esse diras & maledictiones vulgo à misericordiis
 prouincialibus in acerbissimos illos exactores
 iactas: móxque istum horribilis cacodæmo-
 nis specie quibusdam Dominicanis monachis
 apparuisse.

A T Præses, postquam quantum ma-
 ximum potuit vim pecuniarum collegit:
 quæ decies centenūm & quinquagenūm mil-
 lium Castellanorum sumam æquabat, Pro-

A iiii

Gasca à Pe-
 tu decedit

præsidem in sui vicem licentiatum Ciancam
relinquens, Lima decessit, & myoparonem
Ioannis Caietani cōscendens breui Panamam
appulit: móxque inde statim Nomen-dei cum
pecuniarum parte profectus, Quæstorem re-
gium reliquam summam, quam primum pos-
set, mittere ad se iubet.

B I D V O postquam inde decesserat¹ Rode-
ricus Contreras eiūsque frater, inconsulti iu-
uenes, Roderici Contreræ Gubernatoris Ni-
caraguæ, filij, cum centum octoginta mili-
bus de improviso Panamam irrumpunt.

Contrera
fratres col-
lectas à
Gasca pe-
cunias ra-
piunt. Isti Fratrem Antonium Valdiuiesam illius
prouinciæ episcopum interemerant, quòd ad
Cæsarem multa in ipsorum patrem scripsisset,
cui ob id abrogatum munus & erepta prouin-
cia fuerat.

Tum verò ingressi Panamam quadringen-
ties millies amplius ducatorum auri inuolant:
neglecto argento vt grauiore & minoris pre-
tij. Nec ea præda contenti nonnulli milites,
qui quum ad triremes à Præside damnati in
Hispaniam mittcentur, naue vna rapta in Ni-
caraguam aufugerant: vindictæ cupidine ar-
dentes, Nomen-dei quoque petere statuunt.
Ergo diuiso trifariam exerciu, Rodericus cum
septuaginta quinque militibus terrestri itinere
Nomen-dei contendit: frater eius cum toti-
dem sociis secundo amne Chiagro defluens,
eodem iter capessit: ceteri ad præsidium nauium
& partæ prædæ custodiam remanent.

V I X Panama egressi prædones erant, cùm
ciues

ciues manu facta cum centum & quinquaginta amplius mancipiis , abeuntes inseguuti, primùm eos assequuntur qui per Chiagrum flu men delabebantur , eosque adorti facillimè fundunt. Mox alterum quoque adepti agmen, & illud profligat. Rodericus & Monachus quidam cum quatuor aliis Hispanis in vicinas sil uas se abdunt : nec deinceps quidquam de iis compertum est.

R O D E R C I frater quum non compare ret , diligentissimè inter cæforum cadavera quæsus : ac reperto fortè adolescentis cuiusdam corpore, quum illum ipsum unus militum eius esse diceret , et si lutulenta & confusa facie satis quis esset internosci nō posset : quisquis tamen ille esset, auulsum corpori caput in medio Panamæ foro ferreis cancellis septo loco pilæ impositum est. Tres & triginta Hispani capti , labore ac vulneribus fessi reuinētis ponè tergum ad ligneum cuneum manibus in urbem tracti sunt & in custodiam traditi. Eos ibi prætor quidam rerum capitalium, proprio motu , crudeliter pugionum iætibus confudit. Ceteri qui in nauibus erāt, audit a suorum clade , scaphis subito fugam capessunt : sed breui omnibus captis, præcipui quique suspensi, ceteri ad triremes damnati sunt. Interea Præses, auditio Contrerarum latrocinio , cum valida manu Nomine-dei aduersum eos egreditur: sed accepto in itinere de eorum clade nuncio, & receptis pecuniis , in urbem regressus, breui inde in Hispaniam traiecit.

I Quo tempore Petrus Arias Abulensis
 Nicaraguam prouinciam à se inueniam regebat,
 filiarum unam Roderico Contrera Segobiensi in
 matrimonium collocauit. Is morte Petri Ariae pro-
 uinciam, Regis concessu, obtinuit, eāmque tātisper
 rexit, quoad noua curia in Gratia dei urbe in
 Gattimale & Nicaragua confiniis, constituta est.
 Nam iuridici eius Adseffores, non tantum imper-
 ium Roderico abrogarunt, sed & eum Indis, quos
 in ditione tum ipse tum filii eius habebant; ex Le-
 gum prescripto priuarunt. Is de iniuria sibi facta,
 vt putabat, questum ad Kegem in Hispaniam na-
 uigat. Sed Rex & Senatus Indi proceres, quam-
 quam multa praeclarè facta, meritāq; tum sua tum
 soccri sui proferentem, repellunt, & observationem
 latarū Legū sancientes, quod ab Adsefforibus in-
 dicatū erat suo iudicio confirmat. Id ubi ad Fer-
 nandum & Petru Contreras eius filios in Indiam
 allatū est, feroceſ iuuenes arcere eam cōtumeliam
 ferro, & quod iure ne quiuerat vi extorquere sta-
 tuunt. Et forte iam sua sponte agris animis super-
 ueniunt ex Peru milites, Ioannes Bermeius aliq;
 contubernales, partim ex iis qui Gasca aduersus
 PiZarrū sequuti, nulla ab eo strenuè nauate ope-
 ræ præmia accepérat: partim ex ijs qui fractis Pi-
 Zarri partibus, quas turati erant, extra Peruane
 prouinciae fines, Præsidis iussu, deportabantur. Illi,
 diuersis causis Gascae infensi, incendere adolescen-
 tes, bortari ut rem strenuè capesseret: haud dubie,
 si ducentis aut trecentis militibus in nauis imposi-
 tis, Peruanum aliquem portum tenuissent, fore
 ut quotquot Gascae ob nulla aut maligne redditia

præmia

præmia succenserent, in partes transirent. His ergo & alijs stimulati illi, milites occulè contrahunt, arma conferunt, & copta accelerant. Porro quum eius prouincie Episcopum in omnibus ferè negotijs patri suo aduersatum fuisse meminissent, ultionem ab eo ordiri statuunt. Ergo die quadam ingressi ex composito milites Episcopi domum cum tesserarum forè lusu sese oblectaret, hominem obtruncari. Inde nono sanguine imbuta circumferentes arma, vexillum palam erigunt, & semet Libertatis vindicem exercitum nuncupant: mox raptis undecunque nauibus per Australe pelagus in Panamam vela dant. Aug. Zarat. Hist. Peru. libro 7. capite 12.

2 *G A S C A in Hispaniam reuersus, Vallaoleto in Germaniam ad Car. Cesarem transiit: ubi rebus à se gestis expositis, Palentiae episcopatu ab eo ornatus est.*



¶ Nauigationis è Panama in Peru ratio. Portu-veterensis prouincie incolarum mores, superstitio peruvicax, & nauigandi ratio.

C A P V T X V I I .

RI V S Q V A M Peruavis rebus & falsis opinionib⁹ quas eę gétes de nobis cōcepere, finem imponā: quo modo quóve cursu è Panama in hoc regnū E Panama in Peru nauigan- tium cur- nauigetur, exponere hīc mihi consiliū est. Ergo nauigaturi in Peruanas prouincias, ferè inde à mēse Ianuario vsq; ad finē Aprilis soluere

confueuerunt. quippe hęc totius anni inaximē idonea ad nauigandum eò tempestas est: ac tum aperta illa maria, aestate videlicet obtinente, & assiduè Subsolano & Coro spirantibus. Quæ naues quacumque alia tempestate vela faciunt, ingenti maris sauitia & periculis conflictantur. Porro onustæ naues Panama primūm in Tabogam aut alias vicinas insulas aquatū decurrunt(quæ Perlarum, id est vniōnum, nominantur, ob repartam ibi ab Hispanis vniōnum copiam) mox in altum prouecte circiter centum & quinquaginta millia pass. versus Occasum nauigant, flexo videlicet in eam partem cursu, propter rapidos aquarum aestus, qui torrentis instar perpetuo lapsu in Ortum decurrunt. Inde correcto cursu rectā in Perusium tendunt.

Quo tempore primūm Panama eò nauigauit, nauis qua vehebar mense Iunio soluit. itaque quod ea hiberna tempestas illic esset, omnes ferè vectores morbis impliciti sunt, quia naues quæ ea Maria nauigant confratæ ac teatæ non sunt, vt quæ in Septētrionali vehuntur Oceano (id est, eo qui aduersam continentis Indicæ partem alluit) itaque in illis sub dio morantes perpetuò verberari imbris necesse est. Ad hunc modum nauigantes tandem ad Gorgonam insulam appulimus.

Nauis-magister(Patronum vulgo vocant) vbi se in eam deferri videt, Hęc, inquit, terra dæmonum est: quippe nulla toto eo itinere peior nauibus nec statio nec nauigatio occurrit.

Tradidere nōnulli assiduè in ea insula pluere:

scd

Gorgona
insula.

sed in eo falluntur Octo quidem certè continuos anni menses, inter tonitruum fragores, & coruscæ fulgurum, adeo effusos ibi ruere imbres verum est, vt elementa ipsa inter se certare ac misceri videantur. Quum nos eam insulam attigimus, iam veris initium erat, quod ibi sub finem Maij incipit: itaque quod tempus in Panama hiemis est initium, id in illa altera regione ineuntis æstatis principium est.

P O R R O vicini continentis oræ accolæ auro abundant, & cacuminibus arborum impalia sua velut nidos, suspendunt. Eam oram quia palustris & inequitabilis est, Hispani subigere nondum potuerunt. Gaspar Andagoia quum ad Baiam, id est sinum, Sanmatthæi esset, cum centum & quinquaginta militibus æstate populabundus eam prouinciam percurrebat, tabulas sæpe ad protegendum militem aduersum incidentia circumferens. Quippe Indi strenuè saxa, tragulas, ollas feruida aqua plenas, & quidquid fors in manus dederat, subeūtibus ingerebāt. Hispani vero securibus arbores tandiu cädere, quoad & ipsæ & superstructæ domus ingenti fragore prociderent: interea tamen sæpe non inulti Barbari, nec nisi mutilatis aliquot Hispanis, interdum etiam elisis atque obrutis, cadere. Tandem quòd asperior ea esset regio, neque in tam informi omnis humani cultus solitudine alimenta exercitui expediri possent, Andagoia cum satis magna auri copia inde decessit: neque ea loca vllis Hispanis hodie habitantur.

Domus ac
boribus su
perstru
ctæ.

IAM quia hi tractus maxima anni parte importunis quibusdam ventis ab Occasu vel à Meridie perflantur , tum etiam propter rapi-
dos maris æstus & torrentes aquas, velut præ-
cipiti alueo perpetuò decurrentes : necesse est quotidie vespere iactis in fallo anchoris ad ea littora cosistere : mox ite orta flantem à terra ventum sequi atque inde moliri. In quo sæpe numero usiuerit, ut dum naues prouehi cogitant, in contrarium repulsa peractum iter re-legere cogatur. ac totos interdum quindecim aut viginti dies circa promotorium unum hæ-rere, sicuti nobis contigit. Quum enim Caput S. Francisci in conspectu haberemus , centum triginta millibus pass. à Capite Passao distans (quod quidem caput in Portus-veteris finibus est) rati eum locū Indis habitari, ut quoniam solebat , quotquot vectores in ea nauis eramus, victus penuria (iam enim tertius mensis abierat ex quo Panama solueramus: & facilè mercatores qui eadē nauis vehebantur , nos miserrima fame contabescere potius passuros quam vel bucceam panis elargituros, apparebat) consumptis igitur propè alimentis, terrestre iter capeſſere decreuimus.

E R G O vigintiquatuor eiusdem fortunæ socij in terram exponimur , & singuli cum quatuor Maizij scutellis ignotum iter quo casus & error ferebant ingredimur. Perueniens ad flumina, quibus Quisimiæ nomen est: quatuor sunt haud magno inter se spatio discreta ; ea nos summis laboribus ac periculis,

præ-

prægrādibus arborum rāmis quæ in ripa forte
riantibus occurrēbant, simul iunctis & colli-
gatis insidētes, tandem superauimus. Ceterū
quum aqua falsa esset, æstu videlicet confun-
dente dispares vndas (quippe stata vice exæ-
stuans mare, non tantūm his fluminibus, sed &
aliis quæ in eum Oceanū defluūt, mixtū subit,
& x v. amplius milliū spatio alueos inuchitur)
ergo ut biberemus, puteos fodere neccesse erat.

T A N D E M ad Caput Passaum peruenimus.
Ibi Indos crematis tuguriis penitus se in sil-
uas abdidisse vt comperimus, in alterum pro-
montorij latus transgressi, ad sinū Caraquam
procedimus. Is sinus Aequinoctiali lineæ sub-
iectus est. Ibi quò iremus incerti, quum neque
in aduersam sinus partem traiicere possemus,
nec alimenta suppeterēt, cancris & cereis qui-
busdam prunulis vescebamus, quīs quum pa-
rum carnis inesset, lignum seu os interius si-
mul comedebamus: & aquam certè salubrem
ex lacu exiguo, quem haud procul mari in sil-
uis reperimus, bibebamus. Ibi x x i i. dies mo-
rati quo ad nauis portum intraret, quum pro
certo omnes haberēt nos vel fame extinctos
vel ab Indis mactatos esse: ubi à Nauarcho cō-
specti sumus, missa confestim scapha excepti,
ea nocte in naui requieuimus.

P O S T E R A die egressus Portum-veterē
petij. Id oppidum habitatum Hispanis viginti
duas fermē domus ex arundine contextas &
palea tectas continet. Ea prouincia pro-
pemodum in vastitatē & solitudinem reda-
cta est: indigenæ finaragdorum copia olim

Portus-ve
tus colo-
nia & pro-
uincia.

abundabant, & earum geminarum feraces fodinas penes se occultas habent: neque haeternus tamen vllis tormentis adduci potuere, quamquam multis saevitia torquentium extinctis, vt locum Hispanis indicarent. Mihi tamen aliquando retulit Ioannis Dolmos trib. mil. dispensator quidam, Indicam mulierem ipsius concubinam locum illum ei edidisse: nec eum id postea euulgare voluisse, veritum ne Rex eas sibi fodinas attribueret. Multa quoque aurea & argentea vasaa in suppellesti quondam habebant: sed ea Hispani omnia conuaserunt: itaque hodie nihil Patronis suis seu Senioribus pendunt, nisi ex iis fructibus quos è sua terra percipiunt: vnde fit vt pauci Hispani coloni eam oram inhabitent.

T R A D I D E R E nonnulli, eius prouincie Gom. Hisf. indigenas foedos suos mores & falsæ religio-
gen. Ind. li. 4. c. 195. nis errores paulatim abiicere: neque ultra fal-
forum suorum numinum responsis fidem ad-
dere, ex quo sacerdotum & monachorum o-
pera sancti Euangeli vocem audierint. Ego
verò, quāquam ita esse optauerim, Deūmque
orem vt id propitius faxit, verè tamen testari
possim, nullos adhuc neque sacerdotes neque
monachos ad concionandum aut fidem no-
stram edocendam eos populos peragrasse:

Portu-
terensium
peruicax
supersti-
tio.
Quin ipsi quoque eam derident, palamque ac
publicè dicunt, se nolle Christianos esse, scele-
ribus videlicet & nequitia nostra deterritos.
Ac quantumuis Præses Gasca edixisset, (vti
suprà memorauimus) vt in singulis earum
gentium pagis sacerdotes & monachi mane-
rent

rent & erudiendis Indorum potissimum filiis
operam darent: Hispani tamen huius coloniæ
municipes, & aliarum præterea aliquot, vehe-
menter reclamarunt. Quippe sacerdotem v-
num quadringentos ducatos in stipedium an-
num petere: id verò pretiū esse maius quām
quantum omnes simul Indi Patronis suis tri-
buti penderent.

A c quia eo ferè tempore Perusio excessi,
quorsum res postea euaserit, nescio: sed dum
in ea prouincia morarer, s̄epe failendi tem-
poris gratia Indicos illos pagos tuim mariti-
mos tuim mediterraneos perambulans, in e-
iuscmodi quiddam incidi: Ingressus fortè ali-
quando viculum quemdam ignobilem (Chia-
rapotum appellant) indigenas in fano solitis
sacrificiis faciēdis occupatos comperi. Quīm-
que inter strepentium tympanorum sonitum
patria quædam carmina canentes audiisseim,
propiùs visendi cupidus, delubrum ineo. Sed
vix pedem intuleram, quum sacerdotes, toto
vultu iracundiam testante, propemodum mi-
hi in faciem despuit, festinanter me foras
eiiciunt. Ibi vidi Idolū è creta tigridis effigie,
ac duos pauones aliásque aues, quas suorum
deorum sacrificiis dicatas habebant. Ibi præ-
ter hæc fortè adolescens aliquis mactandus
aderat (quomodo apud eos humanis victimis
litare fas ac sollempne est) mihi tamen tunc vi-
dere non licuit.

A L I A quadam die vsuuenit mihi vt Pica-
lancemam profectus, Indos eius pagi incolas
componentes deprehenderet: quīmque pro-

piùs accedēs, per otium spectare vellem quōmodo se largius potu inuitarent: quatuor repente ex illis minaci gradu ad me tendunt, & OH Christiane, inquiunt, nebulo impure, perfide, facesse properè è finibus nostris. Ego

Indi Christianos sacrificiis suis inter- esse non dunt.

quum præter has minas, simul illos in meum ensem manū iniicere velle animaduerterem, proripio me in fugam: & apud me constituo Indis nunquam deinceps interuenire, qua die follennia sua agitarent.

P R A E T E R eos quos commoraui, plures quoque perlustrauit pagos, quales sunt Caua, Camulioua, Camuxioua, & alia earum gentium loca, quorum incolæ Indi aliqui filios suos enecant, ne Hispanis seruant. Pro certo refertur, Mantæ regulos pulcherrimum & nobilissimum smaragdum habere, oui gallinæ magnitudine, quem inter præcipua numina colunt. Manta porrò, oppidum ad mare situm, vna è præcipuis eius oræ urbibus quondam erat: & priusquam Hispani eam prouinciam inirent, amplius duobus Indorum milibus habitabatur: quum ex tanto numero vix hodie fortè quinquaginta supersint. Nec dispar solitudo in aliis eiusdem prouinciae municipiis facta est. Quum aliquando Lupus Aiala ab huius ciuitatis Regulo peteret, an Christianus esse vellet: respondit ille, Se nescire, &, Faceret ipse vt visum esset. Ita Lupus Indum baptizari iubet, & Didacum nuncupat: sed ne ita quidem cicuratum Hispani cuiusquam contrà os intuentem vnquam animaduerti. Eius subditi fœdis morib. bruti, spurci,

Manta op-
pidum.

Peruenses
inuiti Chri-
stianismū
gubcunt.

mascula

masculæ veneri dediti & vitiis omnibus inquinati sunt.

PER omnem eius oræ longitudinem, Indi omnes eius maris accolæ aquam salubrem bibunt, quam è puteis manu factis hauriunt: & peregrè ituri omnes cucurbitam ea aqua plenam efferunt: nisi qui fortè Manta in Portum-veterem iter faciunt. Quippe illi aquam putream ferre negligunt, veriti ne in aliquem fortè Hispanum incident, qui eam eripiat & bibat: sed duo millia passuum in mediterranea, progressi aquam quadam ex rupe manantem, nigram, spurcam & fœtidam, excipiunt: haud dubij nimirum talem Christianos non bibere.

Indi ne
quanq[ue] qui-
dem libe-
rè ferre,
metu Hi-
spanorum
audent.

E A regio calidi & humidi temperamenti est: itaq; serenum ac purum cælū vix vñquam ibi conspicias. Ceruis, porcis, gallinisq; ex earū genere quæ ab Hispania ad stirpē propagandā transuectæ sunt, abundat: neque vlla ab Indiae parte melior ex Maizio panis fit quam illuc. quanquam iis tamen non assentior qui panem illum tritico anteponunt. Mellis præterea, sed acerbi, ac ceræ, sed ignobilis, neque admodum bone, satis ferax: peculiare quoddam fructuum genus habent (indigenæ *Papaie* vocant) ficuum specie, modicorum magnorūmque, quale nusquam in India, præterquam in eo regno, vidi. Arbor quæ illud pomū gignit, procera & gracilis: fructus sapore dulci est. Ibi etiā aliud ficuum genus exiguorū visitur (*Tūne* nominat:) sed & illi aliis prouinciis, vt Nicaraguæ, Guattimalæ & toti nouæ Hispaniæ regno, communes sunt.

Gom. Hist.
gen. Ind.
lib. 5. cap.

C E T E R V momnes in vniuersum Portus-

veteris prouinciae Indi ferè pustulis quibus-
rustulæ dam obnoxij sunt, seu verrucis: quæ è facie
Peruenses aliisque corporis partibus erumpentes, quum
maximæ sunt, nucis iuglandis crassitudine in-
æquant. Id morbi genus & ipse expertus sum:
nullo doloris cruciatu afficiūt, foedæ, sanguineæ,
ac ne aliud quidem remedium desiderat
quam ut maturitate exspectata, tenui filo con-
strictæ abscindantur. Indigenæ eius gentis ora
coloribus fucant: nares, labra, aures & genas
perforant, ac festis suis diebus aurea monilia,
vniones, iis foraminibus velut emblemata in-
cludunt. Quod ad cultum attinet, maxima pars
subculis non manicatis vestiuntur: ceteri
nudi, & saepe totum corpus nigro fucantes,
incedunt.

**Peruensiū
lintrium
forma.**

IN DI vniuersæ illius maritimæ oræ accolæ
piscatui in primis student. Lintres quibus tum
ad piscandum tum ad nauigandum vtuntur,
instar rati, tribus, quinque, septem, inter-
dum etiam nouem aut vndecim tignis leuissi-
mis iunctis, expassæ manus effigie, contexunt,
ita ut medium tignum ceteris longius promi-
neat: eosque modò longiores, modò breuio-
res fabricantur, ac pro longitudinis & latitu-
dinis modo vela expandunt. Porro vbi per
tranquillum eiuscmodi rates diu remigio
subegere, panem, fructus, aliaque eiusmodi
in mare, velut sacrificium, proiiciunt: orantes
vt prosperum ventum immittat: quippe se de-
fessos esse, neque ad remigandum vires vtræ
sufficere.

¶ Guan-

Guancauilichie regionis incolarum mores & cultus.

Guainacauæ transitus. Zarza-parilla herba.

Chimbos mons.

C A P. X I X.

PORTV-VETERENSIS prouinciæ fines proximè Guancauiliqui regio excipit, regni Peruani prouincia inferior. Eius oræ maritimæ primus pagus, Colonchi appellatur, S. Helenæ prominenti proximus. Eius pagi ac populi Principē sæpe vidi, annorū fermè sexaginta hominem. Digna certè Principe ei facies, corpus vegetū robustūmque & prospera valetudine erat. Subacula nō manicata, & rubro tincta, amictus, torque ex auro purissimo, sextuplicato circa collum circulo, quasi maiores corallij surculi, aut baccæ, crassitudine, gestabat, annulūq; in digitis: illi quoq; ex auribus perforatis baccæ & aurea stalagmia pendebant. Sinisterioris brachij carpum pellucida gemma instar speculi, tuendæ oculorum acie, exornabat.

Quo tempore Hispani primùm eas terras ingressi sunt, principatum obtinebat in ea prouincia Regulus (Baltacho ei nomen erat) qui apud suos venerabilis non magis imperio quàm autoritate ea loca regebat. Iste nemini adeuntium aut visentium assurgebat, præterquam Colonchio illi principi, de quo antè dixi. Attamen iste Cacicus nulla vñquam

Peruenses reguli à Christ. re-ligione abhorret. adduci persuasione potuit ut Legem Dei vellet audire. Eum aliquando Patronus suus me præsente, ita alloquutus est: Colonchie, inquit, volo ut Christianus fias: at ille abnuens: Do-

„ mine, inquit, iam mihi propè acta est ætas, ne-
„ que idonca, ut Christianus fiam: at filios meos
„ potius, ut voles; cape, & eos quidquid visum
„ fuerit edoce: quippe illi munia ministeriæque
„ moris tui facillimè obire assuefcent: me vero
„ id ètatis maiorum meorum legem & instituta
„ relinquere non iuuat.

E I V S prouinciæ homines è superiore maxilla quinque aut sex dentes excutere solent: ac si causam quæsiueris, id elegantiæ se causa facere respondent. Subucula non manicata, ut Portus-veteris indigenæ, amiciuntur. Pudendi fascia bombycina velat, cuius extremæ vittæ ad talos usque demissæ: instar equinæ caudæ ab tergo dependent. Feminæ præcinctorio aut castula, nodo reuincta & ad medium crus demissa, integuntur. Eius prouinciæ populi Hispanis in urbe Guaiquil habitantibus seruiunt.

E A M coloniam principiò Hispani in planicie Chioni flumini ripæ imposuerant, quadraginta millibus pass. procul mari. In illis autem regionibus immensæ quædam panduntur planicies, velut infinita camporum patentium superfusis aquis mersa æquora: tum densissimæ silue, cum incredibili copia crocodilorum. Adhèc octo anni mensibus tanta vis culicum eas terras infestat, ut mirer ullos incolas ibi posse viuere. Itaque Hispanos

Peruenses
culices in-festati.

eo loco manētes vbi nox aduenerat, vt quiescere possent, vela & conopæa circum pandere necesse erat. quod & ipsi quoque Indi adhuc faciunt. Quamquam etiam illi cubilia sublimè quatuor scaphis arūdineis firmissimis, leui tabulato, suspensa imponunt: & in hunc modum quiescunt, minus videlicet ita infestis culicibus.

ANNO verò M.D. X L V I. continuis imbribus auctus fluuius ille non ingentem modo stragem dedit, sed totos circa campos & maximam regionis partem, illámque adeò ipsam vrbe, inundauit & obruit. Quare Hispani viginti millia passuum propriis mare nouæ vrbi sedem deligunt, eamque ad ripā eiusdem fluminis colli imponunt. Is locus Transitus-Gainacauæ appellatur tali de causa. Gai Guaiquil
nacaua ducem quendam suum cum valido exercitu, ad subigendā eam prouinciam quondam miserat. Dux quum traducere exercitum decreuisset, indigenas transuersis tignis trabibūisque iniecit, quomodo schediæ & rates compingi solent, fluminis transitū ponte iungere iubet. Perfecto opere, quum iam exercitus cum impedimentis transiret, hostes funibus abcissis pontem soluunt: multi in flumen se præcipitantes gurgitibus hauriuntur: ceteri interclusi à suis ab circumfuso hostium exercitu propè ad internacionem cæsi sunt.

GAINACAVA vbi suorum cladem accepit, magno cōtracto exercitu, Quito mouet,

& ex illis montibus in plana digressus, eam gentem ingenti cede perdomat. Post eam vitoriam, iungendi aggere fluminis cupidum incessit, ut pedestri transitus in ulteriore eius ripam tutò, quum visum esset, transcurreret. Iamque aggetis saxis & terra ingens moles iaci in alueum cœperat, & aggeris longitudo iam viginti & amplius passus impleuerat, quum Gainacaua propter latitudinem, altitudinem & rapiditatem fluminis quidquid ingerebatur absorbentis, incepto destituit. Hac ob causam eum locum Hispani Gainacauæ transitum nuncuparunt: urbemque ibi à se conditam, San-iacobum, quæ aedificiorum & incolarum frequentia à Portus-veteris colonia nihil differt.

Eius fluminis ostio Puna insula obiecta est, & ea quidem in ditione Regis. Eius indigenæ, quomodo & fluminum accolæ & aliæ earum prouinciarum gentes, quoad suppeditarunt vires, continua aduersum Hispanos gerentes bella multos interfecere. In iis, quum bellum F. Vincentius de Valle-viridi, cum xlii. Hindistinctor, spañis Didaci Almagri furorem fugiens, (quo ræ præmia tempore ille Franciscum Pizarrum Marchio referat.

Monachus primus Pe
ruensium (ut superius dictum est.) Eum Cæsar Episcopum Peruanæ prouinciae designauerat.

IN Puna & finibus Guaiaquil & Portus-
teris, herba quædam ramosa reperitur, foliis
vt roboris, (¹ *Zarzaparillam* vocant) quæ
venereæ contagioni & aliis morbis medetur.
Ea nempe duobus silicibus trita expressus &
percolatus succus, admisto aquæ calidæ mo-
dico ægrotis bibendus porrigitur. Ij mox hau-
sta eius potionis, quantâ natura patitur, men-
sura loco calido compositi, quoad tolerare
possunt exsudant. Eo medicamento tres aut
quatuor dies, vt visum est, vtuntur: biscocto
tantum interea pane & pulli gallinacei assi
paululo vescentes. Alij eius herbæ ramuscu-
los duntaxat aqua incoquentes, ius eliciunt
quod interdiu bibant: & eo sorbitonis gene-
re nonnulli duos trésve continuos menses v-
tuntur.

IN prouincia Guaiaquil & aliis versis in
Orientem regionibus, hiems mensē Nouem-
bri incipiens usque ad finem Aprilis durat.
Maio veris initium est, Octobri exitus. In ora
eius maritima, inde à Tumbez Austrum ver-
sus, adeo rari imbres sunt, vt vix triennij qua-
drienniūve spatio paucis miserè expressis plu-
uię guttis planicies illæ aspergantur. Itaque
ibi partim ob nocturnos rores qui copiosè ca-
dunt, partim diurnis accolaram irrigationi-
bus humentia sata adolescunt. Arenosę quo-
que ibi planicies iacent, in quas nunquam
impluit: in montibus contrà octo mensibus
anni pluit: nonnulli etiam obsiti niuibus &
perpetuo rigentes gelu conspiciuntur. Aesta-
te venti quidam assidue à Meridie incolis no-

Zarzaparilla her-
bæ vtende-
ratio ad-
uersus ve-
neream
luem.

xij infestique admodum spirant.

Chimbo:
mons al-
tissimus.

Qv M è Guaiaquil Quiton iter facerem,
Chimbon monte, in altitudinem x L. millium
pass. editum & omni prorsus humano cultu
vacuum trāsgressus sum: quo in itinere, nisi In-
dus quidam pauxillulo aquæ oblato mihi sub-
uenisset, siti planè extinctus essem. Postquam
tandem in verticem perueni, paulisper consi-
stens, nouas illas & mirabiles terras subiectas
oculis è sublimi tanta cum admiratione despe-
xi, vt inusitata quædam, velut in somnis, visi
species oculis meis oblata videretur.

I N hac ingenti prouincia Quitenſi, vt &
in aliis nonnullis Peruani regni regionibus,
quum plerique populi peculiare idioma ha-
beant, vulgò tamen Cuscensis lingua in vſu
est. Quum enim Inguæ (id est Peruani Reges)
eas prouincias ditioni suæ adiecissent, edixere
vt omnes Cuscenſem linguam ediscerent,
eāmque patres filios suos edocerent. Ex eo i-
gitur illud idioma per vniuersas eas prouin-
cias quæ eorum imperio subiecte erant, pro-
miscuo vſu obtinuit.

I EAM herbam ubi primūm viderunt Hispa-
ni tum in Noua Hispania, tum in prouincia
Fondurensi, Zarza-parilla nomen ei indide-
runt, ob cognationem quam cum Smilace aspera
habet, quam Hispani Zarza-parillam vocant.
Ceterūm de variis huius exhibendæ & utendæ
rationibus, copiose agit Nic. Monardus in lib. de
simplic. Indiae Occid. Medicamentis.

Peruano-



¶ Peruanorum religio & ritus. Cultus. Pecora. Ebrietas. studium. Opificia. Vini apud Peruenses summa caritas.

C A P. X X.

HÆ gentes et si cum dæmonibus colloquia milceant, Solem tamen primumine præcipuo habent. Ab eo beneficium aliquot petituri tum Principes, tum Sacerdotes, manè, oriente co-sugestum quoddam editum, lapidem, conscen-dunt: ibique demisso capite stantes, complosis ac confricatis inuicem manibus, mox in celum sublati passisque ut si Solem ipsum amplecti vellent, certas quasdam preces concipiunt, petentes ab eo quib⁹ indigent. Nunc verò etiam quum ab Hispanis vexantur, eos uti Solem adorant, precantes ut misericordia in se vtantur, néve ipsis noceant.

Orandi ritus apud
Peruanos,

IN G E N T I A ibi delubra numinum, præsertim Solis, & immensa opulentia erant: incrustati intus auro & argento parietes: multæ quoque sacris dicatae virginis (*Mamacuna* appellabantur) nulli operi præterquam nendis texendisque tantum ornamenti deorum vocabant. Humanis victimis litant, viros ac pueros mactantes, quorum tamen carnes non mandunt. Pecudes quoque, aues, & alia animalia immolant: & hostiarum fusio-

sanguine Idolorum ora & templorum portas inungunt. Quum dæmonis colloquium expectunt, aut seminare, aut aliud quid aggredi in animo habent, sacerdotes aliquot dies ieuniū sibi indicunt.

Sepelien-
di titus.

MORTVOS regulos magnificis & ingentibus sepulchris inferunt, ac cum eis multum aurum argentiūmq; elaboratum, formosissimas vxores & quas viuentes ipsi maximè dilexerūt, famulos, vestes, fruges, vinū, & quæq; alia carissima, simul defodiunt: ne videlicet eis cibus ac potus desit quoad in alterum mundum peruenient. Quæ sepeliendi ratio in plurisque Indiæ regionibus usurpatur.² Atque isti immortalitatem animæ credunt. Eiusmodi multa sepulcra ditissima Hilpani repere: pauca tamen illa præ iis quæ adhuc super sunt. Multos dies defunctorum lugent.

Immorta-
litas ani-
mæ apud
Peruenses
credita.

Peruensiū
cultus.

VIRI subacula ex lana aut bombyce non manicata vesciuntur: & pendente nodo ex humero altero penula: nobiles caput fascia involuunt, & floccum è lana gestant, qui in finistram aurem propendet. Ex herba quadam candida, cannabis specie, calceos conficiunt. Fœmine longa palla ab humeris ad talos usque promissa induunt, & fascia quatuor digitos latuas præcinctæ (*Chiambi* appellant) ad pectus accus aureas & argenteas affixas præferunt, quas *Topi* nominant: ac superimpositum aliud breve amiculum gestant, quod *Liquidæ* appellatur: capillis quoque promissis & liberè fluentibus conspicuæ. Atque hic vestium mos & forma apud Cuscenses in usu est.

P E R E G R E profecturi rubro quodam bitumine faciem oblinunt, aduersus ventos, herbámq[ue] ore clausam (*Cocam* ipsi appellant) ^{Coca herba inediā} velut panchrestum quoddam pharmacum cir- leuans. cumferunt. Quippe eius præsidio freti integrum diem, nullius nec cibi nec potus egentes, iter faciunt. Atque hoc quidem herbæ genus earum rerum, quibus mercaturam exercent, præcipuum est. Est & apud eos radicis genus (*Pape* vocant) tuberum specie, sed exigui saporis. Abundauere olim pecoris copia (id asini amplitudine, specie propè camelii est) ^{Peruanas oves.} sed, ut ipsi referunt, non ita dudum tetra quædam lues, lepræ instar, armenta corripiens maximam partem extinxit. Verum multò peior lepra Hispani vniuersum propè id pecudum genus absumfere. Horum animalium caro ferinum quiddam sapit: eorum velleribus indigenæ quondam vestiri abundè consueverant: quæ nunc in summa raritate carissima habent.

C E T E R V M ex gentes, sicuti omnes ferè Noui illius orbis, summam voluptatem & ^{Ebrietas} præcipuum vitæ præmium in crapula collo- ^{Peruanæ ruin.} cant. Itaque postquam multo mero incaluere, fœminam quisque, quæ prima collibuerit, amplexus libidinem explent, sublato propè omni matrum, filiarum aliarumque necessitudinem discrimine: & ipsi adeò Reguli ac processores easdem sorores & coniuges in matrimonio habent. Panem nullum planè faciunt, excusso grano tantum cocto & tosto vescentes. Atque hæc vna lex est, quam inter alias

Gainacaua tulit : cùm videlicet expeditionem aliquam ingressurus : suos in pane faciendo occupatos esse nollet. Ergo etiam nunc eum morem obseruant.

Eius Regni primaria quondam ciuitas Cusco erat, Inguarum imperij caput: quæ præscis temporibus longo abhinc æuo (vt indigenæ memorant) à Magocappa condita est, primo eius stirpis rege. Cuius mox successores, amplificatis imperij sui finibus & multis gentibus subactis, leges iis suas morésque tradiderint, multaque passim ædificia, tum cultui deorum tum Regis usibus destinata exstruxerint. Eorum parietes, leuissimo lapide, pumice ædificati sunt: straminibus & paleis integuntur: cuiusmodi ego aliis locis, maximè in provincia Quitensi: in Tumbambæ finibus non minus sumptuosa & magnifica quam in Cusco vidi. Ac quanquam plurima ab Hispanis diruta iaceant: multa tamen etiam nunc in militari bus viis visuntur (quæ indigenæ *Tambos* appellant) ex quorum semirutis maceriis qualis fuerit ingentium eorum ædificiorum fabrica facile colligi potest.

I N T E R alia Gainacauæ monumenta, nobilissimum opus via strata, complanatis ad æquum aliquot monticulis, adhuc spectatur. Quitensis istius prouinciae aer temperatus & salubris est. Cuscenses reges plerumque ibi morabantur: multisque partibus aurificinas instituerant. Ac aurifabri quidem Indi, nullo ferreo instrumento utentes, mirabilia opera

Peruano-
rum ædifi-
cia.

pera, quamqnam paulo rudiūs, non inscitē tam
men fabricabantur.

P O R R O in hunc modum operantur. Pri-
mū aurum vel argentum fusuri catino lon-
go aut rotundo iniiciunt: eum ex panno terra
incrustato, & carbone contuso factum, móx-
que exsiccatum igni imponunt cum ea metal-
li copia quantam capere potest: mox quinque
aut sex siphunculis arundineis tandiu circum-
flando incendunt, quoad liquefactum metal-
lum omni excocta scoria, nitescat. Inde catino
eductum aurifices humi sedentes, nigris qui-
busdam silicibus, aptè ad id factis tanquam
malleis, opus pariter inter se fortiti elaborant,
& ex eo faciunt, aut (vt magis propriè loquar)
faciebant prosperis suis rebus, quidquid iube-
bantur, puta diis dicatas statuas, vasa, monilia:
pecudum etiā omniūmque animalium quæ
videre poterant simulacra effingentes.

Q u o d ad res ex Hispania eò traductas at-
tinet, frigida omnia ac temperata loca tritico
satis fida sunt, & in iis abundè prot. ^{ut} sit. Ibi e-
tiam vites aliquæ, sed parum feraces sunt. Di-
cunt nonnulli spem esse sibi for ^{ut} breui vi-
tes in iis regionibus adolescent ^{autque vina}: imò vt fructus propè omnes Hispaniæ cōcef-
si, ibi quoque nascantur. Verò in etsi spem ^{ut}
suam nemo illis tollit, irrita tamen erit, neque
meo quidem iudicio, effectus quales illi spe-
rant vñquam apparebunt: quippe aëris tem-
peramento & cæli positione nostræ planè
contraria.

Aurifici
peruano-
rū opera.

Gom. hist.
nat. lib. 4.

Peruanæ
regiones
alendisvi-
tibus ines-
ptæ.

Adhæc quando in Noua-Hispania aliisque locis vbi melior mitiorque tellus est, quamquam consitis vitibus, vinum tamen non collegere: quanto minus in Peruanis prouinciis? Addo etiam Dei bonitatem brutis illis gentibus tam præstantem liquorem concedere noluisse: sed attribuisse tantum pro eorum captiu habituque res ad tuendam vitam utcumque necessarias.

HISPANI qui colonias ibi posuere, Raphanorum, lactucarum, melonum, cucumerum, brassicarum, copiam habent. Limonum etiam & Aurantiorum, quamquam hi fructus non nisi loco calido nascuntur. Ficuum mediocriter. Pecoris propemodum inopia est, idque ob continua bella: & quum ibi essem, Limæ vacca una centum ducatis æstimabatur: ouis quinquaginta & sexaginta.

PERUVIANI regni fertilissima prouincia Quito est: ea frumenti admodum ferax, magnam etiam vim porcorum & gallinarum, Hispaniæ sobolis, alit: insuper cuniculorum iucundissimi saporis ingenti copia semper abundans. Sed vini summa ibi caritas. nam in ipsa Quiteni vrbe, vt quum vilissimè venditur, vini serua vna, duodecim circiter lagenarum capax (lagenæ seu bocalium, vt vocant, xxviiij. uncias capit) quatuordecim aut quindecim ducatis aureis valet: Limæ & aliis maritimis locis, decem ac duodecim: sed Potosiæ (mediterranea vrbs est, quingentis amplius millibus pass. introrsus à mari retractior) vulgo LXX. & LXXX. ducatis venit. Ad eum modum

Vini cari-
cas apud
Peruen-
ses.

dum ceteris locis, pro ratione ac situ regionis
quò importatur, maius vel minus pretium
fortitur.

ATQVE h̄ic noua s̄æpe interuenit calamitas. quum enim cadi, seu seriæ aut fideliæ, quibus vinum ab Hispania deportatur, fictiles sint, quum è loco in locum circumferuntur, plerumque franguntur. Sæpenumero etiam, morantibus diutius nauibus, tanta iis locis vini penuria incidit, ut eiuscmodi cadus vnuis quadringentis, quingentis interdum, imò etiam mille ducatis aureis ematur.

I De eorum opinionibus nōnulla quæ ad hunc locum pertinent ex Hispanis scriptoribus attexā. Quum nullam certam, ex scripturis ullis aut literarum monumētis, Creationis mundi aut dilunij notitiam habeant, quod à Patribus traditum per manus habent, memoria retinent. Nimirum insignem quendam virum (Con ipsi vocant) à Septentrione quōdam in eas terras venisse mira pendum perniciate, & nullis ossium fulturis aut nervorum vinculis compacto corpore: qui solo nutum montes in plana subsidere cogens & profunda vallium complanans, viam sibi per inuia faceret. Eum porto priscos earum terrarum homines & fœminas creasse: atque illis herbas & fructus silvestres, sustinende vita dedisse. Mox ab Indis plana incolentibus offensum, terras antea fertiles in arenas steriles vertisse, atque inhibuisse pluias. Ex eo nihil aut raro apud eos pluuisse. Misericordia tamen motum, ne squalida siccitate regio, animantia respueret, fontes aperuisse & fluios, quos accolæ rigantes riuis carperent. Hunc

quondam, quum Solis & Lune filium ferrent, pro summo numine adorabant. Donec ab Austro successit alter, Pachacama nomine (id Creatorem apud eos sonat) Sole & ipse ac Luna ortus, priore longè potentior. Cuius aduentu Condisparuisse: istum autem creatos à priore illo mortales, in aues, cercopithecos, ursos, leones, psittacos, & alias volucres mutasse: atque Indorum qui nunc eas terras obtinent maiores creasse: illosque terræ atque arborum culturam docuisse. Itaque ex eo hunc pro Deo ab illis habitum, templum & diuinos honores obtinuisse: & nunc upatam eius nomine prouinciam, quatuor tantum à Lima leuis: ubi quondam eius Regni proceres quum excederent vita, sepulture locum eligerent. Porro istum Pachacamam multas etates durasse, ac tantisperdum Christiani Peruani regnum iniuere. Ex eo nunquam deinceps esse visum. Credibile est, demonem fuisse, qui talibus prestigijs miseris illas gentes deluderet: cui rei argumento est, quod ante Christianorum aduentum ex celebri illo Pachacama fano, velut publico oraculo, velut Responsa petebantur, quæ dæmon humana aut alia specie sacerdotibus, sacerdotes sciscitantibus, ederent.

CREDIT VR præterea ab illis vulgo & adhuc narratur, ingentem priscis temporibus terrarum inundationem accidisse: eaque omnes submersos mortales preter paucos, qui altissimorum montium specubus abditi, prouiso commeatu, & canernarum fauibus obstructis, communē sortem effugerint. Porro eos, quum remisisse imbres coniicerent,

rent, emisisse duos canes: quos quum madentes & elutos receperissent, inde iudicasse, nondum exire, omnia adhuc obtainentibus aquis, opportunum esse. Mox rursus emissos, quum cœno oblitos & sordidos regredi viderent, & subsedisse aquas, nihilque præter limum superesse, inde deprehenderent, cum demum è cauis erepere ausos, magnam vim serpentium offendisse, quas diluicio recenti lutulentæ tellus ediderat, easque magno labore paulatim sustulisse. Ceterum mundum quoque interitum perhibent, sed non prius quam ingens quedam siccas & velut conflagratio aeris acciderit, qua Sol ipse & Luna hauriantur. Itaque in eorum siderum, ac potissimum Solis, defectibus, vulgo lugubres clamores & planètus edunt, labi orbem & finem rerum adesse existimantes. Quenam, obsecro, hæc sunt sincerioris Theologiae vestigia, quæ ne adhuc quidem in tanta barbarie ex eorum gentium animis delere Satan potuit?

2 In eorum exsequijs tum multa alia absurdæ erant, tum hoc maxime, quod aliquot sui liquoris (quem illi Cicha appellant) pocula in sepulchrū innuergentes, eum per calatum usque ad mortui os pertinentem seu infundibulum, transmitterent. Ceterum non tantum Immortalitatis anime, sed etiam Resurrectionis corporum sensum aliquem habere eas gentes tum sepulture ritus indicat, tum quod vulgo Hispanis dicebant, quum illi eruendo auro & argento sepulchra aperirent. Quippe orabant eos, ne ossa humatorum dissiparent, quò videlicet illi ocius & minore negotio resurgerent.

Aug. Zarat. Hist. Peru. lib. I. cap. 12.

De Brasiliensibus quidem Barbaris ita scribit Lerijs: Nō modō, inquit, Immortalitatem animæ credunt: sed pro certo quoque habent, post mortem eorum animas qui virtutē coluerunt (virtutē autem illi definiunt suo more, nempe ultionē sumere de hostibus & quamplurimos mandere) post altissimos montes euolātes, patrum & auorum suorum animis aggregari, ibiq; in amenissimis hortis perpetuis delicijs ac tripudijs lātū aenum agere: ignauorū contrā manes, qui sine vlla propugnanda patrie cura inglorij vixerunt, abripi ab Aignan (sic illi cacodæmonem vocant) & cum eo sempiternos inter cruciatus vinere. Naig. Brasil. cap. 16.

3 *Peruanæ oves instar camelorum (quos, si tubera demferis, specie propè referunt) magnis oneribus ferendis sufficiunt. Equitandi verò etiam usu eas ita assuefecerunt Hispani, ut duodecim aut quindecim milliarium spatiū, equitem dorso gestantes in die conficiat. Itinere fatigatae prosternt se humi: ac tum fodiendo aut feriendo frustra impuleris: nunquam nisi onere leuatæ, surgunt. Per se planè fructuosum, vel in esu carnium, vel in ruis vellerum, quibus optimis & tenuissimis vestiuntur: præsertim eæ, quas illi Pacos vocant. Quippe & illæ paruo alutur, & in summa laboris tolerancia, Maizio pastæ, quatuor & quinque dies sine ullo potu facillimè transigunt. August. Zarat. Hist. Peru. lib. 3. cap. 2.*

4 *Hæ c statina, seu palatia, quæ Tambos vocant, Gaiuacaua, Attabalibæ pater, ad ripas fluminum maxime, & in regijs vijs exstructa, non tantum commeatu, quantum exercitui alendo sufficeret.*

sufficeret, sed etiam armis, vestimentis, & omnibus telorum genere tanta copia instruxerat, ut ijs triginta millia hominum expedite vestiri & armari possent. Ea autem crebris interuallis disposita, plerumque diei unius itinere, interdum octo aut decem leucarum, rarissime quindecim aut vinti, spatio discreta ab alijs alia erant. August. Zarai. Hist. Peru lib. I. cap. 14.



¶ Peruani Christianos ex maris spuma concretos esse putant.

Aurifodina exhaustae. Coloniae in Peru ab Hispanis condite.

C A P . X X I .

MA T V R V M iam mihi videtur falsas eas opiniones quas illæ gentes de nobis habent, expromere.

Postquam ingressis Perusiuim Hispanis, mores eorum, facta & atrocia saevitiae exempla quæ passim ab iis edebantur, inspexere: nunquam ex eo non modò fateri voluerunt, nos esse Christianos filios Dei (sicuti ab Hispanis audiebant) sed ne ita quidem in lucem editos ut vulgo nasci homines solent. Quippe fieri non posse ut tam ferox & truculentum animal ab ullo homine genitum & fœminæ partu editum sit.

Itaque corū animis penitus hæc infedit opinio, nos mari esse ortos: ac proinde nos *Viracochie* vocant. quippe *Cochie* apud eos valet mare, & *Vira* spumam significat. Ergo nos

mari concretos & coalitos, spumáque nutritos, vulgò ferunt: ac venisse in terras ad vastandum ac perdendum mundum. Neque cam opinionem ullus, præter Deum omnipotentem, eorum animis euulserit. Nempe inter se ita ratiocinantur, Venti domus prosternunt, arbores frangunt: ignis eadem vrit: sed isti Viracochiæ omnia deuorant: terram inuertunt, vim fluminibus afferunt, neque ullum tempus remittunt: perpetuò irrequieti modò huc modò illuc vagantur, aurum & argentum insatiabiliter quærentes: mox vbi quæsiuere, alea consumunt, bella gerunt, mutuis cædibus se conficiunt, latrocinantur, blasphemant, Deum exsecrabiliter eiurant abnegántque: verum nunquam loquuntur, & nos nostris ditionibus & fortunis spoliauerc. Denique Indi mare diris exsecrantur, quòd tam fæuam & truculentam sobolem in terram immiserit.

S A E P E varia eius regni loca perlustrans, siquem fortè Indum obuium habereim, animi gratia, vt mentem eius nudarem, sciscitabar ex eo vbi hic aut ille Christianus maneret. Illi verò tantum abest vt responsum aliquod darent, vt nē in os quidem contrà me intueri sustinerent. Verū simulac petieram vbi maneret Viracochie, confessiū mihi respondēbant. Pueri quidem eorum vix verbum unum balbutire incipiunt, quiuin patres digito nostrū aliquem indicantes, En tibi, inquiunt, Viracochie,

Barbari
Christia-
norū vitia
grauissimè
arguunt.

P O R R O

PORRO quum in multis huius Regni pagis, nempe quia opulentum est, sacerdotes & monachi erudiendæ iuuentuti dent operam, utinam tamen bonum aliquem fructū edant. Neque hic omiserim quod in Quito à Flan-
dro quodam monacho Franciscano audiui, cui-
Iodocus nomen erat. Is mihi retulit se in pro-
uinciam Cagnariam profectum, exstructo ibi
cœnobio, omnes eius gētis regulos & primo-
res euocasse. Quum tres tantum ex iis venis-
sent, luculentissimam apud eos orationem ha-
buisse, ut qui linguam Cuscensem optimè cal-
leret, eisque quæ ad fidem nostram pertinerent
copiosè exposuisse, fœdos simul eorum ritus
& diabolicas ceremonias damnantem: mox
postulatu eorum omnes baptizasse, atque ita
domum reuersos.

VE R VM vt vidi monachus eos ad sacrum
in templum non venire, denuo homines adit,
rogatque ut in sancto proposito perseuerent.
Donec ad extreum ubi vidi se operam lu-
dere, nec fructus ullā esse spem, quum illi pa-
lām cum risu dicerent res Viracochiorum sibi
non conuenire, nec sibi tantum ab suis rebus
esse otij ut templo frequentando vacare pos-
sent: his, inquam, compertis, monachus sexto
postquam eō venerat mense, Quito ad suum
monasterium reuersus est.

Ac quando in eum sermonem incidi, age
libens ab Hispanis ipsis quæsiuerim, Si apud
eos nulla vñquam antehac notitia, ac ne
nomen quidem ipsum Sacri Euangeij audi-

Religio-
nis Christi
cōtemptus
apud Pe-
ruanos ex
malis His-
panis
exemplis,

408 HIST. NOVI ORBIS
tum, atque hoc tempore gens aliqua in Hispaniam ad promulgandam Christianam doctrinam commisaret, quomodo ipsi In Indiam iuerunt: atque & ea ipsis suas fortunas, vxores & liberos eriperet, atque in ipsorum corpora tormentis cædibusque saeuiret, ac pro mancipiis venderet, multasque alias indignas iniurias in eos ederet: quero quid ipsis essent facturi. Ego quidem non dubito quin ipsis non tantum capitali & perpetuo odio eam gentes prosequerentur: & in eam præbra omnia & fœda iacerent: sed etiam atroces de ea, si possent, expeterent poenas. Si hoc Hispani ipsis alteri genti facturi sint, quis miretur hunc in modum Indos Hispanis, si possint, vsuros?

IAM superius de immensa opulentia egi ab Hispanis reperta, quim primùm hoc regnum subegerunt, attamen vt cumque tantum inde opum exhauserint, Indi etiam nunc grandem lancem plenam Maizio tenentes granū vnum ex omni aceruo eximunt, & Viracochiae, in quiunt, hoc foras exportarunt: & illud lancem intuentes apud nos remāsit. Itaque illi ne tam ingenti gaza Hispani potirentur, partim proiecerunt in mare, partim defossas in terram oipes abdidere.

HISPANI præter hæc argenti & auri fodinas ditissimas aperuere: & argentearum Potosien- fodiæ, quidem nobilissime sunt apud Potosienses.

Non procul Cusco in flumine Caluaia auri purissimi ramenta inuenere: deinde in Quintensi prouincia auriferum aliud flumen, quod ab Hispanis San-barbara appellatur. Aurarias quo-

quoque in quibusdam montibus naēti, cuniculis per magna spatia actis & tellure ligneis columnis & culturis suspensa, usque adeo fodere quoad aurariæ venę finem inuenirent. Hispanos
rum in ex
hauriēdis
fodinis la-
bor.

Ac sepe accedit ut sidētibus rimis fracti montes, & omnes operarios & Hispanos ipsos opprimerēt. Aurum quod ex iis montibus eruitur, minutę arenæ speciem habet; id, effossa terra, argenti viui ope colligunt quod è fluuiis tollitur, in grumos & grana tum exigua tum maiora discretum est. At nunc quidem omnes ferè aurifodinæ exhauste sunt: argenti abundè quidem adhuc suppeditant, sed non ea copia qua primū. Neque enim tantæ magnitudinis ullus mons est, quem, si semper inde tollas ac nihil reponas, aliquando non exhauseris.

C O L O N I A E ab Hispanis in eo regno conditæ hę sunt: Lima, Arequipa, Cusco, Neapolis, Argyropolis, Trugillum, Guanucum, Coloniæ
Hispanicas
in Peru. Chiachiapi, Quito, San-michael, & Portus-vetus. Earum amplissima Lima est, quadrinquentis & quinquaginta circiter focis habitata: ceterarum aliæ viginti, alię triginta, quedam quadraginta, nonnullæ quinquaginta, aliquæ octoginta domus continent. Denique sic statuo atque affirmo, omnium earum vrbium, quotquot Hispani in ea India condiderunt: (quas illi amplius trecentis esse iactant) etiam si in unum aceruum conferantur, non tot esse ciues ac municipes, quot vel unius suburbij Mediolanensis extra portam Comasinam olim esse meminimus. Nam florentibus illius vrbis

410 HIST. NOVI ORBIS
rebus, ex solo eo suburbio x i. amplius millia
hominum, exceptis senibus, emitti solebant:
at in India Occidentali, annumeratis etiam
senibus ac pueris, lustro facto nunquam am-
plius x i i i i. aut x v. millibus capitum reper-
ta esse constat.

I s Christ. religionis contemtus in Barbaris
nulli verius causa quam Hispanorum sceleribus
& flagitijs assignari debet. Nam alioqui non pla-
nè indociles neque à pietate alieni sunt. Id unius
rei documento, quod ex Lorio nostro sumam,
demonstrasse sufficiet. Is enim Americ. Histor.
cap. 16. narrat, Se aliquando cum tribus Barbaris
Brasiliensibus iter per siluam facientem, noua ar-
borum herbariumque specie, simul canoro auium
concentu, inuitatum ad prædicandas Dei laudes,
totum Psalmum 104. alta voce cecinisse. Mox
quaesuisse unū ex illis quidnam sibi vellet quod
cecinisset. ac tum se copiosè Prophetæ mentem &
Psalmi sententiam exposuisse: Illos vero, ubi
omnia hac attenitè audiuerint, ingenti cum ad-
miratione in exclamationem erupisse, O h quam
vos Maior (sic illi Gallos appellant) felices estis,
qui tot arcana sciatis, que nobis miseris occulta
sunt! Ita nimirum cum aliquo fructu docentur,
Barbari, non libidinis & auaritiae exemplis.

Pere-

Peregrini à Gasca è Peru arcentur. Hispanicae classis naufragium. Benzonis ex India Occid. in Hispaniam, atque inde in Indianam reditus.

C A P V T X X I I .

 V v M iam tertius ageretur annus ex quo in Perusium veneram, ac me, iam collectis aliquot ducatorū milibus, earum terrarum satietas & fastidium cepisset, reuerti in patriam constitui. Accessit eò etiam edictum Præsidis Gascae, quo peregrinos omnes Perusio excedere iusserit: cùm videlicet à quibusdam Hispanis acceptisset, Leuantinos (sic nimirum nos vocant) perfidos ac sœuos esse, ac multis Hispanis existij causam fuisse. Ergo quum tunc in vrbe Guiaquil essem, eoque fortè acatum è Panama mercibus onustum appulisset, abire inde & patriam reuisere statui.

Vt primùm, confectis ad quæ venerat, magistro nauis abire vacuum fuit, nauim consendi v 111. die Maij, anno M. D. L. soluimus & in portu Zalangi præsidem Gascam inuenimus. Is Panamam petebat, vnde in Hispaniam traiiceret: ac tum quod solus nauigaret, Nauarchum nostrum comitem sibi ire iussit. Ille, quum Maizio nauem onerare vellet, Præsidem rogat, vt propter necessarios quosdam usus ipsum ibi manere pateretur. Præses abit: nos tamdiu in eo portu hæremus, quoad onustum esset nauigium.

M o x inde soluentes, breui ad Mantam.

appellimus: sed ibi nauigium scopulo illisquin
fractumque mergitur: omnes vectores & nau-
tæ cum maxima auri & argenti parte incolu-
mes ad terrani euadunt. Ea calamitas Naucle-
ri seu piloti suæ artis non satis periti inscitia
accepta est: is verò qui Panama acatum de-
duxerat, substiterat in Guaiaquil eiuscmodi
ob causam. Allatum fortè erat per eos dies ab
Edictū de
arcessēdis
vxoribus. Hispanis Cæsarīs edictum ac omnibus Indiæ
partibus promulgatum, mulierum postulatu
quæ viris iunctæ essent: Ut videlicet Præsides
ac Gubernatores, viros qui in Hispania vxores
haberent, in Hispaniam remitterent: aut iube-
rent eos de arcessēdis eò vxoribus satagere.
Ergo metuens Nauclerus ille ne Panama in
Hispaniam remitteretur, nullius ibi fauore
subnixus, quum eò reuerti nollet, in Perusio
substituit.

A M I S S O verò, ita ut dixi, nauigio, exspe-
ctare aliam traiiciendi occasionem necesse
nos fuit. Tandem quinquagesimo post hæc
die, quum nauis Lima veniens eò applicuisset,
ei iungimur, & breui Panamam peruenimus.
Ibi comperto Præsidem cum omnibus nau-
ibus è Nomine-dei in Hispaniam vela fecisse,
in Nicaruam transgredior. Ibi graui ac diu-
turno morbo implicitus, ac vix tandem rece-
pta valetudine, post quadriennium è Guatti-
mala, vbi tunc eram, ad Portum-caballorum
me confero, quò naues ex Hispania appulisse
aceperam.

C O N S C E N D o nauim, foluimus: sed
quum iam haud procul Cuba essemus, sœua
repente.

repente coorta procella nauim ad breuia illidit: nos, omni propè amissa pecunia quæ in naui erat, ægrè in scapham transgressi, omnes tamen incolumes trigesimo quarto demum die summis cum laboribus & periculis Portum Auanę tenuimus, vbi classem Regiam reperturos nos sperabamus. Sed ea iam octiduo antè, summo ipsius præfecto Didaco quodam Caietano, in Hispaniam vela fecerat: atque eam quidem vix medio itinere atrox adorta tempestas miserabiliter afflixit. Ex duodecim classis His-
ginti nauibus, tredecim fluctibus penitus nau-
fragiā sunt, (quarum una vehebatur Clauissus
Panamæ Gubernator, & duo Adseffores iu-
ridici noui regni Granatæ, qui ob multa in-
iustitiae & repetundarum crimina, Regis man-
datu è prouincia in Hispaniam deportabantur) duæ quassatæ & semilaceræ ad Dominicæ
insulæ littora eiectæ sunt. Tribus reliquis in
Hispaniam abreptis, una littoribus Portugaliæ illisa est: vectorum pars, amissa naui, ægrè
ad terram enauit: altera Calicum portum in-
columis subiit: Prætoria haud procul por-
tu San-lucari de Barrameda, cum ducentis
fermè hominibus periit. Præfector scaphæ
præsidio cum parte nauticorum & concubi-
na euasit.

spanicæ
naufragiā.

Mox quum Hispalim venisset, iussu Re-
gis in custodiam coniectus est. Obiiciebatur,
eo tempore ex India soluisse ut ei necesse esset
hyeme in Hispaniam appellere, littorum præ-
sertim egressu ea tempestate periculosisimo.
Itaque ipsius culpa tantam calamitatem esse

acceptam. Ille verò culpam omnem in necessitatē transferens , se quum tantæ alendæ multitudini commieatus Auana expedire non posset, inde soluere esse coactum defendebat. Tandem hæc atque alia afferens emittitur , sed abrogato ei munere.

Benzonis
in Hispaniam, inde in patriā, reditus. Ecce o interea Auanæ hærebam æger animi ac mœrens , idque dupli de causa. Primum quod fortunarum mearum partem in supra dicta naui amiseram : deinde quod classem Regiam, cui me adiungere cogitabam , profectam comperisse. Verum tam funesti naufragij nuncio audito, Deum diuinamque eius gratiam laudaui, quod ei classi moliēti me succedere non esset passus , haudubiè si id factum esset , cum aliis periturum. Tandem decimo postea mense classis Regia in Indiam appulit: moxque in Auanæ portu aggregatis quatuordecim nauibus cum modicis tum magnis, breui vela , Dei ope , in Hispaniam fecimus. Trigesimo nono quām inde solueramus die, horribilem vnam tempestatem in eo cursu perpessi : insulam quandam Lusitaniæ (vulgo Maderam appellant) tenuimus, quę iuxta Cosmographorum rationem ab Auana amplius 1 V.M. milliaribus distat.

Bermuda
insula. MEDIO fermè itinere iacet exigua quædam & deserta insula , quæ ab Hispanis Bermuda appellatur : sed eam neque nos in conspectu habuimus, neque multi nautæ illac paterauigantes vident. Sumto in Madera pane, vino aliisque cōmeatibus , vela damus: & octauum post diem, xiiii. Septembris, M. D. LVI.

San-

San-lucari portum ingredimur, atque inde Hispalim procedimus. Ipse, simulac expeditis negotiis dimislus sum, Calicum portum peto: & onerariam nauim conscendens (Vrcam vulgo vocant) Genuamque bimestri nauigatione peruectus, & incredibili ex conspectu patriæ perfusus gaudio, breui Mediolanum peruenio.

QVAM O BREM immensa atque æternum
Iaudandæ Maiestati Dei, potentia que eius, ac
Seruatori nostro Iesu Christo, immortales
gratias ago, quod concessò mihi hoc benefi-
cio ut res adeo nouas, tamque à nobis diuer-
sas ac renotas terras viserem, me ab innume-
ris periculis liberauit: ut quoties præterita
in memoriam reuoco, humanum vnum cor-
pus tot tantisque malis tolerandis sufficeret
vix potuisse existimen.

Gratiarē
actio pia.

I H A E C Belmuda seu Bermuda insula, Garza
etiam alio nomine dicitur: quod nauis, cui ea pri-
mum apparuit, Garza vocaretur: illius vero Ma-
gister, Joannes Bermudez Palensis. Ad XXXII gradum in Septentrionem sita est: parua & deser-
ta credita. Onied. Hist. Ind. lib. 2. cap. 9.





CANAR. DESCRIPTIONIS

ARGUMENTVM.



M N I B V s nauibus, que in Indianam
Occid.cursum dirigunt, primam statio-
nem præbent Canarie, seu Fortunatæ
insule, C C. leucarum, nonnullæ etiam
C C X L. interuallo ab Hispania, à xxvii. ad
xxix. ab Aequinoctiali limite, in Septētrionem,
gradū suæ. Earum prisca nomina, Pluñialia, siue
Ombrios, Capraria, Niuaria, Canaria, Iunonia,
& eodem nomine proxima, sex tantum veteribus
cognitæ: hodie septem numerantur. Illæ post Iubæ
& aliorum veterum inquisitionem, diu nostris ho-
minibus ignotæ manserunt: donec Ioannis, secun-
di huius nominis, Castellæ regis, denuo, anno Do-
mini M. C C C C V. aut (ut alijs tradunt) Petri re-
gis Aragonie, temporibus, anno M. C C C X X X IIII.

Hispanorum nauigationibus aperte sunt:

moxque (ut hic scribit Benzo)

partim ab ipsis Hispanis,

partim à Gallis,

subactæ.

* *

BREVIS



B R E V I S I N S U L A R V M
Q V A E C A N A R I A E A P P E L -
lantur, & rerum in iis memora-
bilium, descriptio.

¶ *Canaria insulae septem. Indigenæ pauci supersunt. Quando
& à quibus subactæ. Earum feracitas.*

C A P V T I.

VA N D O , Deo bene iuuante , si-
nem tandem breuis huiusce meæ
Historiæ assequutus sum , operæ-
pretium facturus mihi videor , si
quædam de Canariis insulis memoria non
indigna contexam. Hæ septem sunt, Gran- ca-
naria videlicet , Teneriffe , Paima , Gomera , Iz,
Ferrum, seu Ferrea, Lanzarotta, & Forte-ven-
tura. Ex non magno interuallo inter se discre-
tæ , ab ortu in occasum , continuo versu in or-
dinem porrectæ , x x v i i . gradibus & dimidio
ab Aequinoctiali linea absunt : ab Hispaniæ
promontorio Boldori nongentis & octogin-
ta pass. millibus: ab Aphrica l x x . Perhibetur
à veteribus nonnullis scriptoribus Fortunatas
esse dictas , quod omnibus que vita humana
desiderat, iisque sponte genitis abundant. Ve-
rū Solinus multo secus de iis scribens , plu-

D j

Canariæ,
seu Fortu-
natæ insu-
læ, septem

rimùm istius fertilitatis famam eleuat.

Canarij
indigenæ
pauci.

P O R R O veterum earum incolarum & indigenarum stirps hodie prope modum sublata est. Ego quidem vnum duntaxat in Palma insula vidi, annos fermè L X X X . natum: cui, quòd è præcipuarum & veterum insulæ familiarum stirpe esset, Rex Hispaniæ certum annum stipendium in viçtum dabat. Quum mihi forte aliquando sermo cum isto esset, & ab eo mores, atque instituta gentis cognoscere cuperem, nunquam à vino integrum vacuūm que reperi. quippe eius potus dulcedine semel degustata, omnem voluptatem in ebrietate collocabat. Itaque ea de re nihil certi tradere possum, nisi forte pauca quædam quæ vel ipse vidi, vel ab Hispanis nonnullis magno natu audiui. Sed priusquam id aggrediar, exponendum videtur quæ prima gens (vt à nonnullis scriptoribus proditum est) eas insulas subegerit.

A quibus
primùm
subactæ
Canariæ.

IN Historiis Petri Aragoniæ regis, eius nominis I V . traditur anno M . C C C . X X X I I I . ad eum adiisse nobilē quemdam Hispanum (Ludouico Cerdæ nomen erat) virum bellicarum rerum artiūmque peritissimum, qui quòd ei adhuc omnia incepta prosperè prouenissent, arroganter Principem Fortunæ, sibi meti se cognomen fecerat. Is à Rege, vt eius autoritate atque auscipiis Canarias insulas subigere liceat, simùlque auxilium petit: móxque impetratis ab eo pecuniis ad celoces duas armandas, classe instructa è Calicio portu soluit.

Breyi

Breui Gomeram tenet, ac centum & viginti milites in littus exponit. Sed vix egressos, Insulani feroceis animis acriter impetu facto repellunt: maxima pars cæsi: ceteri trepida fuga compulsi ad naues partim eò nantes, alij scaphis raptim conscientis euasere: ac cum suo duce, qui Principatum Fortunæ se amississe serò tandem agnoscebat, spe irrita mœsti in Hispaniam reuertuntur.

TRADVNT nonnulli missas è maiore Baleari naues aliquot ad subigendas eas insulas: sed omnia fœdè atq; improspèrè euenisse. Proditum est ad aliis, anno M. C C C. x ciiii. Hispalenses & Cantabros aliquot naues militibus, equis & commeatu ad eam expeditionem instruxisse. Hi, quum classe perarmata ad Lanzarottam appulissent, exscensuque ad terram facto expedito agmine ad pugnam procederent, ne indigenas quidem incautos & solutos oppressere. Itaque multis horis acriter vtrimeque pugnatum: tandem victores Hispani, plurimis hostium cæsis, multis captis, præda & spoliis onusti in Hispaniam reuertere.

ALII eius rei gloriam Gallo tribuunt, Nobilem videlicet quemdam Gallum, ² Ven-

Ventacur-
tius Gal-
lus Cana-
rias ten-
tat.

tractis ex castelli cuiusdam sui pretio pecuniis classem tantæ expedi-
tioni parem armas, primūnque eas insulas
cœpisse subigere. Is enim quū ad Gran-cana-
riæ orā naues applicuisse, atq; indigenæ egre-
dientem in littus vim aduenarū conspexisse,

id protinus Baianori insulæ regulo renunciant. Is tristi accepto nuncio , haud cunctanter concitis popularibus quantam potest multitudinem colligit : móxque omnes è vicinis collibus ac tumulis ad littus descendentes ferociter in hostem incurunt. Ac Galli quidem primo furentium Barbarorum impetu pulsi ac perterriti , ingens damnum accepere : sed mox confirmatis animis effusè concitant aquos : & multa cæde hostium inuecti , turbatos in fugam vertunt. Baianor prælio superatus , simultaque ex fuga sese recepit , statim ad ducem Gallum legatos de pace mittit. Qua benignè data , Ventacurtius , Reguli huius consensu arcem in insula coctili latere ædificat , eámque quinquaginta militum præsidio munit.

E X I N D E cum reliquis suorum ceteras insulas ordine prælegens , Palmam aggreditur , qua paruo negotio subiecta , breui quoque Goimeram in potestatem redigit. Has tres insulas ita perdomitas Alphonso comiti Nebulensi Hispano , magno pretio vendit , qui mox ceteras ditioni suæ adiecit. Ex quibus appetet iam multis abhinc annis has insulas Hispaniæ regno subiectas esse.

I A M quod ad mores eius gentis attinet & fertilitatem terræ , quæ , vel ipse vidi , vel ab aliis audiui (vti superius sum pollicitus) ea paucis exsequar. Primum ergo earum insularum maxima (Gran-canariam Hispani appellant) rotunda propemodum specie , cxxx . circiter milium pass. ambitu , urbem in planicie modica

dica sitam haud procul mari Orientem versus, habet: quæ quum ibi essent, quadringentis circiter dominibus habitabatur. Ibi Gubernatores & præfecti tum seculares, ut vocant, tum Ecclesiastici, manent. Nullus ante urbem portus, sed duobus ab ea millibus pass. Septentrionem versus, prope exiguum montem statio quædam est. Ibi naues ancoras iaciunt: quibus scilicet tutandis vicino in littore Hispani modicam arcem excitarunt: vbi tum tormenta quatuor ferrea erant, eaque situ ac rubigine obduta. Ac sæpenumero equidem demiratus sum, quum Galli eodem ipso in littore naues aliquot ceperint, satis validum ad impetus hostiles arcendos propugnaculum ab Hispanis non exstructum esse.

In ea insula magna fit sacchari copia, plurimique propterea mercatores eò negotiandi causa commeant, maximè Genuenses. Omnes arbores ex Hispania eò translatæ, facile, præter oleam, comprehenderunt. Ea quæ Palma fructuum vbertate, maximè vini, imprimis insignis est. Itaque tantum ex illis vitiis prouenit, vt non insulis modò vicinis vina suppeditent, sed etiam dent quæ nauibus in Indiam, in Flandriam & Angliam portentur. Caprarum etiam & ouium greges eæ insulæ habent, ex quarum lacte caseum ingenti copia faciunt: cunicularum verò vim propè innumeram. De ceteris, Teneriffe quoque & ipsa rebus ad viëtum necessariis abundat: sed tres illæ priores palmam obtinent: reliquæ, ut exiguae, inopes, & ignobiles spernuntur.

1 POMPONIVS *Mela lib.3.ca.ii.* ita de
ijs scribit. Fortunatæ insulæ abundant sua sponte
genitis, & subinde alijs super alijs innascētibus ni
hil sollicitos alunt, beatius quam alie r̄bes excul
tæ. Idē propè Plutarchus in *Sertorio*. Solinus con
trà ca.20. De harū nominib⁹ (inquit) exspecta
ri magnum mirum reor, sed intra famam vocabuli
res est, &c. Idque multò quam alijs verius.

2 Ioannes Betancurtius, nobilis Gallus, Robini
Bracamontij, Francie Almiratis, cognati sui gra
tia & interuentu, Anno M. C C C C X V I I. eas
insulas subiendi facultatem suis auspicijs & Re
gio titulo, à Rege Castellæ obtinuit. Itaque vendi
tis quæcunque in Gallia possidebat, classem armat
& Gallos admissis Hispanis, dicens in Canarias
expeditionem suscepit. Hahebat in comitatu mo
nachum, Mendium nomine, qui Martini v. Pon
tificis iussu, Barbaros Ethnicis superstitionib⁹. de
ditos ad Christianismum verteret, & Episcopi ti
tulo illis præfesser. Betancurtius Lanzarottam, For
te-venturam, Gomeram, Ferrum & Palmam
paruo labore in potestatem redigit. Gran-canaria
potiri non potuit, x. millium armatorum exercitu
Barbaris insulam propugnatibus. Inde electus in
Lanzarottā se recipit: atque inde exstructo late
rificio vel lapideo castello, subactas insulas regere
& colonijs occupare instituit. Mox etiam, varijs
mercibus, quas ab eo acceptas Hispanæ & Galli
ce naues exportabant, putā mācipijs, melle, cera,
corijs bubulis & hircinis, sebo, sicubus, alijsque,
pecuniarum vim ingentem facere: donec multi
fama opum quibus ea insulæ abundarent exciti,

ad cæteras subigendas confluenterent. Ceterum Be-
tancurtius quatuor insularum imperium Me-
naldo, cōsanguineo cuidam suo, moriens reliquit.
Post hac, iurgio forte inter hunc & Mendum E-
piscopum orto: Mendius aduersa multa de impo-
tenti eius in Barbaros dominatus ad Regem Ca-
stellæ scribit. itaque cupere eos in Regis fide, ac di-
tione esse. Rex trium nauium classem eò mittit,
Petro Barba duce. Is diues & cautus, vim etiam
adhibiturus si opus esset, Menaldo facile, ut eas
sibi vendat, persuadet. Eas postea ipse Ferdi-
nando Peraza, Hispalensi equiti vendidit: aut,
ut alijs tradunt, Alphonso comiti Nebulensi, qui
eas alijs ditionibus cum Peraza permutauit. Pe-
razza quidem, quocunq; modo iis potitus, Regium
nomen primus ascivit. Gom. Histor. gen. libro 5.
capite 222.



Miraculum arboris in insula Ferro. Canariensium
 mores. Teneriffes insula mons.

C A P. I I.

RE s poscere h̄ic videtur, vt prius-
 quam hunc de Canariis sermonem
 absoluam, memorandæ Arboris mi-
 raculum referam. In insula Ferro est:
 perennes aquas è foliis exsudans stillansque, &
 quiden tanta copia vt non incolis modò, sed
 etiam multo pluribus sufficere possit. Ea arbor
 mediocri magnitudine, nucis iuglandis folio,
 D ^{Arbor perennes aquas exsudans,} iiiij

quamquam paulo maiore , muro circumlapi-
deo septa , instar fontis, est : & eo craterē de-
fluens aqua suscipitur. Arcanum equidem na-
turæ mirabile : non reperiri tota insula ullam
aquam præter eam quæ ex illa arbore manat:
Porro arborem perpetua ac densa nebula cir-
cumuestit : quæ tamen interdiu vbi solis æstus
flagrare incipit , paulatim discuti ac resolui
videtur.

P R I N C I P I O , Hispanos eam insulam su-
bigere aggressos, quum neque fontes, nec pu-
teos, nec flumina inuenirent , ingens admiratio
stupórque incesserat. Quumque ab indi-
genis sciscitando exsequerentur , vnde aquam
sibi pararent : illi pluialem aquam in vasis
collectam , reponere ad necessarios usus se re-
spondebant : arbore nimirum priùs arundini-
bus, terra aliisque integumentis operta. quip-
pe ita rati Hispanos , vbi aquam non reperi-
sent , ex omni insula excessuros. Sed parum

Arborem illam mulier Hispano- cuidam, quicum familiaris ei consuetudo in- nis prodit.

astus profuit. Nam insulana mulier Hispano-
cuidam, quicum familiaris ei consuetudo in-
nus prodit. tercesserat, arborem & arcānam vim eius ape-
ruit : protinusque ille Hispanorum duci. At
dux, qui rem tam inusitatam pro fabula duce-
ret, risu temperare non potuit : mox tamen
detecta arbore & rei certitudine comperta,
omnes rei tam nouæ miraculo defixi obstu-
puere. Neque mulier indicium impunè tulit,
siquidem primores insulæ proditum ab ea ar-
canum quum cognouissent, breui necem ei
clanculuni intulere.

C E T E R V M hi ferè Canarienses quondam idololatræ erant. Caprarum pellibus, quibus abundabant, amiciebantur: neque alias dominus, quām subterraneos specus norant, eosque ferè ad radices montium aut sub collibus positos. Quum nullum haberent animal præter capras, quæ nostris multo grandiores sunt, iis vice boum ad colendos agros vtebantur, & earum cornibus terram velut bipaliis fodiebant. Milium illis pro omni fruge erat, ex quo duorum lapidum attritu commolito panem faciebant, ab ipsis *Gofio* appellatum. Vinum è palmis, ut *Aethiopes*, moliebantur. Colore cutis prorsus tali sunt quali errores illi quos vulgò *Egyptios* vocant. Earum insularum cælum calidius quām frigidius est, etiam si Tenerife montem erigat (²*Picum Teyda* vulgò vocant) totius propè anni spatio opertum fidūmque niuibus. Quod quidem primū signum à mercatoribus ad eas insulas nauigantibus eminus conspicitur.

I V V L G O creditur ea esse, quam Plinius & Solinus *Ombrion*, seu *Pluvialiam* vocant: sic dicitur. Etiam quod nulla in ea esset aqua nisi ex imbris. De qua hæc Plinius verba sunt lib. 6. cap. 32. Iuba de Fortunatis ita inquisuit: Primam vocari *Ombrion*, nullis edificiorum vestigijs: habere in montibus stagnum: arbores similes ferule, ex quibus aqua exprimatur: ex nigris amara, ex candidioribus potui iucunda. Hactenus ille. Quæ quidem non videntur admodum discrepare de ijs quæ de ea Insula ab Hispanis explorata sunt.

Canarien-
sium mo-
res & cul-
tus.

Canar. pa-
nis.

Tenerife
mons.

Quamquam illi nullo ibi nec stagno, nec lacu, nec fonte innento, solam eam salubrem & potui aptam aquam ex mirabili ea arbore stillantem compererint: & quidem tanta copia, ut non Insulanis modo eorumque armentis, sed etiam nauibus eò forte ad aquandum apellentibus sufficiat.

2 *Mons hic in tantam altitudinem editus est, ut xv. fermè leucas ab imo ad summum verticem colligens, inde ab ducentorum quinquaginta miliarium Hispanicorum interuallo eminus conspi- ciatur. Eius imæ siluae & viridiania pascua vestiunt: media niues occupant: vertex nudus & sterilis fumos plerumque exhalat. Vulgo Galli nautæ eum Le pic de Tanariffle, appellant. Ce- terum Teneriffe ea creditur esse, quæ à veteribus Niuaria dicitur.*

DE



D E G A L L O R V M
Expeditione in Floridam,
& clade ab Hispanis non
minus iniustè quàm im-
maniter ipsis illata, Anno
1565, Breuis Historia.

Cui adiunctum est,

Supplicis libelli & querelæ , à viduis , liberis ,
cognatis & amicis Gallorum , ab Hispanis
in Florida contra fæs ac fidem cæforum , ad
Carolum ix . Galliæ regem delatæ , exem-
plum .

E S A I A E C A P . X X V I .

*Ecce Dominus egredietur de loco suo , ut visitet
iniquitatem incole terræ contra eum : & reue-
labit terra sanguinem suum , nec operies
ultra imperfectos suos .*

* * *

EXPEDITIONIS FLORID.

ARGUMENTVM.



V N C libellum superioribus Benzonis
libris adiunximus, tum quia eiusdem
penè argumenti est, cùm & res in iisdem
illis terris gestæ historiam, & Hispanicæ
sæuitia insigne exemplū contineat: tum ut Hispani-
nis ipsis speciosam illā laruam excuteremus, qua
vulgo vti solēt: Non mirum esse videlicet, se ad-
uersus Barbaros & Anthropophagos homines ni-
hil humani præter speciem oris habentes, quorum
immanitatem frustra per benignitatē & modestiā
effugeris, sæuitia saepius quām clementia esse usos.
Nam quid hīc simile adferent? Expeditionem in
Floridam suscipiūt Galli, idq; Regis sui iussu: ne-
que in alienam possessionem violēter irruunt. Etsi
enim nullo iure Hispani latissimas illas in Occide-
re tū Insulas tū Indicæ continētis prouincias, nisi
forte umbratili Pontificis donatione, cuius ea non
sunt, possidēt: ab illis tamen Galli, velut iusto titu-
lo possessis, non vim duntaxat, sed appulsū quoque
abstinent: & iam Hispanis visam quidem, nullis
tamen adhuc Hispanicis colonijs in seßam oram,
velut vacuam, occupant. Hīc Hispani nō conten-
ti vi ex ijs littoribus arcere Gallos, ut pedē in sua
inferētes: non in armatos tantū, in quos par peri-
culum & ardor certaminis irritat, sed imbellem
quoq; inermēnque in turbam pueros & fœminas
plus quam beluina sæuitia debacchati sunt. Et hoc
quidem per me occultum sepultūmque maneret,
nisi Hispani plura atque atrociora & pridem &
hodie in Belgio perpetrarent, quām qua apud In-
dos unquam edidere.

DE



DE GALLORVM EXPEDITIONE IN

Floridam, eiúsque miserabi-
li exitu, Breuis
Historia.

A quo primùm reperta & nuncupata sit Florida. Ioannis Pontij, Ferdin. Sotti & Hispanorum monachorum infelices in eam expeditiones.

C A P V T I.

V A M inclementer & parum hu-
manè Hispani victorias pacémque
aduersum Indos Occidentales ex-
ercuerint, superiores libri abundè
docuere: nunc verò etiam quomodo Gallos in
Florida acceperint, breui narratu exsequar.
Sed ante omnia quæ regio sit Florida, vbi sita,
à quo primùm reperta & tentata, exponen-
dum est.

N O N procul Hispaniola Boriquena insula
est, quam hodie S. Ioannis de Portu diuite
appellant. Eius primus occupator ac Guber-
nator Ioannes Pontius Legionensis, pro cer-
to habens fore ut ab Didaco Almirante &
prorege Indiæ, magni illius Christophori Co-
lumbi filio, æmulantium columnis accenso,

Floride
situs, &
quādo pri
mūm in-
uenta sit.

prouincia demoueretur , cedere iniicis staituit , & nouas sedes quærere. Itaque anno M. D. XII. celocibus duabus armatis, flexo in Septentriones cursu altum tenens , tamdiu nauigat, quoad aliquantum progrezzo Biminiæ insulæ se se aperuere: quæ ad Septentrionem Cubæ insulæ iacent.

Fons fabu-
loſus.

EO D E M tempore de prodigio quodam fonte fama increbuerat , cuius aquis e potis fenes, exuta canicie, in iuuētam reuirescerent: neque eam fabulam cupidiūs spārserant Indi, quām crediderant nostri. Eam famam sequutus Pontius, dū circa eas insulas , fontem illum fabulosum quærens , senescit potiūs quām repubescit, sex amplius menses irrito errore absimit. Tandem tamē diu vagatus nouam Indicæ continentis orā detegit, cāmque partem ad quam fortè ipso Resurrectionis die appulē-

Florida rat (quē vulgò Pascha floridum appellāt) velut nuncupatio. è re nata sumto nomine , Floridam ipse nuncupat. Id terræ prominens, lingue aut manicæ instar, se ingenti fronte in altum euehens, centum leucas in longitudinem , quinquaginta circiter in latitudinem patet. Eius extrellum cornu ab Æquinoctiali linea , Septentrionem versus, gradus xxv. distat: moxque extendi ac dilatari incipit, quā in medium inter aquilonem & exortum æquinoctiale regiōnem versa est.

Ex ea noua terra reperta ingentes sibi diuitias despondens Pontius , breui ad S. Ioannis insulam regressus , mox inde Hispaniam petit. Ibi à Rege Catholico expositis quæ inuenierat,

uenerat, nō magis meritorum respectu quām
amicorum gratia, Biminensem & Floriden-
sem præfecturam, Adelantadi titulo, obtinet.
His auctus, in Boriquenam reuertitur: co-
loniæque in suam prouinciam deducendæ
certus, milites scribit, classem comparat, mul-
tosq; in eas res sumtus facit. Sed vix in Floridæ ^{Pontius Flo-}
littus egressus, vrbis condendæ sedes quærebat ^{ridam in,}
quum Barbari classe conspecta accurrunt, ^{feliciter}
expediunt arcus & nimbo sagittarum Hispanos ^{tentat.}
obruunt. Pontius ipse in turba, venena-
ta sagitta grauiter ictus, prælio excedere coa-
ctus est. Inde Cubam auctus, paulo pòst ex
vulnere moritur. Neque ipse tantùm, sed
multi quoque Hispani qui eius auspicia ad
eam expeditionem sequuti fuerant, partim
Indorum telis confixi, partim morbis & mi-
seriis absunti sunt. Ita iam tum Florida in-
auspicatò tentata, inuentoris sui cæde nobil-
itata est.

Ex eo quum ob truces & bellicosos inco-
jas vulgò infesta atque infamis haberetur, per
diu intacta mansit. Donec tandem multis pòst
annis Ferdinandus Sottus trib. mil. Attabali-
bæ Peruani regis spoliis diues, & ex iam par- ^{Ferd. Sotus}
tis maiora concupiscens, eius prouinciæ subi-
gendæ administrandæque potestatem à Cæ-
fare petiit. Quæ impetrata, cum multis Hi-
spanis Floridam init: & omissa condendæ co-
loniæ cura, in mediterranea progreditur. In-
de incertis huc atq; illuc errans sedibus vexa-
re indigenas, & vni parandi auri curæ intètus,
metalli eius fodinas quærere passim institit.

Parem videlicet vbiique esse terrarum felicitatem, qualem in Peruana prouincia nactus erat, credens, aureos ibi montes opinionis errore finixerat. Ad extreimum, quum non tantum Barbaros omni tormentorum genere, sed semetipsum quoque & socios cæca auri cupidine & irrito labore totos quinque annos fatigasset, & suorum spem ipse, & eum vita destituit.

S E D ne tristi quidem Sotti exemplo ceteri à simili incepto deterriti sunt. Siquidem anno M.D.XLIII. Floridæ in ditionem redigentes. lib. 1. cap. 45. dæ multi decus petiere. In iis Julianus Samanus & Petrus Ahumada. Verùm neque Carolo Cæfari, qui tum in Germania erat, neque Philippo filio eius, qui præsens Hispaniam imperio regebat, ex Indi senatus consilio, mittere quemquam in eam prouinciam cum imperio placuit.

E R A N T tum fortè in Hispania Domini- cani qui feroce illas gentes verbis magis cicu randas, quàm malo & armis exasperandas esse dicarent, quíque se eas tum ad Christianam fidem, tum ad Cæfaris imperium accipiendum sola oratione adducturos profiterentur. Ne quæ id facilius dictum quàm creditum. Itaque anno M.D.XLIX. auspiciis & sumtibus Cæfaris mittuntur eò monachi F. Ludouicus Cancellus de Baluastro Dominicanus & quatuor eiusdem ordinis.

A P P E L L V N T, exeunt de naui F. Ludouicus cum collegis & nautæ aliquot inermes (neque enim doctrinam pacis præ se ferentes

arma

arma ostendere par erat.) Illis conspectis, protinus Indi non ad concionem, sed ad cœdem aduolant. Mulcere alloquio Barbaros conabantur concionabundus monachus: sed verba fiebant apud surdos. Ergo nequicquam vociferantem inuadunt, & cum duobus collegis trucidant: ceteri cum forte Confessorum laudem inter suos quam martyrij palmam apud Barbaros consequi mallent, proripiunt sese in fumgam & nauim repetunt.

Dominica
ni in Flor-
ida à Bar-
baris tra-
cidantur.

A T Barbari (sicut postea ex adolescentे quodam, Ferdinandi Sotti olim pedisequo, auditum est) in lætitiam atque epulas versi saginatis monachorum carnibus opiparè vescuntur, & detractas corporibus pelles, cutim etiā capitum in orbem attonsam, ferale tropæum, in delubro suo suspendunt.

H A E C igitur Florida est, de qua acturi sumus, inter ceteras Indiæ prouincias multis Hispanorum cladibus notissima: nūc verò etiam (vt ex sequenti Historia patebit) Gallorum.



V A E sequuntur, propè usque ad finem, ex breui Gallicè scripta Historia sumimus, cui præfixa epistola Nicolai cuiusdam Challusij Dievensis nomē præferti: qui è Florida regressus, suos & sociorum easus memoriae prodidit. Hunc ergo potius quam nos, quæ cum alijs viderit & perpetuis su, ut in Gallico illæ scriptæ, loquentem induximus.



Rex Galliae classem in Floridam mittit, cui Ioannē Ribaldū legatum præficit. Prospéra de Florida fama sparsa multos ad eam expeditionem inuitat. Apparatus clausus Diepæ fit. Multi metu in eptum deserunt. Retracti à fuga imponuntur in naues. Galli ab Anglis comiter accipiuntur.

C A P V T I I .

Rex Gal-
liae in Flo-
ridā classē
mittit.

VULVO ante ciuiles Galliae tumul-
tus, Rex ex Principum & consilij sui
sententia decreuerat in eam Indiæ
oram, quę Florida appellatur, nuper-
rim è Gallis animaduersam & cognitam, mul-
tarum nauium classem cum non spernēda ma-
nu mittere. Itaque composito primo ciuili
Galliae bello, pacēque regio Edicto sancita, in-
termissa eius incepti mētio reuocata est. Mox-
que in eius rei effectum Ioannes Ribaldus, vir
magni animi consiliique & longo rerum ma-
ritimarum vsu peritissimus, in aulam à Rege
accitus milites scribere, & septem naues vi ris
commeatib[us]que instruere regiis auspiciis iu-
betur, eique ipse classi, Legati regij titulo, pre-
ficitur. Mandatum disertè erat vt recto cursu in
Floridam nauigans, ab omnibus Hispanorum
litoribus atque insulis, quæcumque in ditione
Regis Hispaniæ essent, vim atque egressum
abstineret.

VULGATA protinus cius expeditionis
fama, multos vt illo Prætore & regiis auspi-
ciis

ciis ire vellent, & se ei classi adiungerent, per-
pulit: sed propriæ quemque causæ & varij af-
fectus trahebant. Alios cognoscendi orbis
cupido accendebat, à qua nemo vnquam in-
genuus abhorruit. quippe nauigationē pluri-
mam ad id studium conferre. Alij recenti à
bello adhuc calentes, nauigandi subire mole-
stias quām conflictari prioris vitæ fordibus &
ingrato labori malebant.

S E D in primis stimulabat omnes secun-
dus de Florida rumor per Galliam dispersus.
Ei videlicet terræ omnium rerum, quibus-
cumque vita carere non debeat, copia abun-
danti, mitissimam etiam, vitalis ac perennis
salubritatis, cæli temperiem esse concessam.
Quippe neque infesto rigore ac gelu Septen-
trionis premi, neque nimio solis æstu exuri:
sed salubri vtrimeque mixtura, iniussos etiam
agros sponte natis frugibus incolas alere.
Quòd si excolere etiam liberet, hominibus
tantum gnauis atque industriis opus esse, qui
natiam soli eius libertatem in humanos v-
sus labore & cultu elicerent. ita optimam ter-
rarum fore.

Ipsam ab Austro in Septentriones propè
pari cum Europa longitudine porrectam, la-
titudine etiam x x i i i. ferè gradus amplecti.
quimque solis percussa radiis plurimum ge-
nitalis caloris concipiat: eo tamen ita tempera-
to uti non tantum rore ac frigore noctur-
no, sed lætis quoque ac mollibus pluviis, vt è
pingui cespite magnam vim herbidi graminis

Fama de
Florida,
multa va-
na vetis
affingit.

mirandam in altitudinem crescentis sua sponte tellus effundat. Adhuc auri omniumque animalium diuitiae, spatiose planicies, aprici colles montesque clementer editi: mira anni fontiumque amoenitas, varietasq; arborum gummi nobile & odoriferos succos exsudantium, prospera fama passim celebrabantur.

Apparatus Gaillicus ex clasibus Diepæ fit. ERGO talibus pollicitis multi inuitati, plerique etiam auara ditescendi spe, diuersis è partibus Diepam confluebant. Eo loco lustrari multitudinem conuenientium atque inspici oportebat, ut ex omni numero, quos maximè ad eam expeditionem idoneos iudicasset, Regius legatus legeret. Segnius tamen quam pro nonnullorum studio tota res administrata & perfecta est: eorum maximè qui milites domi suæ exceperant, indignantium tam diu ignaos & immunes homines suis sumtibus ali, etiam spe pretij & splendidis promissis lactarentur.

QVATOR menses & amplius otiosè inambulantes in ea vrbe consumserunt: donec tandem fide data se Regi strenuā fidelēmque operam nauaturos, in verba legati iurauere: simūlque ut sacramento obligati fuerant, stipendum in sex menses accipiunt: cuius rei mox Prætorem ipsum pœnituit. Quippe in eunte Maio, Anno M.D. L x v. quinque naues confidētium numerum recognosci oporteret, multi eorum etiam qui stipendum acceperant, siue longitudine itineris, seu formidabili barbari elementi specie perterriti, mutato repente proposito, clanculum se subducunt. Ei

deser-

desertioni ut mature obuiā iteretur , ne latius exemplum serperet , conquisiti desertores atque à fuga retracti, seuerè eodem ipso momēto naues concendere iubentur. Id x.die Maij factum est: nos tantisperdum pecorum & farinæ commeatus in naues in salo stantes imponitur, in ea statione usque ad xxii. diem eiusdem mensis hæsimus. Multitudo eorum qui concenderant , in quibus aliquot cum familiis suis opifices , trecentorum numerum efficiebat.

Q uod ibi commodum & imperium Legati regij simūlque secundū ventū expectaremus, xxii. eius mensis venti repētē vehementes utrumque ingruunt. Inde inhorrescēs mare, & concitati ex alto fluctus iētūque contrario inter se horribilem in modum arietantes, nautas quoque ipsos turbauerant. Ergo trepidi & ancipiti malo attoniti nihil opis inuenire, nisi ut incisis ancoralibus , amissis ancoris, nos ventorum arbitrio permitterent. Vehemētissimus omnium Aparctias erat: is tanto impetu vela nostra ex alto percussit, ut protinus ad Portum-gratiæ vulgo *Hauræ-de gracie*, Normaniæ portus est) volantibus similes deferremur. Ibi triduum morati, quoad missus à nobis Dieppam myoparo , nuncia inde referret, ab ea statione xxvi. eius mensis soluimus.

Q uod rectâ in Floridam cursum corripere cogitaremus, aduerso protinus vento repulsi ad insulam, cui *V vich* nomen, Angliae ditionis, deferimur. Ibi Angli de nostræ

Expeditionis consilio cognoscere quum voluerent, postquam intellectu, se suaque nobis iuuandis benignè obtulerunt. Ibi à xxvii. eius mensis ad xxi. Junij quum naues in ancoris stetissent, ea ipsa die aspirante Aquilone secundo, sublatis velis rectum in Floridam cursum capeffimus, quam velut nouam Franciam appetebamus.

Totus duos menses Oceānum sulcauimus, priusquam Floridæ oram villam aut vicinam aliquam ei terram in conspectu habemus, præterquam Antiliarum vnam (quam indigenæ *Vacaionques*, Galli Magnam-lucasiām vocant: nostrūm aliquibus eam Catha-

Lucasia magna, v- rinam, Regis ipsius matris nomine, nuncuna ex Lu- pare placuit) Eam xxvii. gradibus ab Äquinoctiali circulo in Septentrionem distare ferunt. Ducentis etiam ab ea leucis in alto nauim quandam animaduertimus, sed ad aquam non propriis quam quinque aut sex millibus pass. accessimus.



Gallica classis in Floridam appellit. Floridenium cultus, mores, cibi, fruges, potus. Crocodili & alatae serpentes. Florid. religio..

CAP. III.

TANDEM

TANDEM X I I I . Augusti Floride littora nobis scese aperuere, mox igne, quod Indi nobis signum dabat, eminus conspecto, phaselum ad explorandum terræ accessum mittimus. Is fluum quendam exiguum speculatus, ostium ipsius inuehitur. Accurrentes ad littus aliquot Barbari nummos mercibus nostris permutant. Eam autem pecuniam sibi partam aiebant ex naui quadam quæ ab Antiliis reuertens carinam ibi vadis fixerat. Repertum quoque in eo littore Hispanum vnum, qui è naufragio ante viginti annos ibi factō euaserat, in nauim acceptimus. Mox sciscitati ex eo, ecquid de Gallis audiuisset & vbi sedes haberent, docemur: Nihil scire ipsum ea de re, nisi quod ab ipsis Barbaris didicisset: Gallos videlicet quinquaginta leucis Septentrione in propius quam quo appulissemus, confedisse.

Hispanus
naufragus
à Gallis
excipitur.

ERGO inde retro oram præteruecti (quæ nobis depressa, & solo arenoso arbusculis consista: leni etiam neque admodum profundo æstu, qui ab Occasu brumali adlabitur, inundare visa est) medio fermè cursu flumen detegimus, quem Maij fluum nostri antè nuncupauerant, vbi æstus quoque, ab Occasu solstitiali affuentes, modicè intumescunt: ac propter tenuitatem aquæ sidentes in vadis ancoræ facillimè conspici possunt. Sex quidem aut octo à littore millibus pass. non profundiorem quam sex aut septem vlnas aquæ altitudinem comperimus. In aliud præterea flumen nos incurrisse memini, inter Maium & Ayum

Maij flui-
tius.

fluuios, à Maio Septentrione in versus quatuor millibus pass. distans: ad cuius os singulis noctibus iactis in profundum anchoris, octo autem vlnas altitudinis arenamque interdum in fundo, nonnunquam calculosam terram, aliquando permixtum limo viginoso sabulum, reperiebamus. Fluuij quoque qui Delphini-
Delphino-
rum flu-
uius. rum dicitur, iacta bolide altitudinem explorantes, duarum vlnarum esse in aluei faucibus cognouimus: quamquam ibi aestus quatuor super cubitis intumescit.

P O S T hæc commodum aliquem egressum in ea ora speculati, x x v i i . Augusti in statione Maio flumini obiecta, quatuor à littore millibus pass. ancoras ad v i i . aquæ altitudinis vlnas iaciimus.

Carlinæ
castellum
Carol. ix.
nomine
nuncupa-
tum. Vigesima nona die eius mensis tribus minoribus nauigiis flumine aduerso subeuntes, rectâ ad Carlinæ Castellum tenuimus. Id propugnaculum nostri paulo antè, ut per-

fugio ac præsidio Gallis eò appulsis esset, extruxerant, satis commodo atque opportuno situ. quippe hinc alluente fluuio: ab altera parte vicina silua, campóq; inter siluam & munimentum interiecto, cui amoenus collis imminet, quem densa altaque gramina omni ex parte vesiunt. Semita tantum vna adibatur silua, vnius passus latitudine vix singulis peruvia: quam nostri aperuerant ut ad fontem qui in nemore erat, cominearent. Postquam ad eum locum peruenimus, Prætor noster exportari è nauibus cibaria ceterosque commeatut ad recreandum præsidium iubet, nosque opifices cum foeminis ac pueris eò concedere:

negotio

negotio dato nobilibus viris Vllio, Bellocario, & aliis ut nos eō educerent, quibus etiam rerum quas in impedimentis pretiosissimas habebat, custodiam commisit. Ceterū eos, qui in Castello erant non mediocri lætitia aduentus noster affecit. quippe anxious mæstosq;, quòd iamdiu nihil è Gallia audirent. Onerabat dolorem, quòd alimenta etiam defecerant, nisi fortè indigenarum, agrestium & barbarorum hominum, ritu viuere vellent: à quibus etiam nihil, nisi vi & rapto extorquere poterāt, sicuti suo loco fusiūs dicemus.

S I M V L A C nobis quies concessa est, indigenarum speciem contemplari cœpi, quæ mihi satis liberalis & humana visa est. Quippe Floriden-sium indi-genarū ha-bitus & cultus, viris rectus & quadratus corporis habitus: natiuus cutis colos in rubedinem vergit. Regullos esse illis & singulis præesse pagis accepi: corpus distinctum coloribus & maculis variis gerere, pro ornamento habent. Nullo vestitu, nec magis viri quam fœminæ, columnuntur: nisi quòd illæ peplo aut plagula ex Ciofi Ciof, ani-mal Flo-tid. alteriusve animalis pelle, quam nodus astringit, extremis fasciæ tæniis in sinistrum femur pendentibus, muliebria operiunt. Ceterū plena rotundavæ oris specie, nec simi neque chilones sunt: truces vigentesque oculi, promissa cæsaries, quam & concinnè circa caput colligunt: ita innexis comis, quoties bella invent, pharetræ illis vicem præbentibus. quippe ibi sagittas condunt, quibus mirum est, quam procul, quamque certo iectu, destinata feriant.

Floriden-
tū mores.

Quod ad mores attinet, fœdi & flagitosi sunt: liberos suos neque villa domestica erudiunt disciplina, nec coercent: nec rapere, nec pro suo ut quod rapuere, ipsis religio villa est. Attainen sua cuique vxor & seuera illic matrimonia sunt. Bella aduersus finitimas gentes, sed sermone diffonas, gerunt: tela illis præcipua, arcus & sagittæ. Domus ferè rotundæ ut columbaria nostratia, robustis impositæ arboribus & parv' narum foliis contextæ, nec vétos, nec tempestates metuunt. Infestis tamen vexatur culicibus, quos ipsi *Maringones* vocant: neque alia ope quam crebro igni, maximè sub cubilibus accenso, ab eiusmodi pestibus se liberant. Acriter ea infecta pungere referunt, & corporis partem morsu ab iis appetitam in lepræ speciem verti. Nihil ferè pretiosius aut elegantius ducunt, quam versicolores auium pennas: pretium etiam apud illos calculis, quos ex piscium ossibus faciunt, & rubris quibusdam ac viridibus lapillis.

Floriden-
tū fruges.

Cibi eorum, radices, fructus, herbæ & varij generis pisces. Pinguissimo pisce vtuntur, quem exenteratum fumo durant: patria lingua *Bauquaué* nominant: cuius exempto adipe pro butyro aut alio liquamine vtuntur. Frugum nostrarum nihil habent, sed Milij quoddam genus summa copia, quod in septenūm pedum altitudinem crescens, culmo arrundineo, granum pisii crassitudine, spicam seu paniculam pedali longitudine fundit, recentis ceræ colore. Cuiusmodi omnes fertur insularum, tum continentis Indiæ Occidentalis

dentalis indigenæ vtuntur, & vulgò *Maiz* vocant in Hispaniola: Brasilienses verò *Auati*. Quum eo vesici libet, primùm tritum in farinam soluunt, mox eo diluto mistóque *Migan* suum (vt ipsi vocant) informant: id oryzæ nostræ speciem refert. Protinus corrumpitur. Itaque quām recentissimum edi oportet. Siluestres labruscas magna copia ea tellus alit, quæ, vt multis Galliæ locis videre est, amplexu arborum innixæ sursum reptant: sed cultu mitescere, vinūnque reddere ab incolis non docentur, neque eius rei usum ipsi norunt. Potum ex multiplici herbarum succo, ipsi sibi moliuntur: *Cassinet* appellant: Ceruſiæ ferme colorem refert, ac ne mihi quidem ipsi bibenti admodum abhorrenti gustu visus est.

Labruscas
apud Floridenses.

Floriden-
sium poc-
tus.

REGIO mihi montosa ac siluosa visa est: inde ingens ferarum copia, quarum sauitiæ ipsi indigenæ, nisi acri custodia semet sepiant, obnoxios sape se esse memorant. Iam mira multa de animalibus quæ ibi esse auditu tantum accepi, consultò prætereo. Ea exequi satis habeo quæ mihi visu comperta, & quæ nunc memoriae prodantur, satis digna iudico. Crocodilos in primis plures vasto hiatu ex arenis prædam captantes vidimus: in iis mortuum unum, cuius caro tenera & candida, mihi sociisque vescientibus vitulinæ gustum referre visa est. Is tormentuli globo duas inter squamas adacto, cæsus fuerat: alioquin cute contra omnes ictus invicta.

Crocodili
Florid.

Ore vasto hic crat, maxillis horribilem in modum inuersis, pectinatim stipante se dentium serie: hiatu quidem adeo pateti, vt solidam iuueniam vorare posse videretur. Ceterum XII. aut XIII. pedes longus, breuiora crura quam pro cetera corporis proportione habebat, unguibus saeuis armatus: cauda longa valida, in qua praecipua eius vis roburque consistit. Nullam in eius ore lingaum animaduerti, nisi forte intra fauces lateret. Ore enim (vti dixi) ita prodigiosè distorto erat, vt superiorē maxillā inferioris loco positam haberet, fœdum planè ac terribile visu spectaculum.

Alata ser-
gens.

Floriden-
ses non
prospera
pietate a-
heni.

ALATAM quoque serpentem, à nostrorum uno interfectam, non procul nemore, vidi: alis, vt videbatur, catenus instructā vt tollī à terra posse, & demissè volitare videretur. Eius defectum caput Barbari summa cura abstulerunt: rationem scire non potui. Nostrū aliquibus opinio erat, id superstitione quadam à Barbaris fieri: neque quantum animaduertere mihi licuit, planè religionis expertes sunt. Immo, quemadmodum signis & argumentis quibusdam deprehendi eos non tantum ad ciuilem aliquam morum honestatem, sed etiam ad pietatem, si Dominus concederet, assuefieri posse existimo. Quippe simulacrae campano in castello signum ad preces datum audiuerant, exemplo in vicinum campum cōcurrentes, sublati, vt nos, in cælum manibus, attentionem aliquam ac reuerentiam præ se ferebant.

¶ Hispania



Hispanica classis ad Floridam appellit. Hispani Gallorum castellum de improviso adorti Gallos viros feminisque promiscue trucidant.

C A P. I I I I.

NT E R E A Prætor noster, iniuncti muneris haud immemor, propugnaculo muniendo intentus erat, ut incursionibus Barbarorum sustinendis par esset, si fortè in nos impetum facerent. Verùm vnde minimè metuebatur periculum atrox ingruit. Nam x i i i. Septembris, repente classi nostræ quinque Hispanæ naues superueniunt, Prætoria quadringentorum vt videbatur: scapha centum & quinquaginta doliorum capax: tribus dromonibus comitatæ. Ea classis ad eam ipsam stationem appellit, vbi quatuor nostræ naues in ancoris stabant, circiter horam nonam vespertinam. Noctu nostri in colloquium Hispanos euocant, petuntque quo animo quidve quærentes suis nauibus adeò propinqui steterint. Illi respondent se Gallis pro hostibus vti, mutuumque inter eos bellum satis supérque indictum esse. Nostri Hispanorum infesto perspecto animo, neque sibi satis ad resistendum virium, sublatis confessim dolonibus altum capeſſunt. Hispani fugientes passis & ipsi velis inseguuti, assiequi tamen nequiuere. Itaque Delphinarum fluminis ostium inueni, excensum ibi facere statuunt. Mox cum Barbaris (vt ex euentu

Hispana
classis in-
festa Gal-
lis perni-
ciem molli-
tur.

Gallica
classis His-
panicam
fugit.

Hispani apparuit) confociatis de pernicie nostra con-
cum Bar- siliis, occultos militum globos, quantum satis
baris de ad rem patrandam esse visum est, inde ab eo
Gallorum flumine emittunt. Sexcentos in armis fuisse
nece con- expeditos, à Barbaris postea accepimus.
filia so-
ciant.

P A V L O pōst, quum tres naues nostræ è
fuga collectæ ad stationem reuersæ essent,
(nam Pratoria, Trinitas ea vocabatur, paulo
longius in altum prouecta à reliquis discesserat) Ioannes Ribaldus Prætor, tribus illis
Hispanis vltro occurrere eisque aggredi sta-
tuit: postquam vtique ex Consilij sententia
instructam in alto classem ostendere hosti, vt
necessarium decreuit, & se toto Oceano de-
fendere, nisi nauium iacturam facere velle-
mus. Nostris enim militibus in terram expo-
sitis facillimum hosti erat, naues præsidio
vacuas, nullo impediente occupare & injecto
vnco abducere: quod sine graui nostro incō-
modo accidere non poterat. quippe supremo
erepto auxilio & sublata vnica ope, qua regem
Galliarum rerum nostrarum statu posseimus
certiorem facere.

I T A Q V E x. Septembris, hora tertia po-
meridiana, Prætor lustrato & recensito exer-
citū, lectisque non iis modò militibus quos
ipse nuper adduxerat, sed eorum quoque præ-
cipuis qui castellum præsidio antè obtine-
bāt: in iis nominatim, legato, signifero, & præ-
fecto-ordinum Laudunerij tribuni mil. om-
nesque ad strenuam Regi operam nauandam
cohortatus, simul nauim concedit. Is tribu-
nus tuus quod iam diu nullū è Gallia nuncium
acci-

acciperet, tum in summa commeatus angustia
tædio victus, paulo ante aduentum nostrum
inde excedere & reuerti cogitabat: parum in-
terim sollicitus, nequid Barbaris iniuriæ à suis
inferretur, quo eorum animi à Gallis aliena-
rentur. Itaque illi tolerante ipso, vulgo indige-
nas vexare, & vi captos in castellum trahere:
miliū, ceterasque eorum fortunas agere ac
ferrc. denique omnia facere quæ necessitas im-
patiens legum iubebat. Quibus ex rebus in-
gens breui Barbarorum odium in nostros con-
flatum est. Ergo (vt coniicere ex euentu est)
stimulante partim insita humanis ingeniis vl-
ciscendi cupidine, partim protegendi corpo-
ris appetitu, omni animantium generi à na-
tura tributo, perniciem nobis clam struere
& occulta cum Hispano consilia inire inci-
piunt.

V N D E C I M A die Septemb. circiter octa-
uam horam matutinam, quum iam nostræ
naues haud procul Hispanis abessent, vehe-
mens repente turbo exoritur, effuso imbre
mistus, cum ingenti fragore cæli tonitribus-
que & fulguribus præstingentibus aciem o-
culorum, vt penè ipsum cælum continuo
incendio ardere videretur. Turbatæ vtrin-
que classes diuersæ abiere: tres nostræ naues
demissis antennis procellæ vijn declinare, Hi-
spana Prætoria & scapha ventum sequi coactæ
sunt. ea tempestas vsque ad xxiii. Septembris
diem tenuit. Interea Hispani in terram egressi
satis otij ad nostra exploranda habuere, eaque
cōparanda, quibus nos per dolū opprimerent,

Galli Bar-
barorum
animos ab
se alienat.

Tempes-
tas Hispa-
nicæ &
Gallicæ
classis coa-
cursum di-
mit.

Neque eos fallebat, nos præcipue classe polle-re, eoque vires abductas ceteram multitudinem in castello relictam, imbellem numerum, partim ægrotis, nondum ex iactatione maritima recreatis, partim opificibus, fœminis ac pueris constare. Ducenta fermè & quadraginta capita ibi erant, Laudunerij trib. mil. fidei ac tutelæ commissa: militare robur in nauibus: neque is, casus eius qui superuenit securus, vim vllam hostilem ab terra metuebat.

A T Hispanus incredibili celeritate, siluas,

Hispani
Gallos de
improuiso
oppresos
fœdè iugu-
lant. stagna, & flumina transgrsseus, ducibus Bar-
baris. x x. die Septembris improuisus aduenit,
& paulo ante Solis exortum, pluuioso admo-
dum tempore, Castellum nullo resistente in-

greditur. Plerique vigilum solutis manè excubiis, ad reficienda quiete corpora fœda totius noctis tempestate vexata, dilapsi erant. Hispani portula aperta irrumpentes, sopitos vigiles in cubilibus suis obtruncant: fœda inde trucidatio in castello fit: viri ac mulieres, ægroti & valentes, senes ac pueri promiscua cæde iugulantur. Quis immania eius diei facinora, quis stragem huic parem aut animo assequi queat, aut oratione complecti? At nostri interea tam en in tantis angustiis nō se deserere: qui maximè impigri erant, è stratis inter tumultum elapsi celeri fuga se in nauigia ad fluminis ripam religata proripiunt, quorum Prætor Iacobus Ribaldo, nauis vnius Præfecto (cui Per-la nomen erat) & Ludouico Ballardō legato eius, custodiam commiserat. Alij repentino casu oppressi, vallum transiliunt: in iis

Laudu-

Laudunerius trib. mil. cum domestica ancilla illac erupit.

I P S E, vix è tugurio egressus, quum ad opus diurnum fabrile scalprum gerens proficisci-
rer, in hostes incido: ac quum neque vlla nisi in fuga spes, neque vllum effugium nisi per vallū pateret, & iamiam tergo meo duo Hi-
spani cum hasta & sarissa hærerent: ibi repen-
tē, qua vi nescio, hauddubiè quidem diuini-
tus, geminatis in senili hoc meo & effœto cor-
pore viribus, vallum nouem ferè pedes altum,
quod ægrè aliâs per otium reptando ascen-
dere & sensim transgredi potuisse, expedito
saltu supero, & in siluam accelero. Ab ea quum
non longius abesse viderer, quām quantum
telo adigi potest, respiciens & in castellum
oculos retorquens, paulisper etiam in colle
substiti, idque eo fidentius quòd nemo mihi
fugienti instaret. Ab eo loco facili in totum ^{Hispanicæ}
^{sæuitiæ ex}
^{emplûhor}
^{ribile.}
Castellum & inferiùs adeò hypæthrum pro-
spectu, sequentes Hispanos, & horribilem no-
strorum lanienam video, triâque iam hostium
vexilla munimentis imposita. Quamobrem
omni de nostris spe amissâ, collectis coniectis
que in vnum Dominum sensibus, meam falu-
tem eius gratiæ commendans, in siluam me
proripio. Quippe nihilo immaniores feras ex-
periri posse videbar, quām hostes quorū plus
quam beluinam sæuitiam in nostros exundan-
tem confpexeram.

C E T E R V M horribiles illæ angustiæ, in
quas coniectus nullam circâ spem neque viam
salutis in terris cernebam, nisi Dominus

Errates in singulari quadam ope, & preter omnem opem
 solitudine, clamat ad Domini num: & de angustiis eorum erit
 pit eos. P̄sal. 107. singultu ac gemitu interruptos, ad Dominum
 edere: O D E V S patrum nostrorum, Deus
 misericors, qui te ex ipsis inferorum fauibus
 & media mortis abyssō inuocari à nobis iussi-
 sti, téque nobis laborantibus certò adfuturun
 es pollicitus: quæso vt pro ea spe ac fiducia
 quam in te reposui, viam mihi aliquam osten-
 das, qua exitum tot malis, atque huic infelici
 meæ senectuti, in profundos dolorum gurgi-
 tes demersę, finem tandem inueniam. Saltem
 hoc vnum concedito, ne hinc ex ferarum ra-
 bie, illinc ex hostium tuorum nostrorumunque
 sauitia conceptus pauor, omnem ex animo
 meo fidem & certam de promissis tuis persua-
 sionem excutiat. Illi nos magis propter sacro-
 sanctum tuum nomen, quod inuocatum est
 super nos, quam ullam aliam ob rem oderunt,
 Domine. Fer opem mihi Domine, fer opem:
 nam me tot vndique circumuallant mala, vt
 emergere nequeam.

D V M hæc mecum anxius agito, inuium in-
 terea saltum densisque inter proceras arbores
 virgultis ac spinis, veluti perpetua sepe obie-
 cta, cōtextum penetrans: vix semihoræ spatio
 processerā, quum ecce repētē è proximo stre-
 pitus hominū lugubri eiulatu planctuque per-
 mixtus, ad aures meas peruenit. Ego, Dei auxi-
 lio fretus, progredior ac circūspectās, primū
 vnum è nostris nobilem, cui Blōderio noimen-
 erat.

erat, reperio: neq; lōgo ab eo interuallo alium, quem D. Robertum vocabant, nobis omnibus facile notum, quòd ei precum in castello concipiēdarum cura commissa esset. Mox etiam in Vllij nobilis viri pedisequū, D. Belli nepotem, Jacobū Tusæum, & multos alias vno aginice, incidimus. Ibi collecti & cōmunicem miseriam deflentes, quid factō opus esset vt saluti consuleremus, vnā deliberamus. Tū nostrūm vnuſ, quem vulgō omnes in Sacrarum literarū lectione plurimū versatum atq; exercitatum iudicabant, hunc ferè in modum disseruit:

EXTREMVM hoc miseriarum est, Fratres:
 quocumque conuertimus oculos, nihil præter immānem barbariem cernimus: cælum, terra, mare, siluæ, homines, omnia nobis aduersa atque infesta sunt. Iuuat tamē humānam misericordiā experiri. Ecquid scimus num fortè Hispanus, si nos eius fidei ac clementiæ permittimus, deditis ac supplicibus parcat? Interficiat nos: breuis in morte dolor, harum etiam calamitatū fine afferet. Homines sunt: neq; extra spē est, quin furore placato nos in ditionem accipiāt. Nam quæ alia salutis via aut ratio nobis supereft? Nō præstat subire manus hominū quam aut hīc lacerari ferarū vnguibus aut miseria fame tabescere? Ille ita loquutus est: & maior pars, consiliū approbans, in eam sententiā ibat: me fruſtrā diſſuadente, & cruentas adhuc ab recenti victoria hostiū manus subiicieſte. Neque verò eos propter cōmunes regū ac populorum discordias, aut humana certamina, tam impotēti rabie ſeuifſe: sed ob id maximē

Hispani
ob religio-
nem pios
Gallos o-
derunt.

quòd intellexerint nos ex eorum numero esse qui Euangeliō nomen dederint. Non pudere nos in homines potius quām in Deum coniūcere oculos ? qui saeum vitam vel in media morte incolunem præstat , iisque ferè , quoties terrena subsidia deficiunt , & humanæ spei locus nullus est , salutarem manum è cœlis prorigit. Simul in eam sententiam petita è Scripturis exempla adferebam , Iosephi , Danielis , Eliæ , & aliorum Prophetarum : Apostolorum etiam , in iis Petri & Pauli , qui extraordinariis , & humanæ rationi incognitis modis , periculis erepti sunt. An breuior aut

Esa.50.1. imbecillior nunc , est (aiebam) Dei manus
 " quām olim fuit ? Non meminimus exitus
 " Israëlitarum ex Ægypto , quum à Pharaone
 " fugerent ? Quæ spes erat populo , vt tam po-
 " tentis tyranni manus effugeret ? ipse à tergo
 " fugientium vestigiis hærens : mare à fronte ,
 " vtrumque latus prærupti montes cludebant.
 " Itaque qui tum īare diuidens , quibus nullæ
 " ad resistendum vires , ac ne effugium quidem
 " patebat , hinc à fronte , hinc ab tergo inclu-
 " sis , iis per medios fluctus nouum iter ape-
 " ruit , non potest idem per inuios ignotæ
 " huius terræ saltus nos in tutum locum de-
 " ducere ?

*Eorū qui
hominum
fidei quā
Dei proui-
dentia se
credere
malunt ,
tristis exi-
tus.* H A E C & talia quamuis dicerem , sex ta-
 men ex omni numero minimè assensi , dese-
 runt nos , ac sperantes se aliquid gratiæ apud
 hostes inventuros , ad eos se conferunt. Verū
 mox tristi experientia didicere , quām parum
 prudenter sibi consulant , qui plus fidei in ho-
 minibus

minibus quām in Dei promissis ponunt. Vix enim silua egressi per cliuum ad castellum descendebant: quin ab circumfusis protinus Hispanis capti, ceterorum exemplo iugulati sunt, & ad ripam fluminis tracti, vbi cumulatæ corporum strues iacebant, eorum quos in Castello Hispánicus furor absumperat.



Hispani Gallis qui in nauibus erant deditio[n]is leges ferunt.
Galli deditio[n]em aspernantur. Hispani in
mortuos se uiunt.

C A P. X.

SINGULAR E sacuitiæ exemplum hoc loco non prætermittam: Iacobus Ribaldus Perlæ præfectus, (nauigij id nomen erat) nauis in ancoris, centum fermè à cruento illo spoliario pas- Hispani
sibus, habebat, multosque è carnificina elapsos quos insi-
exceperat. Hispani egregia de inermibus vi- diis exci-
etoria inflati, & reliquum Gallorum sangu- pere non
nem haurire cūpientes, Castelli tormenta in potuerūt,
naues & lenunculos dirigunt, sed tum pluuioso verbis pel
tempore, tum non satis paratis machinis, licere co-
effectum est, ut sine vlo nostrorum vulne-
re, omnes eorum conatus in irritum cade-
rent. Itaque tubicinem ad nauis mittunt, qui nostros ad deditio[n]em compelleret. Verum
vbi his parum moueri Gallos intelligunt, le-
gatum vnum è suis remittunt, qui Dom-Petri
de Maluendo, huius cohortis Præfecti auto-

ritatem præferens, cum illis de pace his conditionibus ageret: vt traditis maioris formæ nauibus, ipsi cū suis rebus atque impedimentis, scaphis & lenunculis ad ceteram classem euaderent, quæ in salo ad ostium fluminis stabant, à Castello quatuor millibus pass. distans.

Galli cor-
date omne
no compo-
sitionem
aspernau-
ter. A d hoc postulatum nostri respondent:
cū Hispa- Nullum sibi cum ipsis bellum esse, quod pace
no compo- aut deditio finiri opus fit. Se sextum ante
sitionem mensem eam nauigationem Regio mandatu-

ingressos: ac tantum abesse ut eam hostili in quemquam animo, aut prædandi consilio susceperint, vt disertè tum ab Rege suo, tum ab ipsis Almirâtc, seu Archithalasso, vetitum sit ne in vlla Hispanorum littora exscensionem facerent: immò, quominus illis iustum offensionis causam præberent, ne propriis Hispanicæ ditionis oras naueis appellerent. Nos
verò (inquit) hoc Regis mandatum sanctè
atque inviolatè seruauimus: ac ne id quidem
vobis relictum est, vt cædem hanc nostrorum
hominum, quos contra omnia belli iura truci-
cidastis, nostro vlo merito aut culpa accidisse
causemini. Itaque nil mirum est, si vos ciuii rei
aliquando pœniteat. De cetero, quas petitis
naues vita potius nostra quam iis vos potitu-
ros scitote: ac si vis adfertur, nos arma & cor-
pora & quidquid à Deo accepimus, opposi-
turos.

HISPANVS recuersus, Gallos verbis nihil
flecti renunciat, immò animos atque arma
expedire ad certamen. Tum furiosa illa co-
hors omne in cæforum corpora iram effun-
dere,

dere, eaque procul nostris qui in nauibus erat, Hispani in ostendere: ut eorum pectora sauciarent, quo rum corpora laniare, ut vellent, non poterant. Nam mortuorum exscupentes oculos, & pugionum mucronibus praefixos gestantes, amaro cum risu atque ululatu in Gallos, quod illis oculi dolerent, versus aquam torquebant.



Galli aliquot ex Hispanorum manibus elapsi, ægrè ad mare perueniunt. In aliquos è sociis incident.

AM, vt ad nos qui in silua manseramus redeam, cum porro ire & ignotum transgredi iter pergeremus, ad mare, quantum anticipi æstimatione augurabamur, tendentes: tandem, Deo gressus nostros dirigente, in montis cuiusdam iugum Galli Hispanorum manus et locuti, cum locorum difficultatis certitudinibus certi, adhuc viæ, & difficillimæ quide[m] supererat. Mons, quam descendendum erat, arduus, adeoque præruptus & præceps, ut stabilis gradus ullo loco insistendi minimè spes esset: ita tantum rectis saxis, ut ægrè nemo, nec nisi tentabundus manib[us]que retinens virgulta ac stirpes circa eminentes, demittere sese posset. Ergo modò saluti consuleremus, manibus non parcimus, quamquam iam laceras stirpium surculis ac spinis cruraque & totum corpus fœde cruentatum habereimus.

N O B I S tandem ægrè è monte demissis, inueriectum nemus, impositum colli maris, conspectum abstulit, quo per ingentem planiciem præalto limo atque vligine informem, palustrique vlua, calamis, & inusitato quodam caricum genere consitam, perueniendum erat. quippe earum herbarum caulis duritie ligni, folia etiam præacuta crura nobis & pedes ita incidebant, vt sanguinem elicerent. Nos interea in aqua pube tenus, continuis etiam imbrisbus adeo perfundebamus, vt hinc paludibus illinc nimbis obruti, perpetuo quodam diluvio demersi videreimur: & quò longius procedereimus, eò altiores aquarum voragini occurrabant.

I T A Q V E , quum extremum tempus vitæ nobis tum adesse crederemus, vltimo cōplexu inter nos dato, collacrymantes suum quis-

Galli ad que & sociorum casum, multis cum suspiriis
Deum in perditis rebus con fugiunt. & lacrymis clamare ad Dominum cœpimus, & cum serio peccatorum sensu iusta eius in-

nos iudicia pœnâsque agnoscentes, mœstas eiuscmodi voces supremos inter gemitus fundere: H E V Domine, ecquid in vilibus hisce
 vermiculis conterendis, dexteram tuam fatigas? animæ nostræ ingenti dolorum æstu re-
 torridæ, toties experta clemëtia tua fretæ, in si-
 num tuum semet reiiciunt. O Pater misericors,
 libera nos ab his angustiis mortis: aut si ad su-
 prema ventum est, & in hac solitudine nos
 interire iubes, ne patiaris usque adeo sensas
 nostros mortis horrore constringi, vt gratiæ
 tuæ oblii, cuius tot documenta propter

Chri-

Christum Filium tuum nobis dedisti , locum «
demus Satanæ , diffidentiæ ac desperationis «
spiritui. Nam seu moriamur , nos tibi velle mo «
ri , coram Maiestate tua hic testamur : seu viua- «
mus , non ob aliud victuros , nisi ut miracula «
tua in medio Ecclesiæ & cœtu seruorum tuo- «
rum enarremus. «

H i s precibus conceptis , ægrè ad nemus contendimus. Sed prius traiiciendus erat ingens amnis , ea prata interfluens : cuius alueus latitudine quidem modica , sed immensa altitudine , trâsiri posse vado spem ademerat: præsertim quum procliui ad mare campo , præcipida celeritate aquas euolueret. Hinc nobis Deus per inuia piis rursus noua laborum facies : neino nostrum viam facit committere se præcipiti alueo & natatu perclitari audebat. In tanta rerum difficultate hæsitantibus , venit mihi in mentem relicta nobis ab tergo silua : itaque socios ad tolerantiam & bonam spem cohortatus eò reuertor , & longum ramum fabrili illo scalpro cum quo deprehensus fueram , amputo. Mox ad nostros regressus qui me anxiè exspectabant , Agedum (inquam) fratres: experiamur an huius longurij ope Deus ad perficiendum iter nos adiuuet. Simul longurium à terra in amnem porrigimus: quumque non plures uno traiici possent , cui primo obtigit , is ligno insidens aquam ingreditur : nos tamdiu perticæ alterum caput retinuimus , quoad ferè ad medium alueum enasset : tum ne secunda aqua deferretur , vi in alteram ripam impellimus. Ibi extantiu m cannarum aliarumque herbarum adminiculo

in terram euadit. Ita primis ad eum modum expositis, alij deinde repetiti & singuli traiecti sunt: neque id tamen sine ingenti periculo. Quippe & multum falsæ aquæ bibimus, & labore ita debilitati sumus ut propè semianimes in ulteriore ripam euaderemus.

T A N D E M collectis animis progredimur, & ad vicinam illam mari siluam à nobis notatam, quoad eius fieri poterat, vestigia dirigimus. Quumque aliud par priori flumen obiectum esset, eiusdem perticæ ope, haud minore quam illud alterum negotio ac periculo, tandem tamen Deo bene inuante, superauimus. Sub vesperam siluam inimus: ibi quum nox oppressisset, ingenti cum pauore applicati arborum truncis & stantes, pernoctauimus. Neque nobis, quamquam summa continuati laboris fatigatione affectis, somni vlla cupido. nam quæ animis inter tam ancipites metus, & omnia circè horroris plena, quies esse poterat? itaque ea nox perpetuis vigiliis nobis extrahitur: ac primo etiam fermè diluculo feram quandam, quinquaginta circiter passuum à nobis interuallo prætereuntem, cerui magnitudine, conspicimus: cui enorme caput, scintillantes & stantes oculi, aures promissæ erant, posterioribus partibus, velut tubere quodam eminentibus. Eam velut prodigium quoddam exhorruimus, maximè ob radiantes & enormiter grandes oculos: quamquam ad nocendum propriùs non accesserit.

Feras ne
noceant
piis, cohi-
bet Domi-
nus.

ORTA luce egressi è silua, mare rursum prospicimus, quò secundum Dēi opem, ve-
lūt ad vnicum vitæ subsidium, contendebam-
mus. Sed nouæ de integro interueniunt mo-
lestiæ. Quippe rursum in limum & paludes
demersi, kannis & vlua constratas, neque priorib-
us illis absimiles, quum non aliud com-
modius ostenderetur iter, fessa illac membra
trahimus.

IN T E R hæc haud procul via quâ transi-
turi eramus, repente hominum agmen ap-
paruit, quos quum primò hostes esse suspica-
remur, qui ad intercludendam nobis fugam
ex transuerso incurrerent: postquam ex pro-
pinquo trepidos ac nudos, pari ac nos habitu
conspicati sumus, facile è nostrorum reliquiis
aliquos esse cognouimus. Ij verò erant Lau-
dunerius trib. mil. ministra eius domestica,
Iacobus Morguesius Dieensis, Franciscus
Vallius Rothomagensis, Hospiis coronæ fer-
reæ Rothomag. filius, Nicasius Crottensis, Ni-
colaus Minutarius, Ludunerij trib. tubicen,
& alij præterea aliquot, viginti sex omnino
homines.

Vix præ fletu usurpata consalutatione, &
deliberantibus quid facto opus esset, duo è
nostris in præaltam arborem connisi, vnum
è minoribus nauigiis nostris aspiciunt, cui
Mallardus præfectus præerat: cique mox si-
gno è sublimi edito, nos ipsius auxilio egere
admonent. Is minorem scapham ad nos mit-
tit: sed priusquam ad littus perueniremus,

carecta rursum & duo fluuij iis pares quos ea ipsa die & superiore traieceramus, nobis superandi erant. Ad eam rem plurimum longius ille quem nuper exscideram, & duæ præterea perticæ à Laudunerij comitibus prouisæ, vñsi fuere.

S E D quum iam propè ad scapham euasissimus, inedia & labore resoluti, posteaquam linquente animo vires ad connitendum vltra non sufficerent, propè exanimes collapsi sumus. Ac nisi nautæ, qui nobis tum non vulgarem humanitatem præstiterunt, auxilium ferre manitas. properassent, eo loo exanimati essemus. Illi nos exceptos ordine in scapham portarunt, atque inde ad nauim, vbi humanissimè accepti sumus. Mox quum panem & aquam nobis apposuissent, sumto cibo vires animosque paulatim reparare cœpimus: perspicuo erga nos diuinæ bonitatis, & acceptæ ab eo salutis, arguento, qui nos tot præsentibus periculis & mortibus præter spem liberasset, vt ei immortales gratias ageremus. Ergo miraculis Dei enarrandis & mutuis inuicem consolationibus perpetem eam noctem traducimus.



¶ *E Gallica classe duæ naues Galliam repetunt. Hispanicas nauim in fugam vertunt. Ad Rupelle portum appellant*

Nautarū
in miseros
Gallos hu-
manitas.

Gratiarum
actio.

Vt primùm lux redditā est, Iacobus Ribaldus, Perlę nauis præfектus, proximè nos ad nauigans, quid factu optimum esset quæue ratio iniri posset ad reliquias nostrorum hominum nauisque seruandas, nobiscum deliberat. Ibi tum quantis commeatuum angustiis laboraremus, quām debilitatæ vires essent, arma & tela nostra ab hostibus capta: insuper de Prætoris nostri statu incertitudo, in medium adferuntur, quem vtrum naue alicubi vadis illisa periisset, an tempestate procul abreptus erraret, incertum esse. Itaque nihil potius esse decernimus quām primo quoque tempore in Galliam veila facere. Atque hæc quidem fuit primorum sententia, vt qui è laniena euaserant, bipertito diuisi, pars in naue, cui Perlæ nomen erat, manerent: alij sub imperium Mallardi præfecti concederent.

I T A Q Y E re non iam vltrà cunctationem recipiente, x x v. die Septembris, vento Septentriōne vehementi ab ea ora profecti, cele riter conspectu terræ ablati sumus: móxque in alto alij ab aliis disiecti, vt nunquam inde postea nostræ naues in eo cursu mutuum in conspectum venerint. Quingentas inde leucas satis prospero cursu emensi tandem mane quodam sub ortum solis Hispanam nauim, quæ. repente ex alto in nos inuecta erat, ita strenuè repulimus, ac tormentorum fulminibus obruimus, vt manantem sanguine alucuin per columbaria pérque latera nauis cernemus. Iamque nobis ab hoste de victoria pro-

Gallorum
pars in
Galliam &
Florida re
portatur.

Hispanica
nauis à
Gallica
vincitur.

palam concessum erat : vehementius tamen
concitato mari propius congredi , & nauim
Hispanam ferrea manu iniecta abstrahere,
non potuimus. hoc vnum ad plenam victo-
riam inobis defuit. Quum enim ex eo concursu
nauium magnum sequi incommodum necesse
esset, ac periculum, ne allisa nauigia mutuo at-
tritu demergerentur: sicut ipsi libenter eo dis-
crimine defuncti prælio abiititerunt: ita nos ab
iis abstinuimus, & quod nemo nostrum ex eo
certamine vulnerc iictus , aut cæsus occubuis-
set, præter focarium nostrum, Deo læti gratias
egimus.

R E L I Q V Y M deinceps iter pacatum &
sine vlo hostium incursu træsegimus: iniquio-
ribus tantum ventis subinde conflictati , qui
nauim nostram sæpe in littora Hispaniæ eie-
cturos minati sunt. quod vnum, veluti calamita-
tum nostrarum cumulum , exhorrebamus.
In vndis præterea quidquid malorum tolera-
ri potest, inopiam, frigus, famem, pertulimus.

Gallorum ex Florida redeuntiū angustiæ. Quippe nobis, qui erepti carnificinæ è Florida
redibamus, pro omni tegmine noctu atque
interdiu nihil præter simplex indusum aut la-
cera quædam pannicularia (miserum aduer-
sus frigora & ceteras aëris iniurias præsidium)
velando corpori supererat. Panis quam parcif-
simè dabatur nobis, isque situ corruptus ac
mucidus. Aquæ etiam, quamquam fœtidæ, non
ad satietatem, sed in diem cyathum duntaxat
vnum, & quideam exiguum, bibebamus. Ex
hac tamen insalubri vietus ratione, multi è no-
stris, vbi terram attigissent, periculosis mor-
bis

bis impliciti, plerique etiam extinti sunt.

T A N D E M mœstam hanc nostram & laboriosam nauigationem, latus, vt in malis, exceptit exitus. Quum enim ad Rupellæ littus ap-
pulismus, ab eius oræ accolis & ipsius adeò Rupella:
urbis ciuibus perbenignè & humanissimè ex- norum in
cepti fuimus: multa in nos ab illis publicè ac miseros
priuatim hospitaliter facta, munificèque adeo benigui-
collatæ opes, vt quæ in suam cuique redeunti tas.
patriam necessaria erant, nemini nostrum decessent.



¶ *Io. Ribaldus Prætor Hispanicam classem querens, naufragium facit. Galli fame & miseriis conflictantur. Tandem ab Hispanis in ditionem accepti fæde trucidantur.*

C A P V T V I I I .

NVNC eorum quæ de Ioanne Ribaldo superiùs retulimus, redire in memoriam oportet. Is, vti antè dictum est, cum lecto militum nostrorum robore, obuiam Hispanis ad certamen egrefsus: eos quidem, quinque dies per altum quæsisset, non reperit. Sed Prætoriam suam nauim (Trinitatem vocabant) quæ à cetera classe aberrauerat, forte nactus: omnium ignarus quæ in Castello nobis acciderant, totius ore appulsu prohibere Hispanos constituit. Prætoriam consendit, vt facilius inde, ex natalis disciplinæ more, omnes Prætoris edicta & iussa acciperent.

INTEREA aduersam per se tempestatem
quum saepe ventus cœpisset, continui etiam
imbris fœdabant. Quinto die vento vis addi-
ta: geminatur tempeſtas: neque vlla ope im-
pediri potuit, quominus terræ illatæ naues ca-
rinas vadis figerent. Quinquaginta fermè leu-
cis suprà Maium flumen ad oram euecti, fra-
etis nauibus, & commeatu amissio, incolumes
tamen ipsi euaserunt. Vnus tantum Grangius
trib. mil. fracto nauis malo infidens, fluctibus
haustus est: cuius magnum meritò desiderium
fuit. Erat in eo homine non summa tantum
ingenij consiliq; præstantia, sed mirifica etiam
in familiari congresu comitas ac dexteritas,
qua ceteros ad virtutum suarum imitationem
alliceret.

CETERVM nostros ægrè emersos vndis
omni tempeſtate truculentior excipit fames:
neque ad eam fedandam, quidquam opis, o-
naufragorum anguſtia. supererat: nisi quæ terra vltò
præberet, herbarum videlicet, radicūmque o-
mne genus, mandere conarentur. Quumque
alia alimenta deficerent, ea necesse erat vbiq;
rimari quæ latranti stomacho obiicerent. Ne-
que tātum fames, sed sitis quoque miseros fa-
tigabat, cui pellendæ nihil præter veteres ci-
sternas & putres lacunas aderat, ex quibus fœ-
dam adeò & turbidam cœno aquam haurie-
bant, vt vel solus spinæ eius conspectus etiam
valentissimis nauseam & ægritudinem cieret.
Attamen indomita famis sitisque rabies om-
nia, quamuis spurca & insalubria, ingerere in
ventrem subigebat: totos octo dies tam mife-
ro-

Gallicæ
classis nau-
fragium.

ro victu extrahunt.

No n o demum die exiguam fortè sca-pham reperiunt : lætum id inter mala: eius ope sperant se sociis qui in castello erant naufragium suum significaturos. Quippe ab eo, terrestri itinere , duodecim leucarum interuallo eberant, maritimo quinquaginta. Ad hæc interiectum flumen Delphinorum , quatuor in latitudinem stadia diffusum , profundo alueo & nusquam vada aperiente, non nisi nauigio transmitti poterat. Itaque excepta lètè ea sca-pha linteas suas tunicas seu indusia concerpta, stupæ vice, rimis explendis infulciunt, & commissuras eius ferruminant.

T v M Ioannes Ribaldus Prætor pro solita comitate & modestia , multos eorum quorum consilio vtebatur , conuocatos , in eam fermè “ sententiam alloquitur: Hv M A N A M patientiam ô socij , miserię nostræ vicerunt : neque “ in tantis ærumnis vita tolerari diutius potest. “ Et multò quidem optabilius esset morte semel defungi , quām tam perditio rerum statu centies mori verius quām viuere, nisi fides vertaret prouidentiæ Dei diffidere , cuius vel in extremis rebus auxilium sperandum atque expectandum est. Interea tamen, quod nostrorum partium est , versanda nobis sunt sedulò omnia, siquem fortè industria animi & labore inueniamus malorum exitum. Itaque à nobis aliquos scapha ad castellum mittendos cē-seo, qui nostris deploratū rerū nostrarū statum renuncient, & auxiliū petant. Ac protinus magnam vim lacrymarum profundens , positis

Ribaldi
ad socios
oratio.

humigenibus, preces ad Deum ordituri. Quibus peractis, quem potissimum huic obeundæ legationi deligerent, circumspicunt. Thomas Vassor Diepensis ad eam rem maximè indecus visus: ei negotium dat Ribaldus ut quamcelerrimè possit sociis quām misero statu sint significet. Ei se comites adiunxere Vincentius Simon, Michael Gouor, & alij usque ad decem & sex.

NO S T R I, qui (ut paulo antè dictum est) trans flumē erant, eadem die in ulteriore parte Castellum versus cohortem armatorum, expasso vexillo incedere prospiciunt. Postquam coniecturis, quantæcumque ex tanto interuallo capi potuerunt, Hispanos esse innotuit: nostri, qui in tantis rerum angustiis hoc sibi supremum perfugium superesse crederent, nonnullos è suis ad hostem mittunt, qui cum eo de ditione & vita paciscantur. Legati Galli primò satis humaniter ab Hispano excepti sunt.

HI S P A N A E illius cohortis prefectus (Vallemandum vulgo appellabant) viri nobilis, equitis & Christiani fide suam in Gallos benevolentiam affirmans: & eum Hispano viatori solidia in mitem semper morem fuisse testatus, ut supplici hosti, Gallo præsertim, clementer consuleret: neque se ab eo instituto discedere velle, aut quidquam grauius in eos statuere, quod postea in mutua utriusque gentis inter se odia & publicas clades erumperet: omnes liberaliter palam per interpretem affatus, fiderenter venire ad se hortatur. Simulque instrui scapham &

& quinque Hispanos traiicere in ulteriore ripam ad nostros iubet. Hispani transmisso fluo, Gallos Vallemandi praefecti nomine liberaliter appellant. Ioannes Ribaldus prætor, primus nauiculam cum triginta suis consendit: ipse à Vallemando satis comiter excipitur: ceteros ab eo aliquantulum seductos, Hispani manibus ponè tergum reuinctis, binos simul colligant.

INTERA Galli, unoquoque traiectu triginta, trans flumen exponebantur: tantisperdum Vallemandus Ribaldum, hominem minimè malum, qui de ipsius fide non dubitaret, fallacibus verbis produci & lactari curat. Nostri interim quām omnes flumen transmississent, bini ad eum modum colligantur, similique permisti Hispanis Galli ad Castellum procedunt. Ribaldus prætor & alij, in primis Ottignij dominus, vbi suos ita nexos & iugatos vident, nescio quid sinistri ex eo augurari & toto ore expallescere. Interea tamen rursum Vallemandi fidem appellant: ille sedulò confirmat eos, neque alio indita Gallis vincula testatur, quām ut tutò in Castellum deduci possint. ibi se illis cum fide præstiturum quæ pepigerit.

Q uamiam non procul à Castello absens, ille tum sciscitatus quinam inter Gallos nautæ, remiges, fabri nautici, tormentarij, aliisque maritimis muneribus vtiles essent: triginta eius generis inuentos à ceteris secernit,

G ij

Hispanus
Gallū fal-
lacibus
verbis la-
ctat.

Nec longo inde temporis spatio armatorum cohors Castello egressa, pleno gradu in nostros contendit, qui seorsum à Vallemandi agmine ducebantur. Gregem ouium ad lanienam agi dices. Tum cornua occinere incipiunt, & Hispanorum militum furor erumpere: cæduntur vinciti & inermes Galli ad fistularum, tympanorum & buccinarum cantus, ita ut quiritantum clamor exaudiri non posset. Ibi gladiis & hastis strenue sequire Hispani, & quam fœdissimum quisque vulnus fecerat, tam maximè gloriari. Ergo vix semi horæ spatio facilem & egregiam scilicet victoriā de inermibus ac deditis tulere, quos ipsi in fidem acceperant.

D u m hæc perpetrantur, Ioannes Ribaldus Vallemandi fidem implorans, vite suę parci orat: ipse etiam Ottignius ad pedes eius prouolutus, promissorum vt meminisse velit, supplex obsecrat. Sed omnia hæc frustra fuere. Nam ille neglectim obuerso tergo, præteriit: simûlque unus carnificum eius pugionem in Ribaldi auersum corpus defigit: moxque eo vulnere prolapsum, uno alteroque subinde iectu iacentem conficit.

Hic fuit miserabilis nostrorum exitus, quum se in fidem & clementiam Hispanorum tradidissent, quę Punica religione seruata ab illis fides est. Neque satis habuere sauitiam innoxio sanguine explere, sed vt omnem barbarem superarent, Legati regij barbam abrasere, liculenti facinoris specimen: eamque inclusam literis Hispalim misere, quemadmodum

Gallorum
inernum
laniena.

Ribaldi
Prætoris
Galli
mors.

dum à nauticorum nostrorum nonnullis, quorum opera Hispani ad eum nuncium in Hispaniam perferendum vñi sunt, nuper bona fide nobis relatum est: in iis nominatiū Christophoro Britone, Portu-gratiensi, qui clam Hispali Burdegalam transgressus, Burdegal Diepam naui reuectus est.

P O S T HÆC Hispani memorabili victoriæ tropœum imponunt: Legati Regij corpus membratim dissecant, & eius capite in quatuor partes diffiso, miserabiles illas quadras totidem arrectis cōtis præfigunt, eōsque quatuor Castelli angulis statuunt.*

P O S T R E M O (quod ex Nobili quodam Britone qui Floridā vidit, ipse accepi) Hispani vt insigni aliqua catastrophe eā tragœdiā clauderent, lacera illa corpora, truncos artus, putres puerorum, sc̄eminarum & virorum formas exstructa extra Castellum pyra, igni cremenrūt, vt facile appareret id non magis hosti li rabie quam verę Religionis odio, ab ipsis esse factum. Sed vt cumque cæforum reliquias flammis aboleuerint, tam fœdæ rei tamen memoriam neque à conspectu ipsius Dei, neque ex hominum animis delere adhuc potuere, neque vñquam poterunt.

C E T E R V M in tradenda Gallorum cæde quę plurimis & oculatis testibus memoria sunt, retuli: sed non omiserim eorumdem temporum rumorem validū adeo vt nondum exolescat. Expeditione suscepta, Hispanum ab Aulicis quibusdam per occultos nuncios de re tota certiorem esse factum: & qui eò na-

* Haec tenus
Gallica illa Historia: nos
qua sequuntur addidi
mus.

Hispani
Gallorum
cæforum
corpora
cremant.

vigarent, maximam partem Hugonotos esse, Regni perturbatores & Regis ipsius hostes, obuiam prædam & quæ impunè inuadi posset. Hæc vulgò tum iactata nec affirmare, nec refellere in animo est. Sed postquam ea gesta sunt, quod tam atrocis iniuriæ exemplo non Gallli tantum, sed Regis quoque ipsius Maiestas, cuius auspiciis ea expeditio suscepta fuerat, violata esse videretur: etsi ea in fœminas puerosque immanitas omnium questus anteret, cæforum liberi, viduæ, cognati & amici, vltionem orantes, Carolo ix. regi Gallię supplicem libellum obtulere. Ac Carolum quidem de eo questum apud Regem Hispaniæ, atque illum facinus pro rato non habuisse satis constat: quum interea non minus impunitas maneret sicariis, quam mors interfectis: donec senescente facti inuidia, mentionem omnem ac memoriam eius rei maiores casus oppressere.

Porro libelli exemplum infrà scriptum est.

* *

S U P P L I-



S V P P L I C I S L I B E L L I
*exemplum, Carolo ix. Regi Gallie oblati à
 viduis, liberis pupillis & orphanis, propinquis
 & amicis, subditorum eius qui ab Hispanis in
 Frácia Antarctica, quám vulgò Floridam vo-
 cant, fœdè trucidati sunt, Anno M.D. LXV.*

MISERABILES planè personæ
 atque opis egentes (Christianissime
 Rex) viduæ & orbati parentibus
 pueri puellæque propè innumeræ,
 pedibus tuæ Maiestatis, plenæ lacrymarum &
 supplices, aduoluuntur: & ærumnas suas a-
 pud te deplorantes, lugubre spectaculum
 patrum, virorum, filiorum, fratrum, nepo-
 tum & propinquorum suorum (qui circiter
 nongéti misti fœminis virisque pueri, in Flo-
 rida à Petro-claudio & Hispanis militibus ^{Is idem} est qui
 fœdè trucidati sunt) propè præsens oculis tuis ^{Val'cunia} do sibi no-
 exhibit. Id verò facinus quum per se vel ru-
 ditu fœdum atque horrendum sit: tum hodie ^{men fece-}
 rat.

maximè subditorum tuorum sanguis perfidio-
 fissimè fusus, Dei fidem & iustitiam aduersus
 sceleratos latrones implorat.

I T A Q V E iam tearum partium est, ô Rex,
 cogitare, ea lege imperio tuo subiectos po-
 pulos, tum ut eos iustitia regas, tum ut sub
 præsidio ac tutela Maiestatis tuæ incolumes
 conserues. In primis verò miseris atque affli-
 etis, qui secundum Dei opem ad tuam fidem
 confugiunt, præsertim receti adhuc vulnerum

dolore succurrere : eorumque , haud secus atque herus fidelium seruorum , aut etiam pater filiorum , ærumnis ingemiscens , orbitatem & lacrymas consolari . Nam querelæ quidem quas ad te deferunt , non minus miseratione dignæ videntur , quam Petri Claudij Hispani immanitas consuetis belli commerciis omnibusque diuinis ac humanis legibus aduersa est .

I D QUÒ facilius intelligas , nos rem paulo altius repetentes patienter , vt facis , audito . Meminit Maiestas tua subditos illos tuos religiis literis fretos , quas Ioannes Ribaldus aste accepit , tuo mandatu , tuis auspiciis , in Floridam nauigasse . QUÒ quum peruenissent , quinque Hispanę naues (quarum maxima octingentarum amphorarum , proxima , ducendarum , ceteræ mediocris formę , erant , repente plusquam hostili impetu tuos illos homines adortæ sunt . Mox classiarij eorum milites in terram lapsi , Castellum tuo nomine atque auspiciis à Gallis exstructum irrumpentes , viros , fœminas , pueros , & quidquid obuium fuit obtruncant : neque his aut illis ætas aut imbecillitas miserationem attulit . Quinetiam trāsfossa pueroruim infantiumque corpora (horrendum visu) præfixa hastis ad ludibrium ostentabant .

I N D E octingentos fermè Gallos , cohortem Ribaldi Prætoriam (quamquam fide data , si arma tradidissent , abire omnes incolumes passuros) manibus post tergum reuinctis seruilibus

seruilibus probris fœdatis : sceleratos, leprosos, pædicones & latrones Frañcos vocantes, in ore ipsius Ribaldi iugulant. Quimque istam fœdi spectaculi horrore perterritus, ad Petrum-claudium accedere conaretur, ut se in eius fidem ac tutelam, velut asylum, coniiceret, ab eo superbè repulsus, móxque eius iussu à milite, pugione in tergum impresso, percussus est. Quo vulnera quum corruisset, idem hic miles iacentis pectus uno & altero ictu hau- sit. Mortuo quoque ludibria adiecta : ceruices incidit miles: barbæ pilos abradit, & quadrifidum caput quatuor pilis eodem in castello, ubi ceterorum corpora exanimata iacebant, præfigit. Postremò literas ad regem Hispaniæ, preclaræ victoriæ nuncias, & in iis pilos aliquot Ribaldi barbæ inclusos, mittit : perspicue tali ludibrio prodens, quam parum Regiam tuam maiestatem vereretur, quam adeo superba contumelia, per clientium tuorum iniurias & dedecora, violare ausus est.

NEQUE verò credibile est, Principem vnum aut Regem Christianum, imò nec Barbarum, tam abhorrenti ab omni humanitate esse animo, vt exsecrabile illud facinus approbet, & eò quidem fœdius quod media pace in tuos admissum est, quum tibi neque cum Hispano, neque cum vlla externa gente, bella aut hostiles inimicitiae intercederent. Perpetrati tamen huius latrociniij Hispanos, nulla iniuria abs te violatos, reos esse, nostrorum sanguis & lacrymæ nostræ clamant, & quidem

iis locis ac personis quæ sub nullius iure ac ditione, præterquam tua, sunt. Nisi fortè Petrus claudio impudentiam sœuitiæ adiungere, ac dicere libeat, Ibi ius esse vbi vis & arma plus polleant: licere peregrinis latronibus in præsidia & ditiones tuas, in tuorum fortunas & corpora, cum exercitu imperioque inuaderet: licere pro suo iure in eorum ceruices sœuire, quos Deus Maiestati tuæ subditos attribuit, & quidē tam arcto fidei & obsequij vinculo tibi obstrictos, vt millies mortem oppettere malint, quām in noui Principis fidem ac ditionem concedere.

Q uam o b r e m si Petri-claudij facinus Hispanię rex ratum non habeat, nihil superest, nisi vt vel istius supplicio iniuriam tibi factam expiet, vel tibi eum noxæ dedat: tibique in posterum ius ac possessionem vacuam Floridę tradat, quæ pridem tuis auspiciis ab tuis occupata, regni tui finibus ac ditionibus adiecta est. Neque enim subditi illi tui, qui, propagandis imperij tui finibus, eam prouinciam pro virili parte manucepere, pro fugitiuis eò redacti sunt, aut vt rei exulēs ve in ultimas terras deportati: sed eos Maiestatis tuæ legatos, ministros mandatorum tuorum, eò nauigasse iussu & missu tuo, literis ipse met regiis Ribaldo datis confirmasti, qui tuam in eo vicem ac personam referret.

Indignas verò illas & atroces in uno scelere per se iniurias, etiam onerat istorum impunitas. Quippe si inultæ omittantur, licetque

ceatque nefariis latronibus, violatoribus: omnis humani iuris ac fidei publicæ, non luce hac tantum, sed spoliis etiam tuis nostrisque impunè perfrui: sicuti dolor ad nos, sic ad te decus, & manante latius exemplo, periculum ad omnes pertinebit. Sed ut ab aliis impunitate alatur istorum immanitas, te tamen subditorum tuorum iniurias, per quorum latera foderis, lentè non accepturum confidimus. Neque verò meritas ab ipsis poenas expeti, tua tantum aut nostra, sed publici exempli & humanæ societatis interest, quam Petrus-claudius cum suis, quantum in se fuit, soluit.

POENI ceterique Afri fidem ac fœdera quoties commodum erat, frangebant. Itaque Punica fides ut illis quondam exitio fuit, etiam vulgo hodie infamis est. Romanis contrà adeo sancta erat fides, ut eam fallere etiam hosti peius omni peste fugerent. Vtinani hæc laus meritò à nobis Petro-claudio eiisque sociis tribui posset: quibus adeo vilis promissorum veritas & fides fœderum fuit, ut ad eam violandam sacrum Dei nomen vertere veriti non sint, ac si eum in scelerum suorum societatem adsciscere vellent. Deum equidem non ignoramus, interdum improbis frena laxantem eorum quoque opera vti, siue ad nos castigandos, siue ut ipsi iustum scelerum suorum aceruum, iustis poenis materiem, cumulent. Idq; ne iustitię ipsius & iudiciorū obliti, paternā eius indulgētiā malè agēdo fatigemus. Sed vicissim hoc verū est: ut idē ad opus hominum scelera & Dei iudicia concurrunt: ita Deum

graues tandem ab impiis pœnas pro meritis
exigere.

Q uod reliquum est (Christianissime Rex) tot pupillorum orbitas, tot viduarum solitudo, ac iustæ nostrum omnium lacrimæ & squalor te moueant, qui parentes, qui fratres, qui propinquos, clientes tuos per immane Petri-claudij scelus amisimus. Liceat priuatarum iniuriarum obliuisci: nihil ad te mala nostra pertineant. Quid augusto Regiae maiestatis nomine spreto, quid pollutis auspiciis tuis, quid non fœderum modò fide, sed etiam Iure gentium in legatis tuis violato, facies? Fortissimis viris, tribunis ac ducibus tuis, contra omne fas & belli commercia interfectis, non iura experiere, non arma capies? sed horrendos istos carnifices tuorum strage ouantes & super impunitatem præmia etiam ferentes scelerum, tacitus intuebere?

M E L I O R A equidem de te ominamur & speramus (ô Rex) Deumque ipsum Opt. Max. obnixè quæsumus ut verè heroicis in te spiritus excitet. Isti cruentos à receti tuorum cæde gladios, manantia sanguine spolia, & reliquias infelicis exercitus tui in Hispaniam ad triumphum & ludibrium deferunt. Quum sibi tantum licere in tuis te sciēte ac vidēte pulchrum ducunt, possuntne apertiùs demonstrare quid facturi sint, si te ipso potiantur?

Q uia M o b r e m, vt tuæ Maiestati & Gallico nomini inustum dedecus meritis parricidarū suppliciis deleas, generosum & dignum te, dignum auis tuis, spiritum indue: Deo bene iuuante,

iuante, subditorum tuorum causam suscipe,
susceptamque qua potes ac debes fide tuere:
ut coram toto Christiano orbe tuam in pro-
tegendas subditis fortitudinem, tum etiam
tuorum innocentiam, testatam facias. Nullo
quidem maiore piaculo (ô Rex) tum innoxio
nostrorum sanguini, tum iustæ ire tuæ paren-
tare potes, quam latronum pœna: ut non tan-
tum cæforum viduæ coniuges, propinqui &
liberi desiderium suorum & graues suos do-
lores eo solatio leniant: sed etiam te om-
nes verè Regem tanto parem
nomini, & Patrem po-
puli tui, agno-
scant.





NOVI orbis historiæ libro secundo Benzo Hispanos monachos & sacerdotes, aliósque eorum exemplo colonos, in India ea interdiu committere scribit, quæ alios vel noctu perpetrare puduerit. Tantam fœditatem etsi premere quām mouere multo satius fuerit: attamen quia isti tum in illis terris, tum etiam in hoc nostro orbe, nouam Sodomam instaurare parant, nisi maturè obuiam eatur: Georgij Buchanani, Poetæ clarissimi, graue & δυτιμωρητικὸν carmen in Colonias illas Indicas huc attexere visum est: earum videlicet pœnarum prænuncium, quæ istorum capitibus cælitus imminent, ni seriò resipiscant.

IN COLONIAS BRASILIENSES.

DESCENDE cælo turbine flammeo,
Armatus iras Angele vindices,
Libidinum iam notus vltor
Exitio Sodomæ impudicæ.


En rursus armis quod pereat tuis
 Lustrum Gomorrha suscitat æmulum
 Syrum propago, & exsecrandæ
 Spurcitiæ renouat palestram.
 Pars illa mundi, quam sibi propriam
 Sedem dicavit mollis amœnitas
 Luxusque, sub fœdis colonis
 Seruitum tolerat pudendum.
 Abominandis arsit amoribus
 Strigosus æstu, pauperie & fame,
 Glandis vorator, virulentum
 Eraphanis redolens odorem.
 Quem (rêre) ponet nequitiæ modum
 Frænis libido libera? & insolens
 Humanioris ferre victus
 Illecebras meliore calo?
 O Christiani infamia nominis,
 Ofœda labes & nota temporum!
 O turpium turpisque causa &
 Exitus & precium laborum!
 Ignota rostris verrimus æquora,
 Gentes quietas sollicitauimus
 T errore belli, orbisque pacem
 Miscuimus misero tumultu.
 Per ferrum & ignes & mare naufragum
 Secreta rerum claustra refregimus,
 Ne deesset impuris cinædis
 Prostibulum veneris nefanda.

*Gens illa nullos mitis in hospites,
Et ora victu assueta nefario,
Portenta conspexit Cyclopum
Sanguinea dape fædiora.*

*Nunc Sylla saeuos exere nunc canes:
Nunc nunc Charybdis vortice spumee
Connolute fluctus, & carinas
Flagitus grauidas resorbe.
Aut hosce tellus in patulos specus,
Aethérve flammis perde sequacibus
Turpes colonos, Christianæ
Dedecus opprobriūmque terre.*

FINIS.

ELEN-



ELENCHVS, SIVE INDEX
*rerum & verborum maximè insignium
 quæ in his Historiis tra-
 dantur.*

A

- A** C H L A, portus & colonia 170
 Alexandri pontificis bulla donationem Indiæ continens 284
 Alphonsi Hoiedæ expeditio 75. ab regulo quodam vulneratur ob raptam coniugem 83. Franciscanorum cultum sumit & moritur 85
 Alphonsi Ninni nauigatio 53
 Alquinotepi Indi cum Montegio graue colloquium 220
 Ambitio ne luctu quidem minuitur 238
 Animal gemino vtero insigne 215
 Antiqua Darienis, colonia 89.91
 Apri, vmbilicum dorso gerentes 173 174
 Arbor mirabilis in insula Ferro 423
 Attabaliba rex Peru, Pontificem Rom. non agno-

- scit 281. Eius regius paratus 279. pretium pro redemptione paciscitur 283. à Pizarro necatur 290. eius ad Pizarrū oratio 289. prodigia mortem eius portendentia 294
 Auana colonia in Cuba 151. 152
 Auaritiam Hispanorum Indi grauissimè castigant, aut eludunt 83. 100. 104. 161 201. 208 224. 249. 406
 Aurificum Peruensium operi 399
 Aurifodinas Peruenses propè exhauserunt Hispani 409
 Aurum, Christianorū Deum vocant Indi 249
 Australe mare 104
 Axi,piper Indicum 15

B

- B** Acicaus. vide Machicaus.
 Balsamum Indicum 232
 Barthol. Columbus Hispani H̄j

I N D E X.

- | | |
|---|---|
| nioix præfetus 33. Cacicos perduelles debellat
48 | Columbo succedit 50. Is
Columbos fratres vin-
ctos in Hispaniam mittit
50. Naufragium facit
52 |
| Barthol. de Casis à rege
Hispan. Cumanæ ad-
ministrationem impe-
rat 67. suos omnes amit-
tit 69. querelas de ty-
rannide Hispan. ad-
uersus Indos ad regem
defert 331 | Boriquena, insula 17. 429
Bulla Pontificia de Indis in
libertatem vindicandis
77. de Indiæ Occid. do-
natione 284 |
| C | |
| Battata; Indicæ radicis spe-
cies. 123 | C Acanate, fructus & mo-
neta Nicaraguensium
228 |
| Beatrixis de Cueua, Petri Al-
uariadi viduæ, contumacia
in Deum & horren-
dus exitus 239 | Canariæ insulæ septem 417
à quo primùm subactæ
418. direptæ à Gallis
143 |
| Bellorum ciuilium in Peru
initia 303. 308 | Canarij indigenæ pauci 418
eorum mores 425. panis
ibid. |
| Belmuda insula 414. 415 | Canellæ regio 217 |
| Benzo in Indianam nauigat 1.
Summa peregrinationis
eius 95. eius in patriam
reditus ex India 414. 415. | Canes Hispanorum saui-
tiæ ministros esse pudet
295 |
| Blascus Nunez Vela mitti-
tur in Peru 523. eius in Af-
fessores suos salsè dictum
324. dum nihil de sum-
mo iure remittere vult,
Colonias ad rebellio-
nem accendit 327. Pro-
curatorem regium inter-
ficit 330. capitul 335. à Pi-
zarro victus interficitur
345 | Caribes, qui dicantur 169
Carlinæ Castellum à Gallis
in Florida exstructum
440 |
| Blasphemare ex Hispanis di-
dicisse se dicunt Baibari
351 | Caroli V. ad Gonz. Pizar-
rum literæ 354 |
| Bombadilla Christophoro | Carolus IX. de cœde suo-
rum apud regem Hisp.
queritur 470 |
| | Carthago noua, colonia à
Gallis |

I N D E X.

- | | | |
|---|-----|---|
| Gallis diripitur | 156 | stianis exularet auaritia |
| Cassinet, Floridensium potus | 443 | 118 |
| Castellani Galli erga Italum benignitas in India | 16 | Christoph. Columbus primus Indiae Occid. inuentor 21. Quam ingeniosè mordaces inuidorum de se sermones repercutserit 23. Eius persecutaria 24. Ridetur à Lusitanis & Anglis 24.25. Prima eius in Indiam nauigatio 26. Ei ex gloria inuidia oritur 28. Almirans à rege designatur 33. Secunda eius nauigatio 34. in odium Hispanorum incurrit 38. Indos perduelles & sub imperium redeuntes clementer tractat 48. Inimicorum calumniis honore deiicitur 49. Hispanos seditiones vincit 60. Astuto consilio commearus à Barbaris imperiat 60. Moritur 62. Eius genus & posteritas. ibidem |
| Cazabi, secundarius Indorum panis | 121 | Christus non sive edictis, sed benignitate, orbem subegit 75 |
| Ceratus, iudex integer in India | 261 | Coca, herba mira 397 |
| Ceratum Hispanorum contumaciæ tædet 262 | | Coloniæ Hispanicæ in Peru 409 |
| Chesada, iudex, moriens conscientiæ doloribus vivitur | 262 | Coloniæ Peruenses in Prore gem rebellant 329 |
| Chimbos, mons | 394 | Cometes in Peru refulgens 294 |
| Chira, Peruani regni prouincia | 271 | Contraæ fratres pe- |
| Christianæ religionis contemptus in Barbatis vnde 410 | | H ij |
| Christiani nomen gerere, & re ipsa esse, multum differunt | 244 | |
| Christianos multos Barbari damnabunt in Iudicio 248 | | |
| Christianorum auaritiam gruifissimè notant Barbari | 249 | |
| Christianos ex spuma maris ortos credunt Peruani 405 | | |
| Christianum nomen ubique celebre, si à Chri- | | |

I N D E X.

- C**onias regias diripiunt
 376. Nicaraguensis episcopum interficiunt 376.
 379
De Creatione rerum, Peruen-
 sium opinio 401
Crocodili in Florida 443
Crocodilorum oua edulia
 213
Cubagua insula vnionum
 3. 43. 71

D

- D**esiderata insula, prima
 Columbo visa 3
 35 13
Delphinorum fluuius 440
Dentibus conseruandis me-
 dicamen 13
Didaci Almagri cum Pizar-
 ro societas 267. Mare-
 schallus Peru designatur
 296. in Chilem proficisci-
 tur 297. eum liberat à quo
 postea imperfectus est 307.
 à Ferdinando Pizarro ca-
 pite damnatur. 309. eius
 mors & natales 310.
 311

- D**idacus eius filius regimen
 Peru inuadit. 316. Ab a-
 mico proditur 322
Didacus Columbus Christo-
 phori filius, Almirans
 designatur 109

- D**idacus Gottierez Vera-
 græ Gubernator 184. au-
 rum extorquere à Ca-
 cicis Indis nititur 192. ab
 Indis trucidatur cum o-
 mnibus fermè militibus
 200
Didaci Lopez ad Assesso-
 res Guatimalæ epistola
 257
Didaci Niquesæ expeditio
 in Indiam 81. errores
 92. intemperantia linguæ
 labitur 97. eius mors
 98
Didacus Ocampus Indos a-
 stu captat 65
Didacus Velasquez Naruaë
 in Cortesium mittit 207
 211
Diluuij notitiam aliquam
 habent Peruenses 403
Diuini iudicij exemplum in
 superbam & blasphemiam
 viduam 238
Dominicani in Florida à Bar-
 baris trucidantur
 433
Domus arboribus superstruc-
 ta 381

E

- E**ritetas Peruensium 397.
ECanatiensium 418
Edictum Ferdinandi regis
 de non adeundis oris à
 Co-

I N D E X.

- Columbo repertis 53.63
 Edictum Cæsaris de Indis
 in libertatem restituendis
 323. eius capita 331
 Edictum Cæs. de arcessendis
 vxoribus 421
 Empedocles Dominicanus
 232
 Episcoporum in India stu-
 dium 257.259.260
 Episcopus à quibusdam Hi-
 spanis interfactus 376
 379
 Episc. à Barbaris trucidatur
 392
 Equis ferè victorias suas ad-
 uersus Indos debent Hi-
 spani 202
 Equos Hispanorum hono-
 rificè curant Mexicanii
 203
- F
- Fabula de primo Indiae
 Occid.inuentore 18
 Ferdinandus Hisp. rex Co-
 lumbum classe instruit 26
 Quæstores in Cubaguam
 mittit 63
 Ferdin. Cortesius Mexicanii
 regni subactor 206. ab
 Hespano equite deride-
 tur. 207. eius perfidia &
 sæuitia in regem Mexica-
 num 209
- Ferdin. Pizarrus inexorabi-
 lis aduersus Almagrum
 310. in Hispania custodia
 clauditur 313
 Ferdinand. Sotti in Floridam
 expeditio 204.431
 Fernandina,insula 29
 Ferrum seu Ferrea, insula
 417
 Ferrum in pretio apud In-
 dos 242
 Floridæ situs 430. 435. à quo
 primùm inuenta , ibi-
 dem
 Floridenium cultus,mores,
 & cibi 441
 Fons fabulosus 430
 Fortunatæ insulæ,hodie Ca-
 nariæ 417
 Franciscus Caruajal insignis
 bellator & saeuus 368.
 369. Centenum vincit
 342.eius exitus 368
 Fr.Lopez Hispanus scriptor
 vanitatis arguitur 18. 21.
 22.
 F. Montegij in Iucatanam
 expeditio 218
 Franc. Pizarrus,à sue alitus
 317. puer sues pauit 179.
 Hoiedæ legatus in Vra-
 bensi prouincia 84. eius
 in Peru expeditio 267.
 Almagrum infidiis captat
 305. ab Almagri factione
 interficitur 315. eius nata-
 les 316
 Fumus inebrians 119

I N D E X.

G

- G** Alliae rex classem in Floridam mittit 434
 Galli iuſula 269
 Gallicæ clavis naufragium 464
 Galli piratæ Indicarum opū fama exciti 43 140
 Galli pir. Hispanorum naues prædantur 142 & seq.
 Galli ab Hispanis capti 149
 Galli Hispanorum perfidiam grauiſſimè vlcifuntur 155
 Galli ab Hispanis in Florida iugulantur 448. elapsi nonnulli Galliam repetunt 461
 Gallorum inermium in Florida laniena 468
Garionexius Cacicus in Hispanos arina capit 42
 Gomera,insula 417
 Gonzallus Pizarrus dux partium in Peru 328. Peruenſis Gubernator designatur 337. eius in aduersis inuitus animus 356. 366. Centenum vincit 358. eius mors 377
 Gorgona,insula 269. 380
 Granata,colonia 231
 Gran-canariæ descriptio 420
 Guacanarillus Cacicus Hispanos in Hispaniola tru-

- cidandos curat 39
 Guacci, animal rapto viuens 172
 Guadalupea,insula 3
 Guaiacan 132
 Guayaquil coloniæ inundatio 391
 Guaiauus,arbor 125
 Guainacaua Attabal. pater 291
 Guainacauæ transitus 391
 monumenta 398
 Guanauanus arbor 126
 Guanaxia,insula 58
 Guattimala vrbs eluuie aquarum evertitur 239. instauratur 240
 Guattinalensium mores 241
 Gubernatores Indiæ fallibus promissis milites operant 3. 187

H

- H**Ayti,insula 29
 Hispani qui primi in India relicti sunt à Columbo, ab Indis necantur 35
 Hispani tedium sui apud Indos mouent 72. odio flagrant 103. III
 Hispani in India prædas hominum agant 7
 Hispani ad capiendos Indos Indis abuntur 9
 Hispani Indos canibus obiciunt

I N D E X.

- ii ciunt 293.295.374
 Hispani nauali prælio à Gal-
 lis fusi 146.461
 Hispani Gallis in Indianam
 viam monstrant 144
 Hispani quo consilio expe-
 ditiones Indicas suscep-
 rint 203.204
 Hispanis captis aurum in os
 infundunt Indi 104
 Hispani multos in Peru præ-
 textu causæ partium, ob
 similitates interficiunt
 351.362
 Hispani aliquot in uicem a-
 lios mandunt 206.210
 Hispani immodici laudum
 suarum prædicatores
 176.181.243
 Hispani cum Italo duellum
 178
 Hispani mortuos à se susci-
 tates in India venditant
 206
 Hispani Gallos in Florida
 iugulant 448.eorum cor-
 pora cremant 469
 Hispani ducis in Gallos per-
 fidia 466
 Hispanicæ classis naufragiū
 413
 Hispanorum auaritia à Me-
 xicanis elusa 208
 Hispanorum dominatus In-
 dis quauis alia calamitate
 grauior 220.227
 Hispanorum aduersus Indos
 pugnantium arma 11

- Hispanorum faciles de Indis
 victoriæ 107. equis debi-
 tate 202. sauitia in Nigri-
 tas seruos 136
 Hispanorum ab Indis acce-
 ptæ clades 299
 Hispanos mortales esse quo
 modo Indi deprehendant
 17
 Hispanus Hispanorum mo-
 res in India, depingit
 257
 Hispaniolæ mercaturæ ho-
 diernæ 131
 Hispaniolæ descriptio 128
 Hispaniolensium religio
 111.112.113.
 Historia lepida cuiusdam
 militis famelici 212. Indi
 cuiusdam pecuniam a-
 spetnantis 161
 Houus arbor & fructus 124.
 192

I

- Iamaica, insula 158
 Iguannæ, lacertarum ge-
 nus 213.216
 Immortalitas animæ Peru-
 ensibus credita 396
 Indi Christianorum simiæ
 32. aliquod semen reli-
 gionis habent. ibidem. be-
 nefici 117. neque furto ne
 que auaritiæ dediti, ibidem

H iiiij

I N D E X.

Indi caducis bonis affixi non sunt	118.165	rogatur	77
Indi reguli liberum ad Sot- tum responsum	205	Indiae solum frugibus no- stris ferè ineptum	
Indi à Christiana religione ob Hispanorum scelera abhorrent	205	Indicæ contractationis do- mus	145
Indi Cacici ad Hispanum præfectum libera vox	194	Indica mancipia quomodo Hispani venentur	7.8
Indi Christianos suis sacrifi- ciis interesse nolunt	386.	Indicæ mulieris inusitata spe- cies	5
Humanis victimis litant	168	Indicarum gentium color	
Indi de calamitatuum causis verius quàm Hispani iudi- cant	40	Indici senatus origo	145
Indi Hispanicum ingum ex- cutere cupiunt	244.	Indorum liberi, Hispanorū consuetudine corumpun- tur	250
indos Christianos iudicabūt	248	Indorum de Deo notio	252
Indi Hispanorum avaritiam elidunt	83.	pertinax Idololatria	256
grauissimè verbis castigant	100. 104. 201	Polygamia	117
Indi Christianos abominan- tur	222	Indorum de Hispanis opi- niones variae	54.55
Indi cuiusdam graue de Christianis iudicium	224	Indorum in mutuis com- merciis simplicitas	160
Indi Hispanorum in Cumana stragem edunt	63	Indos captiuos quomodo Hispani tractent	10.14 15.364
Indi fugientes Hispanis fa- mem relinquunt	37 95.	Ingæ, Peruanorum reges	
ibi mortem conciscunt,		Inoiosa Machicao succedit	
77.110.167.		338.eius stratagema	340,
Indis editio Regio libertas adimitur	73.	classem Pizarri Gascaæ pro- dit	350
scrutus ab-		Insulæ huc & illuc fluctuan- tes	221
		Ioannis Pontij in Floridam expeditio	204.431
		Ioannes Ribaldus ab Hispa- nis	

I N D E X.

nis interficitur	468	Manta oppidum	386
Isabella, colonia	36	Mona, insula	152
Iucca, radicis Indicæ genus		Monachi in India traiiciunt	
121		63, 71. Indorum liberatio-	
Judicum graue munus	262	nein procurant	77
Judicis cuiusdam in morte		Monachi male excipiuntur	
cruciatus	262	in Florida & Guatimala	
		81	
L			
L Ampugnani Mediol. ad		Monachorum libidines ne-	
piscandosvniones in-		fandæ in India	209, 478.
felix nauigatio	71	Mons flammiuomus	231
Lanzarotta, insula	417	Mundum interitulum cre-	
Legendi & scribendi usus		dunt Peruvenses	403
Indis miraculo est	243		
Legio, colonia	231	N	
Liina, colonia 293. ibi tumul			
tus in Proregeim oritur		Nauigia Indorum mo-	
334		noxyla	8.30.61
Lucusia magna, insula	438	Nauis totum orbem circum-	
Ludouicus Columbus Almi-		uecta	402
rans, Christ. Columbi ne-		Nautal prouincia	4
pos	138	Nicaraguæ prouinciae de-	
		scriptio	227
M		Nicaraguensis lacus emissar-	
M Achicaus Panamam di		rium	189
ripit	338	Nicaraguensium mores	229
Magellanicum mare & fre-		moneta 228. potio	229
tum	58.302	saltandi ritus	230
Maius fluuius	439	Nicolaus Olanda Hispanio-	
Maizium, Indicarum frugum		la præfectorus	52
præcipua	120	Nigritiæ serui in Hispanos	
Mamei, arbor	125	rebellant 137. fidei Hispano-	
Manati, pisces	212.216	nor. credere se non audet	
Mangus regulus Peru, His-		139. Hispanos vexant	
panis fidem non habet		183	
303		Niguæ, Indici pulices	127
		Nomen Dei blasphematur	
		ab Indis, sauitia Hispano-	
		rum incensis	57

I N D E X.

Nominis-dei coloniæ origo 96	cia dicatur 283	
Nominis-dei emporiū 175 eius situs 182	Peruana nauigatio 379	
O		Peruani in Hispanos rebel- lant 298. Hispanos pro Christianis agnoscere no- lunt 244
Olea in Canariis coales- cere non potest 421	Peruensium lintrium forma 388	
Oliuarij cancellarij Galliæ exitus 263	Peruenses reguli à Christ.re ligione abhorrent 390	
Ombrios, insula 416, 425	Peruenses culices ibid.	
Oraculum, de Hispanorum in Indiam traiectu 31.33.	Peruensium titus 395. cultus 397. oues 397. 404. ebrie- tas 397. ædificia 398. auri- fices 399	
Oraculum Pacchacame in Peru 402	Petrus Alvaradus Mexica- nos diripit 207. eius in Peru expeditio 234. mors 237	
P		Petrus Gasca componendis motibus Peruanis mitti- tur 346. eius solertia & astus 347. 353. eius ad Gon- zallum Pizarrum literæ 348. Hostium duces præ- miis inescat 251. Pizarrum prælio viictum capite ple- cti iubet 367. edicta eius in Peru 373. militum in eum falsè dicta 375. 372. Peru decedit 375. pere- grinos è Peru arcet 411
Pachos quid vocent In- di 278. 404	Pinea, fructus species 124. 125. 126.	
Palma, vna è Canariis 421	Piper Indicum 15. 165.	
Pamph. Naruaez expeditio 206. 210	Pisces volucres 2	
Panama situs 180	Platanus Indica 124	
Panama in Peru nauigan- tium cursus 379	Polygamia Indorum 117	
Panamensis & Veneti em- porij collatio 175	Portus-	
Panis apud Indos conficien- di ratio 120		
Pariensis regio Indiæ ferè amoenissima 12		
Pariensium anima & mores 12. 13		
Pecuniarum & opum con- temptus apud Indos 261. 165. 173		
Peru propriè quæ prouin-		

I N D E X.

F ortus-vetus, colonia & pro- uincia	383	ium student in India 250
P ortu-veterensium peruvicax supersticio	385	Sacerdotes foeminarum vir- ginitatem delibantes 12
P etosienses fodinæ	408	Sacerdotes iidem & medici apud Indos 116
P ortus apud Indos ex Maizio 123. ex Cacauate 229, ex multipli herbarum fucco 443		Sagittarum veneno tintarii remedium 14
P hitaci satis infesti	228	San-germanum, colonia 156
P una, insula	277	San-jacobum, colonia in Pe- ru 392
P ustulæ Peruenses	388	San-iacobus, primaria Cu- bæ colonia 158

Q

Q uisquis Attabalibæ ne- cem uicisci conatur	
291	
Q uitensis æditius Blascum proregem prodit	344
Q uito; Peruani regni ferti- lissima prouincia	400

R

R egum-ciuitas, colonia	
293	
R esurrectionis corporū Pe- ruenses sensum aliquem habent	403
R oldanus Ximenes à Christ. Columbo secedit	41.42
monita & literas Colubí spernit 46. scribit in Co- lumbos fratres ad regem ibid. mergitur mari	52

R upellanorum in fratres e- genos benignitas	463
S	

S acerdos metallarius	232
S acerdotes quæstui tan-	

S acerdotes foeminarum vir- ginitatem delibantes	12
S acerdotes iidem & medici apud Indos	116
S agittarum veneno tintarii remedium	14
S an-germanum, colonia	156
S an-jacobum, colonia in Pe- ru	392
S an-iacobus, primaria Cu- bæ colonia	158
S an-ioannis de portu-diui- te, insula	17
S eptentrionale mare	104
S epulturæ absurdus ritus a- pud Indos	168.396.403
S erpens alata	444
S eruitus barbaris odiosa	172
S imatagdi in Indiæ mediter- raneis inuenti	161
S olis & Lunæ origo, ex In- dorū Occid. opinione	114
S tratagema Hisp. aduersus Indos 64. in Gallos	157.
S indorū in Hispanos	296.
I niosæ	340

T

T ambos, quid vocent	
Indi	318.404
T eneriffe, insula	417.426
T eneriffæ mons	427
T ecoani, animal rapto vi- uens	174
T estudines inusitatæ magni- tudinis	189

I N D E X.

Toletum, colonia	5.66	accendit 281. ab Indis ne-
Tumbesia, prouincia	276	catur 392
Turbines in usitati in Hispaniola	.38.39	Vinum carum apud Indos 242.400
		Viracochie, Christianos vo-
		cant Peruani 405
		Vites in India Occid. ægræ
		coalescunt 130.399
		Verdugus Nomine-dei poti-
		tur 342. inde eiicitur 343.
		Vespertilioes diri 215
		Vitrum Attabalibæ iudicio,
		auro pulcrius 291
		Vux agrestes apud Indos 124.443
		VVich, insula Anglicæ 437
		X
		X Aguator, fabulosum
		flumen 189
		Xilo, balsami genus 235
		Z
		Z Arza-parilla, herba 393
		Zemes, idola Hispanio-
		lensium 33

F I N I S.



